Epistolarum ab eruditis viris ad Alb. Hallerum scriptarum pars I. Latinae.

Contributors

Haller, Albrecht von, 1708-1777.

Publication/Creation

Bernae : Sumptibus societatis typographica, 1773-1775.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/sptgahfg

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Suppl. 59425/B Vol. 1
HALLER, A. von Vol 1

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30527909_0001

EPISTOLARUM
AB
ERUDITIS VIRIS
AD
ALB. HALLERUM
SCRIPTARUM
PARS I.

Latinæ.

VOL. I.

EPISTOLÆ CXCIV.

SCRIPTÆ AB ANNO MDCCXXVII.

AD ANNUM MDCCXXXIX.

BERNÆ.
Sumptibus Societatis Typographicæ.

1773.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

331569

Viro Illuſtri

HIER. DAVIDI GAUBIO

ARCHIATRO & PROFESSORI

AMICO ACADEMICO

juſtæ Venerationis Ergo

HALLERUS.

Ad hanc Epiſtolarum Collectionem

PRÆFATIO.

Conſilium colligendarum epiſtolarum, a quinquaginta annis ad me datarum, dudum ab amicis probatum, denique ſuum ſortitur effectum. Earum ſelectum cum inirem, ab anno demum 1727. initium facere malui, quod priores ab a. 1723. epiſtolæ juvenum fere eſſent ad pene puerum, eo vero anno Academias adii exteras. Sed etiam reliquarum epiſtolarum eas tantum ſelegi, quæ mihi videbantur publice utiles fore, laxiori primum, inde ſevero uſus judicio. Earum etiam, quas admiſi, plurima loca expunxi, quæ inter amicos gratiam ſuam olim habuerunt, aliis lectoribus faſtidio eſſent futu-

ra, aut certe nihil haberent, quod ſcire cuperetur. Hic etiam criticam falcem eo ſeverius adhibui, quo longius a primis annis receſſi, quibus aliquanto nimium dederam amicitiæ. Laudes meas decuerat deleviſſe, fateor: plurimis etiam locis delevi, ubique non poterant, cum innexæ reliquæ epiſtolæ non poſſent deleri, niſi una telam totius libelli reſcinderes. Quare hic ſolenniter lectorem volo exoratum, ut ea omnia, quæ nimis blanda ab amicis meis dicta ſunt, ea humanitati Cl. Virorum velit adſcripta, non meis, ea ætate etiam minus, debita meritis. Quæ botanica, medica, anatomica, primis potiſſimum annis in his Epiſtolis continentur, de iis oportet ex ſuis, non ex noſtris temporibus judicare; multa enim nova, etiam dubia & parum perfecta erant, quæ nunc ſunt notiſſi-

notiſſima: ubique etiam ætas mea me excuſat, & ætas amicorum, pariter mecum juvenum: poſteriora volumina maturiora omnia tradent. Sunt aliqua, quæ potiſſimum ad hiſtoriam literariam pertinent, ſunt quæ ad mores & ingenium Cl. virorum. Ex LINNÆANIS Epiſtolis adparet, quam non invidus in virum fuerim, etiam cum ſuis objectionibus me laceſſiviſſet, neque diſplicuit mihi, injuſtam accuſationem re ipſa, & proprio LINNÆI teſtimonio refutare. In iis epiſtolis immutata reliqui omnia, neque vitia aliqua ſtyli ex properatione nata, emendavi, quæ nolim Clari viri laudibus detrahere quidquam. Reſponſorias meas non potui adjicere, quarum nulla mihi exempla ſervarim, quarum præterea veſtigia reperiri poſſe nulla ſpes ſit, cum plerique amici mei dudum de vita exceſſerint. Biblio-

Bibliopolæ commodo ut inſervirem, epiſtolas diverſis linguis ſcriptas ſeparavi, ut latinæ primæ, inde ex ordine gallicæ, germanicæ, anglicæ, italicæ Epiſtolæ ſequerentur.

Cæterum tribus verbis addo, ut epiſtolæ aliquæ facilius intelligantur, anno 1727. me Leidæ Doctoris gradu ornatum, Angliam petiiſſe, inde Galliam, tunc 1728. & 1729. Baſileæ mathematibus & inciſionibus dediſſe operam, a. 1729. in patriam rediiſſe, a. 1736. Gottingam vocatum feceſſiſſe, anno 1739. patriam reviſiſſe, ut eadem æſtate Gottingam repeterem. Ita vale, LECTOR BENEVOLE, & fave.

Bernæ, 15. Febr. 1773.

TA-

TABULA TOMI I.

J. CHRISTOPHORUS BOHLIUS, RUYSCHII *discipulus*, *Professor Regiomontanus*, *incisor nitidus*. Ejus est Epistola 1. 8.

B. S. ALBINUS, *vir summus*, Ep. 2. 4. 6.

J. FRIDERICUS SCHREIBER, *Medicus exercitus Russici*, *Academicus Petropolitanus*, *vir acris ingenii*, *metaphysices peritus*, *quam ad physiologiam adplicavit*, Ep. 3. 5. 7. 9. 13. 15. 2. . 27. 33. 36. 61. 74. 188.

J. PHILIPPUS BURGGRAV, *Poliater Francofurtensis*, *celebris clinicus*, Ep. 10. 11. 12. 14. 16. 22. 28. 34.

J. RUDOLPH ZWINGER, THEODORI *filius*, *Professor Basileensis*, *clinicus gratiosus*, Ep. 17. 18.

J. GESNERUS, *Physices & matheseos Professor Tigurinus*, *botanicus ex præcipuis*, *vetustissimus* HALLERI *amicorum*, Ep. 19. 20. 23. 24. 25. 29. 30. 31. 32. 35. 38. 39. 40. 41. 42. 44. 45. 48. 51. 52. 55. 56. 57. 60. 62. 63. 65. 67. 68. 69. 72. 73. 75. 77. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 93. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 104. 106. 107. 110. 111. 112. 114. 115. 116. 118. 119. 121. 125. 126. 127. 128. 129. 133. 141. 146. 154. 155. 157. 166. 168. 171. 182. 184. 189.

J. GEORGIUS GMELIN, *Professor Petropolitanus*, *botanices cognitione & longis itineribus celebris*. Ep. 26.

CHRISTIAN. FRIDERICUS HÆNEL, *Physicus Schneebergensis*, *botanicus*, *incisor*, *clinicus*, *etiam chirurgiæ*

rurgiæ peritus, Epiſt. 37. 43. 49. 58. 64. 66. 70. 78. 79. 87. 88. 89. 91. 99. 102. 105. 108. 113. 117. 120. 123. 124. 130. 134. 135. 144. 152. 164. 168. 171. 175. 180. 193.

J. JACOBUS SCHEUCHZER, *celebris botanicus & lithologiæ cultor, & per Alpes peregrinator*, Ep. 46. 50. 54. 71. 76.

J. JACOBUS HUBER, HALLERI *diſcipulus, deinde inciſor, Anatomicus Caſſellanus*, Ep. 47. 103.

EMANUEL KOENIG, *Profeſſor Baſileenſis*, Ep. 53. 59. 92. 109. 132. 185.

J. JACOB BODMER, *critices & poëſeos laude clarus*, Epiſt. 90.

SOCIETAS UPSALIENSIS, *quæ prima* HALLERUM *ſuo collegio aggregavit.*

HERMANNUS BOERHAAVE, *vir ſummus*, Ep. 122.

THEODORUS MASER, *Poliater Bernenſis*, Ep. 131.

LAURENTIUS HEISTER, *celebris inciſor & chirurgus*, Ep. 136.

CAROLUS LINNÆUS. *ſummus botanicus*, Ep. 137. 140. 142. 145. 149. 156. 157. 161. 167. 186.

CHRISTIAN GOTTLIEB LUDWIG, *ſenior medicus & Profeſſor Lipſienſis*, Ep. 138. 143. 148. 150. 152. 159. 160. 165. 169. 170. 172. 176. 183.

PAUL HENR. GERARD MOEHRING, *medicus Jeveranus, botanices & Zoologiæ peritus*, Ep. 139. 147. 151. 158. 163. 172. 174. 178. 181. 187. 191.

G. A. ALBRECHT, *Medicus Hildeſienſis*, Ep. 162.

TABULA.

J. JAC. DILLENIUS, *botanicus ſummus*, Ep. 177.

ADRIANUS v. ROYEN, *celebris botanicus*, Ep. 179.

J. RUD. ISELIN, *J. C. Baſileenſis*, Ep. 190.

BERNARD FELDMANN, *Medicus Neo-Ruppinenſis, vir egregius*, Ep. 192. 194.

I.

Viro humaniſſ. & amiciſſimo A. HALLERO.

I. FR. BOHLIUS.

Recepi tuas, quas ad Schreiberi mei transmiſſas litteras, mittis reſponſorias. Sane quantum vires valebunt, deſideriis tuis ut ſatisfiat, curabo. Locutus quidem fui cum chirurgo mea curante de materia, cui exſequendæ haud valeres, ni Coſchwitzium convicturus, humana te inquiſiviſſe, tabulis expreſſiſſe, publice decantare valeres, qui operam præſtiturum ſpoſpondit *, unde & Schreibero ſub conditione, non firmiter promiſeram. Quatuor jam in noſocomio cadavera petiere, nec una vel matrona vel homine denatis adhuc, interea RUYSCHIUS hac ſeptimana ultimam ſectionem inſtituet vitæ

A bre-

* Capita humana ad experimenta HALLERO ſuppeditare.

brevis, tremularum manuum indies memor, unde facile conjicis, difficile admodum ex misera ſtudii anatomici conditione morem me tibi gerere poſſe, non vero defuturum, quin ſi acquirerem, ex templo reſcribam, ubi tum ipſe exſtiſpicia hæc cultro offerre & ipſe Leidam transferre poteris, veritus, ne mihi dein cadavera prohiberentur. Forte proxima ſeptimana puerum adquiram, quem vero adhuc vivere indoleo, cujus caput ſi tuis uſibus valeret, reſcinderem. Ruyſchius hac hora mecum colloquens, retulit, ſe olim ductum ſalivalem in naſo vidiſſe, cujus depletionis locum cum peterem, ſenex vener. loquendo fatigatus, ſiluit. Hæc habeto! cæterum honores mox capeſſendos felici augurio gratulor reipublicæ, & ſcientiarum increſcentium emolumento digniſſimos. Vale! fave! Menſe Febr. 1727.

2.

Eruditiſſimo HALLERO.

B. S. ALBINUS. S. D.

Litteras tuas, Hallere doctiſſime, a Schreibero, amico tuo, quem in elegantioribus auditoribus meis, ſicut te, numero, accepi. Hic cum me certiorem faceret, te Pariſiis degere, meaque ibi, ſi quæ habeam, negotia curare velle, utor hac opportunitate, per te, ſi commodo tuo fieri poterit, ſciſcitandi, num ſinguli Actorum Regiæ

giæ ſcientiarum Pariſienſis Academiæ Tomi incompacti, ut loquuntur, ſeorſim ſoli venales proſtent, & quo quisque eorum pretio. Cognoſces hanc rem ex iptis librariis, vel ex clariſſimo Winslow, vel ex doctiſſimo & humaniſſimo Isnardo, in quos ſi forte incidas, multam eis meis verbis ſalutem impertias rogo. Gratum quoque mihi facturus es, ſi inſtrumentorum, quorum adjunctum vides indicem, pretium quo veneunt, ab optimo artifice acceptum, nuntiabis. Ex eo autem alius tibi naſcetur labor: nam ſi placuerint, quæ reſcribes, nonnullorum mihi comparandorum onus tibi imponam. Quod ſi ex libris, poſt eundem indicem notatis, aliquis tibi occurrat, emas quæſo, mihique opportunitate, quam tibi parabo, poſtquam te emiſſe ſcivero, reddi cures. Ego, quacunque re potero, mutuam gratiam tibi referam. Interim, ut omnia tibi fauſte, feliciter, proſpereque eveniant, precor. Vale! Dabam Leidæ Batavorum, a. D. 11. Novemb. 1727.

3.

JOANNES FRED. SCHREIBER,
Regiomontanus Boruſſus.

Mortalis fata convertere nequit. Haud ergo iraſcere diuturno meo ſilentio, malorum noſtrorum neſcius. Nam nec mens bene valet, ægro corpore. Diu me febris intermittens quotidiana

preſſit, pæne oppreſſit: feliciter tandem profligata cortice Peruviano: poſt tamen, ut ſolet fieri, me ſubinde peſſime habui. Immanis eſt morientium numerus, Amſtelædami & Harlemi, immo peſtis fere ſpecies quædam graſſatur ibidem. Anglus Cock mortuus eſt, elegantemque reliquit bibliothecam, haſtæ mox ſubjiciendam. Cl. Bohlius graviſſime decubuit Amſtelædami, febre correptus continua, ita ut de ſalute ejus jam conclamatum fuerit, aſt tamen ſanitati redditus eſt, poſt uſum ejusdem corticis. Mirare Pariſienſem medendi modum? Hinc vos adceſſurus non eſt, potius hic moraturus per omnem hiemem. Celeberr. Boerhaave ante quinque hebdomadas febrem & rheumatiſmum paſſus eſt una; ac, licet bene jam valeat, nondum tamen legere cœpit, noxiæ tempeſtatis cauſa. Næ; facillime ſe purgat amico amicus! Tres, Vir clariſſime, a te recepi litteras, gratiſſimas omnes. Ibinam, liceret coram a te expiſcari viſa tibi auditaque, quæ plenius mihi perſcribere vetat litterarum anguſtia. Tradidit mihi *Schurer*, homo ſinceræ fidei, Douglaſſium, cui & ſolvi pecuniam. Grates ergo tibi ago maximas: ubi vero ſunt ceteri libri? Ego omnia tibi coemam, quæ juſſeris umquam. Ut me vero refeciſti libro illo: ſic & me adfeciſti tuis litteris, me omni Te umquam videndi licentia fere prohibentibus. Nam & ſequar conſilium tuum, prudens profecto; nec adeedam Pariſios, rebus ſic ſe habentibus, aptud *Albinum* potius ſecturus. Fac, ſi me amas, ut tantum officium alio officio compenſare poſſim.

Aſt longiores litteræ nauſeam crearent. Neque hæ multum adceptæ Tibi, Vir clariſſime, videntur futuræ, quum nullas *Albinianas* incluſas teneant. Nolim, me incuſes; ſexies ab *Albino* litteras petii; & tamen, vanis promiſſis, me fefellit. Habes ergo & aliam ſilentii mei tam longi cauſam, eamque veriſſimam. Teſtor amicitiam noſtram. *Albinus* vero, ſi umquam, nunc ſane diligentiſſimus, publice explicat γενεσιν oſſium, additis quotidie novis demonſtrationibus elegantiſſimis. An ergo intelligis, quanto opere ſervatum mihi favorem Tuum expetam? Demonſtrabis eumdem ſatis, quoties me litteris tuis dignari perges. Et citius reſpondebo in poſterum, & acriorem litteris meis limam adhibebo, quam nunc factum eſt. Impenſe amare cœpi Botanicen, & quantum ad priorem Tomum, (abſit invidia) inſigniter profeceram; ſed, proh! morbo impeditus poſterioribus demonſtrationibus intereſſe non potui. Interim nec Boerhaave caret erroribus in Indice ſuo, nec adtendit propoſitioni logicæ: Cui competit definitio, ei competit definitum: nec negativæ, cui non competit &c. dumque nimis adcuratus noluit eſſe, paullulum characterum negligens factus eſſe videtur. Sed tiro Botanicus hæc ſcribit. Vale & fave! Leidæ.

A. P. C. N. CIↃIↃCCXXVII. die XII. Novembris.

4.

Eruditiſſimo HALLERO, Med. Doct.

S. D. B. S. ALBINUS.

Quod tam celeriter gratificari mihi volueris, gratias tibi ago maximas. Accipis indicem illorum inſtrumentorum, quæ velim ut mihi compares: indicavi, quæ chalybea velim, quæ argentea. Ubi parata erunt, tradas ea, una cum libris, quos invenire potuiſti, Do. Thelluſſon, quem curabo rogari, ut in faſciculum omnia compingat, dataque opportunitate transmittat. Per eundem expenſæ tibi rependentur, ſimul ac ſummam earum mihi nuntiaveris. Non fugit me tuus ille Mylogloſſus, quem ipſe, ſi recordari velis, apud me vidiſti, ſed nomine illo non appellatum. Sunt vero fibræ illæ tenues, quæ per exteriora membranæ oris & pharyngis decurrunt, quas a maxilla inferiore oriri tradidi in Lib. de oſſib. §. III. & quibus apud Douglaſſium Mylopharyngei nomen eſt. Has, quoniam tenues ſunt, ſimilesque illarum, quæ faucium membranam extrinſecus in arcum ambiunt, ad oris & pharyngis membranam potius, quam ad linguam referre malui. De ratione ſyſtoles & diaſtoles cordis hactenus ſic exiſtimo: cor, cum contrahit ſe, brevius fieri, ſic laxari membranulas, quas valvulas tricuſpides appellant, & ſanguinem, qui in cavis cordis continetur, ora verſus agi, eundemque inter ſuperficiem cavi cordis, interque flaccidas valvulas ſeſe inſinuantem,

tem, has explicare, obducereque oris venoſis, muſculos autem valvularum eodem tempore ſe contrahentes, retinere membranulas, atque impedire, ne a vi ſanguinis, qua maxime urgentur, in ſinus nimium agantur. Mox laxato corde, factoque longiore, ac ceſſante cauſa, quæ paullo ante valvulas explicaverat, has & ſponte ſua recidere & retrahi, itaque applicari ad ſuperficiem cavi ſui, & ſimul aperiri ora, quæ novum ſanguinem debent admittere. Quamplurima autem ſunt, quæ hanc rem confirmant: neque eſt dubium, quin tibi ipſi, ſi ſedulo omnia expendere per otium volueris, ita videbitur: eoque, & quia nunc non admodum vacat, plura non addo. Vale, & me, ſi opus habueris, utere! Dabam Leidæ Batavor. a. D. 17. Januarii MDCCXXVIII.

5.

JOANNES FREDER. SCHREIBER,

Indolui valetudinem Tuam, quam in melius jam verſam lætus audivi: utinam illa mihi non ſemper fuiſſet adverſa, nec habuiſſem, quod jam prætendo, reſpondendi Tibi impedimentum. *Hartranft* tradidit mihi librum promiſſum, pro quo & ipſi ſolvi argentum, tibi autem grates quam maxumas, pro tot favoris tui in me teſtimoniis: *Boblio* autem tradidit, ipſo tum hic

præſente, nomine tuo, litteras. Jam diu innotueram Viro illi Lipſiæ: hinc gaviſos nos tibi fingas, ad ſolum conſpectum. Quæ voluiſti, ut de *Albino* quæram, de illo omenti hiatu ſub jecur, per quem adactus flatus expandit, quaqua verſum omne omentum: ſemper id evenire faſſus mihi eſt *Albinus*, in infantibus, non vero in adultioribus. En! tentavit ipſe, hoc anno, privatim, in feminino cadavere XX annorum, hoc experimentum; expanditque, ſpiritu, omentum, nectens bina ventriculo orificia: minime vero turgefecit omentum illud veterum. Addo, fuiſſe, qui, præſentes olim demonſtrationibus *Winslowi* adcuratioribus, adcuſarint *Albinum*, quaſi digito illum omenti hiatum vel defectum fecerit: id quod non dico, me vidiſſe. En! ſtatui, tibi quoque eſſe communicanda, quæ, animadverſa in cadaveribus, hic inciſis, rariora judicavi. Notes ergo, vidiſſe nos omnes, in cadavere mare, in latere ſiniſtro, inſignem vaſorum emulgentium varietatem, nec ipſi notatam *Euſtachio*, nempe vena renalis vadebat tota, ſubjecta aortæ, ad renem: ubi, in eodem cadavere, non prope a meſenterica arteria ſuperiore, ramus ſurſum ibat ad renem. Immo rarum fuit, videre in cadavere feminino, truncos vaſorum renalium omnino ſolitarios, non ramoſos. In eodem ſubjecto, ubi duæ αζυγαι aderant, videbantur eleganter venæ bronchiales, exonerantes ſingulæ in ſui lateris αζυγον: videbatur & vena œſophagæa, in ſiniſtram abiens αζυγον: quæ omnia valde rara habentur. Vidimus in

ductu

ductu thoracico, ubi ad ſubclaviam pervenerat, ſe non inſeruiſſe ſe eidem, ſed rurſum deſcendiſſe, incurvatum, tum rurſum adſcendiſſe, ſicque ſe inſeruiſſe demum venæ notæ. Abfuit quoque ramus nonæ nervorum conjugationis, qui, comes internæ jugularis venæ, ad ſternum uſque deſcendit. En, quæ notarim! Plura vero non ſcio. Inter nova autem potes referre, *Ruyſchii* filium deceſſiſſe, cujus bibliotheca, quantum ad libros botanicos, inſignis, haſtæ ſubjicitur. *Boerhaave* chemiam privatim non legit. Edidit vero jam *Aphrodiſiacum*, ſive de lue *gallica* auctores, addiditque præfationem, 6 plagulas longam, eamque eruditam, ubi adſerit, luem veneream inhærere tunicæ celluloſæ. An adhuc diu morabere Pariſiis? Ego quidem hic hærebo, uſque in Aprilem menſem Intellexi, te non amplius apud Le Dran eſſe, interim neſcius, ubi tuum nunc ſit hoſpitium, litteras ipſi tradendas curavi. Salutat *Bohlius*. Fac, ut valeas ac faveas.

Leidæ, A. P. C. N. CIↃIↃCCXXIIX.
Die XXIII. Januar.

Adceptas ab *Albino* litteras transmitto. Plurimum ſalutes, meis verbis, rogo, *Gesneros* fratres.

6.

Doctiſſimo elegantiſſimoque HALLERO, Med. Doct.

B. L. ALBINUS. S. D.

Gratiſſimum mihi fuit ex tuis, quas hisce diebus accepi, intelligere, coemiſſe te & inſtrumenta, quæ deſidero, & ex libris nonnullos. Acus ab artifice illo, a quo Vigneronem ſuas habere ſuſpicaris, confectas exſpecto. Quoniam forcipem polypicam ex chalybe parare non ſolent, argenteam addas, rogo. --- Legi apud Harvæum, in vivis animalibus apertis cor, tempore ſyſtoles, *undique contrahi, magis vero ſecundum latera, ita ut minoris magnitudinis, & longiuſculum appareat.* Cum vero undique contrahitur, & minus fit, neceſſe eſt, fieri ſimul brevius: ſed quia magis ſecundum latera contrahitur, apparet longiuſculum, id eſt, in ſyſtole, ex ſententia Harvæi, non fit longius, quam prius fuerat, ſed figura oblongum: Hoc ad primam difficultatem tuam. Alteram tibi ſic facile diluam. Muſculi valvularum venoſarum cordis, qui ex interiori parte ventriculi oriuntur, valvulas illas ad ventriculi internam ſuperficiem applicarent, aperirentque oram venoſam, ſi in ſyſtole cor fieret longius; nam & ob longitudinem cordis auctam origo muſculorum illorum magis a margine oræ venoſæ, cui valvularum communis membrana adhæret, removeretur, ac ſic valvulæ

vulæ mucronem cordis verſus traherentur ; & ipſi muſculi, hoc tempore cum corde ſe contrahentes, idem vi magna efficerent. Nunc vero corde ſe accurtante, perſpicuum eſt, minui diſtantiam eorundem muſculorum ab ora venoſa, cui adnexa dicta membrana valvularum, ſic laxari valvulas, laxatasque a preſſo ſanguine poſſe expandi, ad claudendam oram venoſam: muſculos autem valvularum, eodem ſe contrahentes tempore, retinere valvulas, ne vi illa magna, qua a preſſo vi cordis ſanguine urgentur, in receptaculum oræ venoſæ cordis appoſitum agantur inverſæ, emittantque ſanguinem. Ad tertium quæſitum tuum reſpondeo, exiſtimare me, ſanguinem tum in inſpiratione, tum in exſpiratione ex arteriolarum pulmonalium finibus in venularum initia agi: retardari autem, inhiberique, cum pulmones quieſcunt, ſive quieſcant poſt ſummam inſpirationem, ſive poſt exſpirationem, ſive mediis quibuscunque temporibus: unde tunc ſuffocatio ſemper oritur, venæque tument, præcipue in collo & capite, ut cum ſtrangulatur homo, ob impeditum ſanguinis per pulmones tranſitum: quæ res cum naturaliter inſpirantibus exſpirantibusque non contingat, ſatis apparet, utroque illo tempore ſanguinem per pulmones libere meare. His cum tibi ſatisfactum eſſe exiſtimem, nec multum otii mihi nunc datum ſit, finem ſcribendi facio. Vale! Dab. Leidæ Batav. a. D. 20. Febr. 1728.

7.

7.

JOANNES FREDER. SCHREIBER.

Moræ diutinæ amans Albinus tædioſam harum adtulit exſpectationem. Pro communicatis quibuscumque grates ago, acturus ſemper, ſi modo continuare ita tibi ſteterit. Ego quidem optarem, paria ut offerre valerem: ſed bene noſti hic vivendi rationem. Interim rogarem, ut, quæ audiviſti, notaſti Pariſiis, vel notabis in poſterum ad botanicam ſpectantia, fideliter communicares, & quoque, quas de auctoribus vel diſp. botanicis reſcire poteris notitias. Credo, Gesnerum, cui inditus erga id ſtudium amor, in id incumbere: an non pro ea, quæ tihi ipſocum & me intercedit amicitia, ipſi perſuadere conareris, ut & me eorum faceret aliquando participem? Certe novorum quorumcumque nunc inops ſum, quum hic omnibus, tibi notis, idem ſit rerum ſtatus: Angli ſtudioſi, neglectis militibus civicis, conterraneum ſuum captivum liberaverunt. Lugduni Batavorum, A. P. C. N. CIↃIↃCCXXIIX. menſe Februario.

8.

J. FR. BOHLIUS.

Eripuit me divina manus e mortis præſentis periculo, cujus vero in mortales mens conſcia, divine providet. Qui me hodie ſaniſſimum credideram,

dideram, eadem die venenatam ex cruſta aphthoſa mihi tum temporis curanda, peſtem ſenſi, omnia membra velociter percurrentem. Lætor vero de vita, quam divinæ providentiæ committo, & qui te quoque, Hallere optume, fere ſuccubuiſſe ſciam, tibi de cinere reſurgenti lætus gratulor, fata intemerata, perennantemque meritorum tuorum famam vovens. Mundus, qui tibi mihique exilium, animos noſtros, diu jam infucata fide junctos, non una proh dolor! terra frui concedit, unde frequentes querelæ fuere de tua abſentia, immo non ſemel ſuſpiria fudi, de illo fortunatæ meæ conditionis nexu, te ſemel adhuc in vita viſendi. Ego ſtudiis ſemper immerſus hac æſtate de hiſtoria naturali, inſectorum, animalium cogito, qui hieme præterlapſo in diſſecando totus fui. Dum oſteologiam tractaturus, oſſa fœtus unius menſis examinarem, vidi lapſum Kerkringii falſo ſtatuentis, nullam ſuram nec radium in hac ætate, conſervo enim in liquore bina oſſa cruris & cubiti. In fœtu 6 menſ. obtulit ſe mihi novum tarſi officulum ſupernumerarium, vel quartum cuneiforme, quod ſuperficie poſteriori officulo naviculari, priori primo cubiformi metatarſum pollicis ſuſtinente nectebat; ſed hoc naturæ aberrantis lege, ceterum tarſus hujus pedis interventu hujus officuli tenuior longe altero tarſo erat. Eodem tempore cum clariſſ. Albino conſpexeram in fœtu eodem, hiatum vel proprie defectum omenti ventriculi, per quem flatu elevari videram omentum κατ εξοχην in tubera inæqualia, quo Winslow.

illuſtr.

illuſtr. recte deduxit ex pinguedine, variante enim pro pinguedinis copia; dein offerebat ſe occaſio puellæ XIV. annorum diſſecandæ, in ejus omento quoque adhuc hiabat foramen: nunc occupatus ſum, an celluloſam omenti flatu hoc demonſtrarem. Sed quid hiſce immoror, quæ tibi notiſſima. Nova, quæ ſciam, hæc habe. *Ruyſchius* jun. mortuus, ex cujus exquiſitiſſima & librorum & rariorum naturæ ſuppellectile, plurima meis uſibus ceſſere, inter quæ numero veram editionem venetam *Euſtachii* tabulis ornatam, quæ rariſſima docente *Douglaſsio*, in Bibliogr. anat. Teneo quoque editionem venetam, in qua figuræ deficiunt. *Ruyſchius* ſenex infelici lapſu fere fregerat trochanterem majorem, & poſt 4 hebd. adhuc gravi dolorum articuli atrocia decumbit, heri vero egregio præmio, moneta nempe aurea C. aureis conſtante, a Rege Polon. donatus eſt, cujus monetæ effigie regia illuſtris ſplendorem, ipſe mirabar. Meditor verſionem Palfinianæ Oſteologiæ.

An diu commoraberis adhuc Pariſiis? Examina, precor, inſertionem ilei in colon in abortu, vel fœtu, videbis veram valvulæ Bauhinianæ confectæ a natura in fœtu hiſtoriam, quam dein Albinus arte imitatus eſt. Repit enim portio ilei jamjam inſerenda colo per duplicaturam membranæ appendicis vermiformis & meſocoli inſtar vaginæ, quæ membranæ introrſum protractæ formant valvulam, hincque exterius evaneſcunt, arte iterum detrahendæ, ita ut ne quidem valvulæ maneat ſpecies. Dabam Amſtelæd. d. 21. Februar. CIↃIↃCCXXIIX.

9.

JOANNES FREDER. SCHREIBER,

Aut tolle, quæ mihi cum *Albino* ſemper intercedunt, epiſtolarum cauſa, lites: aut fido animoque promto (abſit invidia), negligenti quaſi vel perfido, nolim ſuccenſeas. Quoties vel ipſe ab *Albino* petii litteras, vel quicumque alius, meis tamen verbis? Iraſcor penitus tali vel negligentiæ, vel faſtui. Mihi equidem, vel perire, præſtaret, quam committere vel minimum, quod amici adtentæ menti, inque perquirendos hominum animos perſpicaci, perfidiæ notam, vel minimam, inducere valeret. Nam & diu jam (en amicitiæ rationem!) munera mea implevi: etenim miſi nominato mercatori, præter deſiderata, carmen Burmanni, in ſanitatem Boerhaavii recuperatam elegans; ut & diſſertationem Burmanni cujusdam, hic habitam, de χυλοποιησι: hancque miſi, non argumento ejus motus, ſed ut Te, Fautor clariſſime, convincerem, quam alte adhuc inſideat mentibus ſagaciorum Leidenſium dulcis ſtudiorum tuorum, quam optume hic actorum, memoria: quum diſſertationem tuam dignis ibi celebravit encomiis. Immo vero ineſt nobis, neſcio ipſe quid, quod, dum bene olim actorum recordamur, nobis blanditur, eoque ipſo ad majora calcar addit. Nam & mentes, ab omni quamquam materie alieniſſimæ, æque ac corpora omnia, ab externis, modo, mihi quidem

dem haud perſpecto, dependent; hisque, conſpirantibus vel adverſis, modo ſurgunt altius divina ingenia, modo cadunt in ſentinam plebis. Fata ergo tua, propitia ſatis, ſi reputo, eademque ſi meis comparo, abunde adverſis, quorſum abripior? Si enim vel ſcirem, majorem Euphorbo corpori meo olim inhæſiſſe ſpiritum, quid mihi tamen nunc? Stratam ſane humi viam mihi prævideo. Poſt ſat magnam argenti jacturam in patria adceptam, omnibus deſtinatam bonis, coactus fui tamdiu hic hærere, nec ante Junium me hic movebo. An Tibi tam firmatus animus, ut talibus, omni inexſpectatis modo, non dejiceretur? Poſt, ſpero, Amſtelædamum adibo, unde omnia Tibi ſignificabuntur. Stehelinus ille, quem laudas, ignotus mihi, forte tibi quædam aperiret, quorum me participem reddes, ſi me amas. Quæ de plantis ſiccatis & ad Hiſt. natur. pertinentibus ſcripſiſti, mihi plus optabuntur, quam exſpectabuntur: nam & ſcio, quam ſpinoſa res ſit, humi repere. Hæc ergo a gratia tua, optumorumque Gesnerorum dependeant. Ego jam cœco quaſi amore feror in plantas; quoque magis eas cognoſco, eo magis deteſtor Boerhaavii methodum, inſuffieientiſſimam & negligentiſſime ſcriptam, &, quantum ad adcurationem, Tournefortianæ omnino poſtponendam. Sique citius & mihi incidiſſet cogitatio, quam nunc foveo, credo, me pene totum dediſſe Botanicæ. Ruyſchii theſaurus, inſcriptus Academiæ Pariſinæ membris, in quorum numerum & is adſertus eſt, mox prodibit.

Albinus

Albinus mihi narravit, ſe reperiſſe ingentem truncum arterioſum, perforantem humorem vitreum, perque eum adſcendentem, & coronantem ſuperficiem humoris cryſtallini: annon ergo Boerhaave falſam vaſis cryſtallini adſcripſit originem. Ego quam officioſiſſime ſaluto Gesneros fratres. Vale, Vir doctiſſime, diu, & fave, & mitte, ſi quæ habes, & perſcribe methodum Bernoulli, qua docet Geometrica. Lugduni Batavorum, A. P. C. N. CIↃIↃCCXXIIX. die XIIX. Maji.

10.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Eadem jam mihi accidit, Vir clariſſime, de quo in ultimis tuis ad me Baſilea menſe Aprili datis, ipſe conqueſtus es. Exiſtimabas ſcilicet ex meo ſilentio, litteras tuas ex Anglia, Galliaque ad me miſſas intercidiſſe; cum tamen ad illas reſpondere diſtulerim, quod neſciverim, ubi tanquam extero tibi, in ampliſſimis iſtis urbibus Londini & Pariſiis, easdem exhiberi quiverint. Ego vero ſub finem menſis Aprilis, mercatori cuidam Baſilienſi, cognato ni fallor D. Paſſavantii, & ſi recte commemini cum illo homonymo, literas tibi exhibendas concredidi. Solicitum me hactenus tenuit tuum ad has meas ſilentium: idque eo magis, quod in ultimis ſcripſeris: „Expecto tuas (agnoſcis verba tua?): ut de Anglia quædam

referam non ita vulgaria.“ Scis quantum tuis ſemper delecter literis: dabis hinc veniam meo deſiderio, ut repetitis hiſce tuas provocem. Quod ſi vero iſtæ meæ perierint, tua pace momenta earum paucis jam repetam. Poſt calidiſſima pro tua ſalute & felici in patrium ſolum reditu vota, quaſi amico animo, ut hiſtoriam itineris tui literarii cum publico communices, & eodem ſic pluribus utilis fias. Deinde petii abs te, ut me doceas, qua fronte illuſtriſſimi Helvetiæ fœderatæ Ordines auſus meos in inſcribendo illis libellum iſtum Conringianum de H. C. G. C. exceperint, cum ad hanc uſque diem hac de re nondum certior ſim redditus: denique quid in illa tua peregrinatione audiveris ſententiarum de controverſia Wolfiana, tam acriter nuper agitata, num Angli, atque Galli, Wolfio aut ſuis adverſariis faveant. Hæc erant literarum contenta. Quod nunc nova literaria attinet, Dresdæ Joh. Georg. Henr. Kramer, qui, ni fallor, Archiatri munere fungitur apud Electoratus Saxonici Principis hæredis uxorem, nuper edidit libellum inſcriptum: Tentamen botanicum, ſive methodus Rivino-Tournefortiana, herbas, frutices, arbores omnes facillime abſque antegreſſa ulla alia informatione cognoſcendi ex flore, fructu, florisque ſitu, figura primaria vel ſecundaria, tempore & loco florendi, ita ut quilibet ex primo intuitu cujuslibet plantæ florentis, ſive ruri ſive in hortis obviæ, illam ſtatim nomine ſuo proprio nominare ſciat &c. Artificium nempe ad hæc fundamenta redit: notavit Vir ingenioſus quænam plantæ

v. gr. flore perfecto ſimplici regulari monopetalo campaniformi præditæ, menſe Junio floreant, has per formam tabellarum cum differentiis ſuis ſpecificis diſpoſuit, & ſic porro cum aliis proceſſit. Putat vero idem, hoc ſuum artificium toti Germaniæ quadrare, ſed fallitur egregie. Saxoniæ tantum ſuperiori reſpondet. Quas enim plantas v. gr. Junio florentes enumeravit, has fere omnes jam apud nos menſe Majo læte florentes conſpeximus. Miror hinc eo magis ſolertiſſimum Virum id non animadvertiſſe, cum illum ex Franconia ortum noverim. Cl. Heiſterus Helmſtadio nuper dono mihi miſit diſſertationem, qua partum XIII meſtrem pro legitimo venditat, ac nullum certum partus tempus aſſignari poſſe aſſerit. Caſus nempe hic fuit, ut illum in compendio referam. Mulier juvencula ſecundum votis conjugalibus cujusdam ſenis ſe addixerat, quo brevi poſt tempore mortuo, mox ab illius morte medico ſuo ſe gravidam eſſe fatetur, ejusque conſilium prophylacticum expetit: omnia graviditatis ſigna adfuiſſe dicuntur: ſed peperit demum XIII menſe. Plurimis id negotium ſuſpectum viſum fuit, ſed defenſum a Facultate medica Helmſtadienſi, cujus argumenta in dicta diſſertatione enumerantur illuſtranturque. Subjunxit quoque Heiſterus mantiſſæ loco, eamdem mulierem alii viro (qui priori marito mercatori a mercaturæ ſervitiis erat) nuptam, binis adhuc vicibus fœtum in XIII usque menſem geſtaſſe, adeoque eo ipſo primum ſuum partum legitimum fuiſſe comprobaſſe. Sed reſpondi Cl. Heiſtero,

quid ſi bini poſteriores partus XIII meſtres ſimulati fuerint, quo prioris fraudi fucum adderent? Similem ceterum caſum mihi obſervare contigit in muliere, quæ fœcundo jam plurium annorum matrimonio gaudebat, ſed fœtum ſuum prægrandem in XII uſque geſtavit menſem: nec falli potuit, nam per octo continuos & integros menſes motum fœtus perceperat, nec fallere opus habebat, in matrimonio jam diu vivens, nunquam abſente marito. Transmiſi illum (caſum) Cl. Kanoldo, annalibus Uratiſlavienſibus inferendum, ubi propediem comparebit ſecundum omnes circumſtantias deſcriptus. Caute procedendum eſſe mihi videtur in ejusmodi obſervationibus cum publico communicandis, ne furtivis amoribus in præjudicium ſæpe integrarum familiarum vergentibus Medicus patrocinari videatur. Hisce vale & me mox tuis exhilara literis. Deproperabam Francofurti ad Mœnum, d. XV. Junii 1728.

II.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Reſponſoriæ Tuæ mihi ſemper gratiſſimæ, citius mihi redditæ fuere, quam iteratæ meæ quibus illas provocare ſtudebam, Tibi, Vir experientiſſime, exhiberi potuerint. Non potui hinc non commode hac occaſione illud tibi ſignificare, propitiosque viales in ſuſcipiendo proxi-

me itinere alpino precari. Flagro jam deſiderio benevole promiſſa in itinere illo tuo annotanda mecum communicanda legere, cum nihil non eximium abs te expectem. Accipe interea quædam nuper a me obſervata anatomica. Vir quidam ſupra quinquagenarius, plebejus, ebrius, per ſcalam domus ſuperiorem contignationem petens, ex octavo vel nono gradu ſupinus in lithoſtrophum decidit, ac in ipſo caſu, caput in regione temporum vel ad loricam ſcalarum, vel ad unum alterumve ſcalæ gradum graviter allidit. Jacuit aliquamdiu ſine ſenſibus. Mox accerſitus Chirurgus venam ſecat, & ſanguinem largiter emittit. Redit ad ſe æger, ſed intercurrunt levia deliria cum ſomnolentia. Sic ſibi relinquitur in ſextum uſque diem. Tunc ego, cum omnia in pejus ruerent, ne nullum accerſitum medicum fuiſſe videatur, omnia fere deplorata reperio. Examinatis rite omnibus circumſtantiis, ac cum Chirurgum, quod nullam in capite læſionem externe animadverterit, ſacculos diſcutientes adeo hic proficuos omiſiſſe intelligerem, in inſtanti jubeo, ut hi cito & ſedulo apolicarentur, & ægro manubrium cochlearis ſtannei quod ad manus erat, mordendum porrigo, quod abſque incommodo præſtare potuit: præſcribo ſimul interna: ſed omnia incaſſum: verſus octavum diem moritur æger. Impetrata plurimis perſuaſionibus a vidua facultate aperiendi caput, mox ſub muſculo crotaphite in oſſe bregmatis dextro, aliquot lineis ſupra ſquamoſum, & quidem in eo puncto, ex quo ad exortum oſſis zygomatici lineam ad per-

pendiculum ducere licet, fiſſuram os bregmatis ultra pollicis cum dimidio latitudinem perfecte penetrantem, & antrorſum cum horizonte parallelo itinere in facie cranii interna ſupra orbitam ad criſtam uſque galli fere excurrentem, & orbitam perfecte etiam dividentem obſervavi. Sanguis extravaſatus nullus quidem notabatur, ſed ſub cranii elevatione, aquæ loturæ carnis ſimilis unciæ circiter ſex emanabant. Ceterum cerebrum apparenter optime ſeſe habebat. Mirabar vero, quod æger cochlearis ſtannei manubrium adeo fortiter abſque incommodo mordere potuerit. Alterum quod nuper obſervavi mihique notatu dignum viſum fuit, erat Vir quidam ſexagenarius, qui per longum admodum tempus de dolore in regione veſicæ colli querebatur, mingebat ſæpe ſummo cum dolore urinam nunc fœcibus cereviſiæ non diſſimilem, nunc lixivioſam, concurrebant jam diu molimina hæmorrhoidalia, ac utrumque malum varia ſchemata formabat. Æger multos & multa adhibebat. Curabam ego nuper regionem colli veſicæ per anum explorari, referebat Chirurgus ſe tangere globum minori ovo gallinæ ſimilem & durum: facile mihi perſuadebam, vitium hærere in corpore proſtatarum tumefacto. Quærebam ex ægro per ambages, an aliquando hac in regione mali quid perpeſſus ſit: meditabundus me intuens negabat. Exiſtimabam an aliquando forſan gonorrhœa virulenta male curata laboraverit, animus tunc fuiſſet mercurialibus malo obviam ire. Diſſuadebant vero hanc curam ſenectus ægri, vires jam fractæ, & quod

malum

malum per plures jam annos duraverit, nec non quod tale quid prægressum fuisse negaverit, quale explorare tentaveram. Et consulto omissa fuit hæc cura: non multum enim post fatis cessit. Impetrata a familia licentia dissecandi corpus quantum ad cognitionem morbi spectaret: macie maxima parte consumtum erat: in inguine dextro ex livido cærulea macula imperialis magnitudine conspiciebatur. Viscera sat sana erant, hepar in limbo ex cæruleo virideſcebat: ren sinister dextro longe mollior, cetera bene se habebant. Ast in pelvi vesica erat inanis & corrugata: corpus vero prostatarum, ut primum jam conjecturaveram, tale deprehendebatur ac jam dictum. Dissecabam illud, & cellulæ ejus, loco mitis illius liquoris quem continere solent, turgebant materia tenaci fere sebacea. Videtur hinc mihi materiam hanc stagnando successive acrem factam, a vi quadam, cum per ductulos suos in urethram exstillaret, dolorem illum supra notatum excitasse, sub mictione semper exacerbatum. Et hæc fuerunt, quæ hac vice Tecum communicare volui. Placuit Tibi, Vir experientissime, mihi nuper significare, quod hinc inde recensiones eruditas libelli illius Conringiani a me editi legeris: quæso! quænam & ubi sunt illæ? quantum ego scio, nemo præter Act. Erud. Lips. auctores dignatus est, quid de illo ad Eruditos referre: nec quantum ille meus est, meretur etiam. Cupidus jam sum ex Te intelligere, quantum per amicos, ut promittere voluisti, resciveris, qua fronte Illustr. Helvet. Ordines illum

exceperint: quod iſti enim omnes ſuperiori adhuc anno congregati fuerint, ex novellis jam dudum didici, ac haud ita pridem etiam aliunde certior factus ſum, quod itaque libellum acceperint, prorſus non dubito. Vale & res tuas ex voto perage. Iterum vale. Dabam Francofurti ad Mœnum, d. 22. Junii 1728.

12.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Eximium, Vir politiſſime, binis amœniſſimis tuis, Tiguro & Berna ad me exaratis, hiſtoriam tam literariam quam phyſico-medicam univerſæ pene Helvetiæ, eleganti dictionis genere adumbrantibus literis mihi attuliſti oblectamentum. Et feſtinans quidem tuus propter varia negotia calamus literarum characteres non ubique ſatis exprimens, dum ſic tuas legendo hæſitarem, bis eadem quam jam deprædicavi jucunditate me perfrui fecit. Luctum interim ex fratris tui præmaturo obitu tibi enatum, tuumque iter quod ingreſſus eras literarium interrumpentem condoleo. Servet te Deus cum ornatiſſima tua familia ſalvum & incolumem. Accepi nuper Heiſteriani Compendii anatomici editionem tertiam, & forte in ejus perluſtratione in pag. 255. incidi, ubi contra Palfinum de bilis per ductum cyſticum itu redituque diſputans auctor, analogiam hujus

jus motus in veſiculis ſeminalibus proſtare, adeoque de dicto bilis per unum eundemque ductum ingreſſu atque egreſſu minus dubitandum eſſe contendit. Ingenue fateor, non capio, quid per hanc analogiam in veſiculis ſeminalibus intelligat, & qua ratione in iisdem per unum eundemque canalem liquor ſecretus ingrediatur & egrediatur. Miratus etiam ſum, quod p. 294. & ſqq. copioſe iterum contra foramen membranæ tympani Rivinianum differat, poſtquam Cl. Teichmeyerus in vindiciis quorundam ſuorum inventorum anatomicorum, quas cum Leidæ adhuc degeres ni fallor tibi transmiſi, idem contra Waltherum Anatomicum Lipſienſem ſtrenue propugnaverit, quodque & ego, auditor quondam Teichmeyeri, non ſolum pluries ab illo demonſtratum vidi, ſed & ipſe iisdem omnino circumſtantiis ac laudatus Teichmeyerus deſcripſerat, reperi. Non minus p. 262. ſeq. ſubſtantiam uteri in gravidis craſſiorem fieri obſervationibus probare nititur, cum tamen non niſi moles humorum uterum permeantium in gravidis augeatur, quod nempe ipſa diſtentione uteri gravidi & diameter quoque vaſorum increſcat, adeoque plus admittat humorum, quam extra graviditatis ſtatum fieri ſolet: craſſior hinc quidem fit uterus, ſed ſubſtantia ejus, quæ proprie eſt muſculoſo- membranoſo- vaſculoſa, ob ejus diſtentionem & puncta contactus fibrarum imminuta, omnino tenuior fit. Taceo plura alia paradoxa viſa mihi dogmata, quæ fugitivo ſaltem oculo in dicto notaveram libello. Vereor, ne

aliquando Heiſtero id accidat, quod ipſe Verheyeno præſtitit. Audio Mauchartum Tubingenſem Anatomicum, utut Heiſteri quondam diſcipulum, præceptorem hunc ſuum, data quavis occaſione carpere. Proxime elapſis nundinis noſtris, nonnemo, Eſcheris mercatoribus Tigurinis ut audio primi ordinis a mercaturæ ſervitiis, eorum nomine mihi exſolvit . . . quærenti mihi unde & quare hoc mihi fiat, reſponſum datum, fieri id pro dedicatione cujusdam libelli: inde demum intellexi Illuſtriſſimos Helvetiæ fœderatæ Ordines, exiguum huncce meum in edendo Conringiano illo ut noſti libello laborem, tanti æſtimaſſe. Incluſas nuper recte curavi. Hisce vale, & quod facis favere mihi perge. Scrib. Francofurti ad Mœnum, d. 19. Octobr. 1728.

13.

JOANNES FRED. SCHREIBER.

Excuſabis, Vir amiciſſime, tamdiu retardatas, easque, celeri calamo, exaratas literas. Poſteaquam d. 18. Junii promotus eſſem, conſilio quorumdam Saandami me contuli Medicus: ſed ibi nullo modo mihi placebat laudatum tantopere conſilium. Deſertus ibi jam ab amicis ac libris, verti Douglaſſium, fallendi temporis cauſſa, & adſcripſi tabb. Euſtachianas, quem, huc rediens & per 8 hebdomadas hic moratus, Boerhaavio & Albino inſcriptum edidi. Jam, futura ſolis, abibo

abibo in Germaniam, & forte Lipſiam, per Franequeram, Hamburgum &c, hinc occupatiſſimus ſcribo. Significabo Tibi, ubi degere conſtituero. Bohlius, præterita ſabbathi Dresdam adit, Ruyſchii nomine, Poloniarum Regi theſauros anatomicos venditurus. Inde vel Profeſſoratum, vel regia dona alia ſperat. N. N. quem ſæpius amicum expertus eram, hora ante abitum ſuum, me coegit, ut, ob 110 Flor. Belg. debitum, ſubſcriberem me, intra 14 dies, ſub librorum meorum jactura, ipſi ſoluturum: licet ſciret, me non habuiſſe argentum præſens. Ultima ergo ſuaſit neceſſitas, ut optumos quosque libros, proh! viliſſime venderem, Deo vindictam committens. Boerhaave edidit hiſtoriam aliam morbi atrocis, ubi ſub ſterno, ſteatoma enorme reperit. Trillerus, Doct. Med. Hallenſis eruditiſſimus, directione Boerhaavii, novam orditur Hippocratis operum editionem, notis medico-criticis inſtructam: cujus jam ſpecimen dedit in libr. de anatome. Quæ omnes ceteras certe quam longiſſime antecedet. Erit in 4. 2 vol. Conſtabit 30 fl. Luchtmans & Haak impriment. Cetera quæ ſcio, quam plurima, non poſſum, ob defectum temporis perſcribere. Tibi ex animo fauſta quævis voveo. Vale. Leidæ. A. P. C. N. d. 9. Novemb. 1728.

14.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Quod ſuſpicatus fueram, cum ultimas meas Tibi ſine dubio redditas exararem fore, ut dum illæ meæ Baſileam tendant, tuæ interea mihi deſtinatæ Francofurtum petant, id revera hisce diebus accidit. Jure quereris de ſilentio meo, diuturno tibi viſo: aſt nulla ſuppetebat materies ſcribendi, & literis inanibus moleſtus eſſe nolebam: illa vero vix impetrata, mox en enata fuit epiſtola, quam ceu ſpero jam legiſti. Ad deſiderium tuum cum primo curſore publico Coſchwitzii continuationem ſuarum obſervationum circa novum ipſi viſum ductum ſalivalem hic mitto. Invenies illum & facultate latine ſcribendi & ſolidis argumentis deſtitutum. Et quamvis ſe p. 15. jactet, quod per triginta abhinc annos plura & hominum & brutorum ſecaverit cadavera, certo tamen ſcio, quod artis diſſecandi cadavera parum ſit peritus. Dabo tibi ejus rei ſpecimen, ſub ſilentii tamen fide & pro tua ſaltem notitia. Cum ego anno 1721. ſtudiorum gratia Halæ commorarer, accidit, ut urſus cum canibus in gratiam variorum ſpectatorum ſæpius certamen committere cogeretur, ita ut tandem viribus exhauſtus exſpiraret. Hunc emit Cl. Coſchwitzius, ut in commodum ſuorum auditorum diſſecaret. Ego, qui ejus ſcholas nunquam frequentaveram, ſpectatorum hu-

jus

jus exercitii anatomici numerum augebam, & ecce, Anatomicus iſte, quo venæ portarum ſitum & radicum pariter ac ramorum illius diſtributionem auditoribus ſuis & ſpectatoribus monſtraret, ſcis enim quantum hoc vas Stahlianis dogmatibus innutritis exiſtat idolum, cera replere cuncta tentaverat. Quod ut commodius & aptius perficeret, meſenterium undique ab inteſtinis liberaverat, & ipſam hanc venam ab hepate reſecaverat. Quam belle nunc injectio in truncum hujus venæ ſuperne & inferne tentata ſucceſſerit, ex hisce facile intelliges & peritiam hujus Anatomici in dicta arte æſtimabis. Si Cl. Henricus Baſs, Medicinæ Profeſſor Hallenſis, artis anatomicæ & chirurgicæ peritiſſimus tanta polleret facundia ac Coſchwitzius gaudet, vel hic eadem quam modo in Baſsio laudavi peritia inſtructus eſſet. utrique melius conſultum eſſet. Hisce vale, & ſi qua de indole ſcripti Goelickiani mihi oppoſiti inaudiveris, quæ reſcire mea refert, quæſo reſcribas. Iterum vale. Dab. Francofurti ad Mœnum d. 18. Decembr. 1728.

15.

J. F. SCHREIBER.

Diuturni ſilentii mei cauſſas adcipe, V. C. iter ſat longum, ut & alia, quæ modo alicubi advenienti adcidere ſolent. Abii Amſtælredamo d. 14. Nov. 1728. indeque per Monaſterium, Pa-

Paderbornam, Caſſellas adveni: ubi per 14 dies moratus ſum. Adii hinc Wolffium: ac ultimo, Jenam, Vinariam, Gotham, Erfordiam & Iſenacum transeundo, meam petii Lipſiam. Jenæ toties conveni Teichmeierum, qui me omni plane ſua gratia dignatus eſt. Quum ipſi adhuc e cadavere pedis planta ſuperſtes eſſet, demonſtravi ipſi muſculos: omniaque ut ſolent, inveni, præter ſex tendines ligamenti plantaris: quorum duos ad pollicem daret formantes vaginulam pro longi pollicis flexoris tendine: ceteri ad reliquos digitos. Vix Lipſiæ aliquantum moratus, convenit me Bohlius, Dresda redux, qui Regi Poloniarum pro 20000 flor. Belgicis præparata Ruyſchii vendidit: qui quoque Rex putatur illum in Belgium remiſſurus, ut reportet Dresdam, ibique Ruyſchianorum præparatorum curam habeat. Wedelius, Jenenſis, mox dabit Medicinæ inſtitutiones, more geometrico demonſtratas. Morand edidit gallice Paris 1729. 8. Traité du haut appareil: ubi ſubjuncta ejusdem argumenti diſſertatio a Winslow, ubi plurima nova anatomica de peritonæo, de veſicæ ſitu, tam plenæ, quam collapſæ. Walther hic edidit Tr. de muſculis, ligamentis & articulis pedis in 4. cum fig. ubi plurima bona: præcipue circum ligamenta. Idem hicce præſtantiſſimus Anatomicus dixit mihi, ſe aliquoties levatorem ſcapulæ in plures partes diviſum, quod ipſe mihi olim notaſti. Diſcurſum Boerhaavii, quem in horto, plantarum occaſione tenet, etiam jam impreſſum vidi, ſed ſemel tantum, Romæ 1728. 8.

Alius

Alius Cramer, D. Med. edidit Dresdæ in 8. 1729 Tentamen botanicum, ope cujus omni tempore ſtirps quæcumque cognoſci poteſt: diviſit ſecundum menſes: ſic qui ſcit, quid flos perfectus, quid tri, vel tetrapetalos, inveniri poteſt illico. Multum ſane uſum ſpondet hic liber: ſed nollem inde cognoſcere ſtirpes: multas ob cauſſas.

Doleo, quod in ultima ſua *απολογια* Coſchwitz dixerit publice, *Te parum honeſte* ipſocum egiſſe. Annon injuria? Adii ipſum, eique nomine tuo, reprobavi eruditis inſuetum talem morem. Quibus varia regeſſit. Sed tamen noluit præparata oſtendere. Sic omnem rem confici poſſe dixi: ſi eſt valvuloſus ille ductus, eſt procul dubio vena: ſi non habet valvulas, eſt certe ductus Coſchwitzianus. Sed problema illud jam ſolvit Ruyſchius, ſic ergo ſatisfactum eſſet. Aut, an plane ibi impoſſibile, detegere valvulas? Promiſiſti quoque exſiccatas ſtirpes; eas ſane ſi ſaltem Francofurtum promoveres, Burggravius, cui quoque litteras nunc ſcripſi, eas Lipſiam facile curaret perferendas, ſaltim hisce nundinis paſchalibus. Mittam tibi eodem tempore exemplar verſionis meæ Douglaſſianæ. Vale, meque amare perge. Dab. Lipſiæ A.P.C.N. CIↃIↃCCXXIX Die 8vo Februarii.

16.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Si Profeſſorum Medicinæ veſtratium aliorumque celebrium Medicorum icones æri inciſæ & expreſſæ apud vos venum proſtant, quam maxime cuperem ſingulorum copiam pro me coemeres, ſumtus erogandos & lubentiſſime & promptiſſime cum multa gratiarum actione refundam. Multum delector iconophylaciis, quale jam dudum & mihi inſtruere inſtitui. Alter jam agitur annus aut pene elapſus eſt, cum Cl. Gohlius in præfatione ad volumen VII. decad. II. Actor. medicor. Berolinenſ. publice deſideraret & iconem & βιογραφίαν, aut alterutram ſaltem, Helvici Dieterici, Archiatri quondam Brandeburgici, variis meritis, inprimis quod paulo ante Harvæum ſanguinis circulationem obſervaverit inclyti, ab harum rerum ſtudioſis ſecum communicari. Icone carebam, βιογραφίαν vero ex ejusdem Dieterici Vindiciis contra Ottonem Tachenium paulo rarioribus, tum aliunde excerpſeram, in ordinem redegeram, & Gohlio transmiſeram, addita epiſtola, qua uſus Iconophylaciorum præcipue morales tum & medicos exponere allaboraveram. Qua occaſione non poſſum non monere, haud diſplicere mihi inſtitutum Franciſci Joſephi Burrhi, qui omnium Magnatum, qui ejus conſilia pro ſanitate recuperanda expetebant, icones quam accuratiſſime & nitidiſſime pictas ſibi ſimul transmitti

mitti deſiderabat, aſſeverans, ſe intuitu harum de conſtitutione corporis accuratius judicaturum. Non nego & alia ab hoc fine multum aliena hunc virum hiſce petitis intendiſſe, cum ſatis conſtet, quam egregie fumum vendere ſciverit: inſtitutum tamen non omne damno. Sed ut ad Gohlium redeam: iſte nec reſpondit mihi, nec Dieterici curriculum vitæ Actis ſuis inſeruit. Mirabar rem: neſciveram vero illum ſub pſeudonymo Urſinus Wahrmund delituiſſe, quem, ut noſti, quoad doctrinam de ſpir. nervoſi exiſtentia eodem tempore depexum dederam: ſed ex Goelickii Vindiciis contra me illud demum comperi. Hinc Gohlium tum temporis eisdem meis literis, ad omnes ceterum humanitatis regulas compoſitis, magis punxeram quam mihi devinxeram. Videbatur forſan ipſi, me ſimulaſſe ac ſi ignorarem illum auctorem eſſe dicti libelli, quod revera neſciveram, ille vero neſciebat diſſimulare. Ceterum quod certamen cum Goelickio initurum me attinet, nuperrime calamum opuſculo horis ſucciſivis admovi: curabo ut inſtantibus nundinis prelum adhuc ſuperet. Quemadmodum vero refutationes non tam in eorum qui refutantur, ſed lectorum gratiam inſtitui debent, ut errorem per ſuos characteres agnoſcant illumque declinent: ita & ego in id allaborabo, ut vindicias meas ejusmodi publicis uſibus accommodem, ſecus ac fecit Goelickius, ex cujus univerſo ſcripto mihi oppoſito plane nullus uſus in lectorem redundat: & tamen non erubuit in me carpere, quod, ſi controverſam theſin contra me

urgeret, tota controverſia mea culpa ſperato privaretur fructu. Mittam tibi aliqua exemplaria Tibi & Miegio, Stehelino, Zwingero, clariſſimis Cathedræ Veſtræ Medicæ Profeſſoribus dicata, ut eorum favorem mihi concilies. Hisce vale, res tuas feliciter perage, & me amare perge. Scribebam Francofurti ad Mœnum die 22 Martii 1729.

17.

I. R. ZWINGER.

Intellexi non ſine dolore ægritudinem, quæ inde a nona vel decima hujus Te male habet. Tecum ſentio febrim eſſe tertianam ſimplicem & exquiſitam, quæ a tranſpirationis defectu ortum duxiſſe videtur, niſi forte a parte victus aliquid admiſſum fuerit nocivi, quod tibi optime notum eſſe debet. Periodum ſervat, ut ſcribis 45 horarum, vid. a principio unius paroxyſmi ad principium ſequentis, ſic enim d. 10. poſt meridiem h. 3. die 12. hora 12. & die 14. hora 9. &c. acceſſit. Calor intenſus in acceſſionibus, cum dolore capitis, anxietate, ſiti, inſomniis, interdum etiam nonnullis deliriis ſatis eſt vulgaris, ſæpe etiam hæmorrhagia, præſertim in ſubjectis temperamenti calidioris. Morbus hic iſto menſe ſatis frequens eſt, tum apud nos, tum alibi, ut obſervo, ſed nullius periculi, aut difficultatis, ſi bene tractetur. Si primæ viæ carent vitio, neque emetico, neque alvi ductione opus eſt.

Si

Si vero cauſæ ſtomacho inimicæ præceſſerunt, ſi cruditatis ſigna adſunt, amarities oris, nauſea, dolor præcordiorum, ſputatio frequentior, vertigo quædam ſympathica &c. tunc die ἀπυρεξίας ipecacuanha prodeſt, vel ſyrupus emeticus. Sin inteſtina appareant onerata vitioſis quisquiliis, blanda catharſis juvat, ex potione rhabarbarina vel ſale anglico, vel alio purgante moderato. Ante acceſſiones clyſmata emollientia & detergentia conducunt. Si vero ſalvo ſtomacho & inteſtinis tranſpiratio defecerit, indeque ducta ſit febris, tum ſane mihi omnis cura ad reſtitutionem τῆς διαπνοῆς convertenda videtur; in quem finem ſudori in fine acceſſionum, vel etiam die vacua, ſi ſponte erumpat, indulgendum modice, diluente addito ad faciliorem ſucceſſum, cum nitro & alcalino terreo pulvere, ad moderamen tenendum. V. G. miſcendo aquæ cardb. fl. ſambuc. tarax. cichor. borrag. ſcabioſ. ſex unce cum ſyrup. fl. papav. cor. unc. ſem. viol. drachmas duas diaph. matr. perl. ppr. nitr. depur. drachm. ſem. ut in paroxyſmo cochleatim pro lubitu capiatur. Extra paroxyſmum convenient pulvis ex oculis cancr. matre perl. arcano dupl. & ſal carduibened. ad part. æqu. ut ſingulis 6 horis ſcrupuli duo cum aqua capiantur, ſimulque decoctum aliquod rad. cichorii, tarax. ſcorzon. gramin. cum raſ. cornu cerv. & ebor. Si vero ſatis purum corpus videatur, & parum materiæ morbificæ ſubeſſe, uſus corticis Peruviani quacunque forma conveniet, ſeu pulveris, ſeu electuarii, ſeu decocti vel infuſi, vel etiam extracti,

ſyrupi &c. Illud monendus videris, ne amplius ſanguinem mittas. Deinde ne refrigerantibus vim febris nimis obtundas, quod ſolutioni ſalutari obeſſe poſſet. Medio tutiſſimus ibis. Finita febre ad redintegrandas vires, & tranſpirationem firmandam, ſuaderem balnei calentis moderatum uſum. Ægra, cujus caſum mecum communicaſti, bene faciet, ſi in juſculis aperientibus & antacidis pergat, ſucceſſus ſive aliquis, ſive nullus novam indicationem forte ſuppeditabit, enemata ipſi frequentia commendarem. Nec balneum videretur alienum eſſe, ni quid ſingulare repugnet. Deus te quam proxime ſaluti reſtituat Vir exper. Vale. Dabam Baſileæ d. 17. Junii 1729.

18.

I. R. ZWINGER.

Doleo febrim Te adhuc male habere. Videtur benignæ indolis eſſe, & non longe duratura. Imo ſi cortex genuinus & optimæ notæ fuiſſet, forte jam febris ceſſaviſſet, plerumque enim ſi ſimplex eſt, intra uſum unciæ unius cedere & evaneſcere ſolet. Quia multum materiæ morbificæ non ſuperat, bene foret chinkinam ulterius proſequi, donec nulli paroxyſmi redirent. Tunc autem uſus Balnei Habsburgenſis vel Badenſis foret conveniens, vel etiam alius balnei calentis, quo reſiduum febris diſſipari, & vires redintegrari poſſent. A ſpiritu vitrioli mallem abſti-

abſtinere, ne pectori officiat. Acetum vel omitterem, vel parce admodum miſcerem, ob eandem rationem. In gratiam ſtomachi conduceret uſus corticum aurantiorum vel in conditura, vel in eſſentia, vel in pulvere, aut infuſo, vel ejus loco eſſentia abſynthii compoſita, vel ſimilis alia. Si corticem adhibere velis, oportet non modo aquam infuſam, ſed & ipſam pulveris ſubſtantiam accipere, ſi de effectu certior eſſe velis. Si ſtomachus corticem recuſaret, in ejus locum ſal ammoniacus depuratus vel ſales lixivi cum ocul. cancr. mane, merid. & veſp. ad unc. ſem. tenere poſſet. Si locum mutare volueris, lectica vel rheda vehi die vacuo nihil noceret. Medicamenta poſſes Arovia vel Brugia per legatum Tibi comparare, imo etiam ex vicinia medicum tibi jucundum accerſere ad majorem fiduciam, & firmandum ſpe animum, qui etiam in medicis quandoque deficere ſolet ægrotantibus. Si aliæ circumſtantiæ te non detineant, noli moram nectere amplius, ſed vel in balneum te confer, vel huc migra ocyus, ut eo citius atque bono cum Deo felicius convaleſcas. Vale. Dabam d. 29. Junii 1729. Baſileæ.

19.

JOH. GESNERUS.

Dum ad binas gratiſſimas tuas ſæpius reſpondere cogito, neſcio qui fiat, ut hac vel illa cauſa

ſemper fuerim impeditus: cogitavi brevi hinc Baſileam proficiſci, ſed variæ cauſæ, imprimis Parentum conſilia & preces exſpectatione multo ſerius me hic detinuerunt. Culpam quam omiſſo ſcribendi officio committo deprecor, impoſterum frequentioribus literis, in quibus nunc defui, penſaturus. De ſanitate penitus recuperata ex animo tibi gratulor, eam perpetuo conſtantem apprecans. Quæ mecum communicaſti nova ex Rep. literaria, cum inſigni voluptate perlegi. Doctiſſimas imprimis tuas de atheismo & ſuperſtitione meditationes perlegere cuperem, ſi earundem aliquando copiam mihi facere liceret. Boerhaavii opuſcula & prælectiones frater ex Gallia attulit, in iisdem pariter plurimos deprehendi errores ne puero quidem concedendos, præcipue in Botanicis, unde procul dubio Cl. Boerhaavius ſummum faſtidium cœpit. Accepi & Douglaſſii Myographiam, quæ uſibus Anatomicorum maxime accommodata mihi videtur, imprimis quum Cl. interpreti (Schreibero) viſum fuerit addere citationes, obſervatiunculas & methodum, quam in demonſtrandis muſculis totius corporis humani Cl. Albinus adhibet. Quantum autem vellem, ut communi noſtro amico D. Schreibero infortuniis adeo agitato grati quicquam præſtare poſſem. Quæ in tenui poteſtate mea poſita ſunt lubens ipſi conſecrabo. Simulac Baſileam redux factus ero, faſciculum plantarum alpinarum ad D. Burggravium transmittam, ut inde ad eum devehi poſſit. Brevi ad priſtinum vitæ meæ genus redibo, a

quo

quo hactenus per plures hebdomadas invitus deviavi. Datus hic quidem fuit collectionibus plantarum & fossilium aliquando locus, sed & id animum hebetare valet. Sequenti die Lunæ Basileam adire cogito, ibi Dissert. meam inauguralem, quæ amplam de exhalantium corporum natura & efficacia materiam pertractabit, compositurus: ex meorum (qui te omnes plurimum salutatum cupiunt) maxime consilio. En quædam specimina excerptorum apud Cl. Bernoullium; quæ superfunt proxima occasione transmittam. Videbis ex iis, qua ratione Newtoni Algebram valde deproperans nobiscum ad finem deduxerit. De constructione æquationum lineari deinde nobiscum acturus erit. Lubentissime & hæc transmittam una cum iis, quæ aliquando de calculo infinitorum docebit.

Dabam Badæ Helvet. ad d. 2. Septembr. MDCCXXIX.

20.

JOH. GESNERUS.

Nuperæ literæ tuæ infucati erga me amoris tui testes fuerunt luculentissimi, quod meas, quas longe serius quam oportebat ad te misi, prompta responsione fueris dignatus. Poëma illud de superstitione & atheismo te sane dignissimum paucis abhinc diebus Exc. D. Stehelinus mecum communicavit, unde sane fructum cepi haud vulga-

rem, dum ſermonis perſpicuitate atque gratia materiam tanti momenti exhibeat, & utinam mihi datum fuiſſet, cuncta eo quo ſcripſiſti animi penetrantis acumine proſequi. Ocyus Cl. Stehelinus illud tibi reddidiſſet, niſi D. Car. Drollinger (qui te illud ſibi promiſiſſe ajebat) paulo diutius quam par erat retinuiſſet, accedit quod negotiis jam plurimis, ſæpeque faſtidii plenis detineatur. Collegium experimentale phyſicum ante paucas hebdomadas auſpicatus eſt, potiſſimum Cl. s'Graveſande ductum ſequitur, experimentis omnis generis cuncta confirmans. Quæ exinde quo Baſileam redux factus ſum, apud Cl. Bernoullium acta ſunt, adeo ſunt pauca ut reſervare ea malim, usquedum plura accedant: ea quæ adhuc ſervas quamdiu tibi utilia eſſe poterunt, retinebis, miror ſane qua ratione adeo in deſcribendis Algebraicis operam agredi potueris. De conſtructione æquationum lineari & inveniendis locis geometricis agit, & brevi ut ſpero calculo differentiali initium faciet. Novum nunc diſcipulum habet Pariſienſem Geometram & Soc. regiæ ſcientiarum ſocium *, inde & honoris & emolumenti plurimum ſibi præſtolari videtur. Hac hebdomada Cl. Miegius Anatomen in cadavere muliebri demonſtrare cœpit, aliquando & ego præparationibus & demonſtrationibus interfum. Optamus cuncti, ut provinciam anatomicam Bernæ quam brevi adminiſtrare queas, inde enim rei anatomicæ emolumenti

* *Maupertuis.*

menti plus allatum iri certiſſimum eſt. Quod virginis hectica decumbentis curam feliciter ſuſceperis, Bernenſes quidam Badæ jam pridem mihi retulerunt. Lætus video quantum & in augenda bibliotheca tua labores, mea ſane nil quicquam novi accepit.

Dab. Baſil. ad d. 27. Sept. MDCCXXIX.

21.

JOANNES FRED. SCHREIBER,

Diu multumque deſideratas a Te exſpectavi litteras, quæ tamen, Aprili ſcriptæ, hoc ipſo mihi demum menſe traduntur. Perſpexi inde, Te in dies in anatome profectus facere, ad quam te naturalis inclinatio jure impellit: ego vero quid hic agam, neſcio. Adhucdum nemini proſum: & inter 4 parietes, ut ſæpe mihi fieri ſuevit, ſtudia mea ſequor. Interim Deo committenda omnia reor: is enim mihi demonſtravit, quæ mihi bona certa in hoc univerſo futura eſſent, eadem in hoc univerſo poſſibilia non eſſe. Coſchwitzius quidem jam ante 3 menſes diem ſuum obiit, necante ipſum angina gangrænoſa. An in ductibus ejus ſalivalibus malum reſederit: neſcio: id ſcio, ad linguæ radicem malum originem ſuam incepiſſe. Jam quieſcant, ſi placet, manes ejus: ne mortuo inſultaſſe leoni dicaris. Id vero non reticendum: quam primum ejusdem apologiam contra Du-

vernoi teque legiſſem, iratus, conceſſi Halam, dixique, me admodum ægre ferre, quod, contra omnium litteratorum morem, tecum egerit: neque illa, quæ in te evomuit, ſua demonſtratione commendari. Rogavi tum, ut & mihi magnum illud ἕυρημα oſtenderet, quod vero conſtanter negavit, adfirmavitque, ſe nulli mortalium amplius illud communicaturum eſſe. Duplicem ob cauſſam iratus, perrexi ad ipſum: me habere præparationem, unde pateret, ductum illum ſalivalem eſſe revera venam: nimirum, me ſic eum præparaſſe, ut valvulæ ejus conſpici queant. Fateor, non, niſi figmenta hæc omnia fuiſſe: interim ſuggerebat mihi tum talia quædam ulciſcendi cupido. Tum ille: id ſi ſibi demonſtrarem præparatum, ſe mihi & propria lubenter oſtenſurum eſſe. Nolebam vero hoc pactum: nam nec eram, qui promiſſis ſtare valebam: tumque adjunxit: non tantum te, ſed & omnes tuos amicos parum honeſte ſecum egiſſe. Putarim vero & certo illic valvulas adeſſe. An Douglaſſii meam verſionem videris: neſcio. Cl. Bohlius jam degit Gedani: inque horto Kleiniano multam occaſionem nactus, & in botanicis, & in naturalibus proficiundi. Transmiſit hac hebdomade, iconem, æri inciſam, *cacaliæ aizoidis*, *nerii folio Kleinii*, quam Boerhaave dubius ad Tithymaloides retulit; poſteaque, ob foliaturam, a cacalia diverſam, *cacaliaſtrum* vocandam eſſe putavit. Credidi, me hanc ipſam plantam adhuc hac hebdomade in horto Boſiano vidiſſe: omnino reſpondet

ſpondet iconi: ſed flos hic numquam viſus. Munus tuum botanicum ſumma animi gratitudine adceptabo, utinam & obſervationes quasdam vel botanicas, vel anatomicas communicares. Immo, ſi quæ habes, Actis Erud. inſerenda, fideliter procurabo. Quomodo vero Bernoullius tecum egit? Haud dubio erit ſingularis methodus, quam, credo, dies noctesque pervolverem. Fac, tibi mutua det Acta Petropolitana: quæ, ut ſocius Academiæ, haud dubie poſſidebit: nec invenies, a D. Duvernoi prolata, niſi nova omnia, eademque ratione admodum παραδοξα: de vaſis lacteis: eorum decurſu: ut & duplici thoracico ductu: ut & venis lacteis, in elephante nullo modo conſpiciundis. Interim dedit novum modum, ductum thoracicum in inguinibus quærendi. Gratulationem ad te moliebar, quum, vere ineunte, mihi narraret Hartranft, te Tiguri Profeſſorem Anatomes conſtitutum eſſe. Ille vero hic feliciter obſtetricatur: necdum Doctoris titulum adſumſit. Buxbaum in centuriis ſuis plantarum nova retulit genera, diu jam cognita. Boerhaavii, qui chemiæ ac botanicæ valedixit, chemia mox prodibit. De cetero: cura res tuas feliciter: meque veteri tuæ amicitiæ ſemper habe commendatum. Lipſiæ A. P. C. N. CIↃIↃCCXXIX. die XIX. Julii.

P. S. Joa. Ranby invenit a. 1725. ductum Valſalvæ ad teſtes, eſſe in viris 2 arterias ad paraſtatas: in feminis vero ad ovaria porrectas.

Waltherus

Waltherus hoc anno hic vidit 4 jecorarias arterias, quarum 3 a ſiniſtro cœliaræ ramo ad epar ibant, capſulæ Gliſſonii non incluſæ, hancque conſtantem putat obſervationem. Si tibi occaſio, inquire, an verum ſit, quod toties dixit Albinus, nervum intercoſtalem non cohærere cum quinto pari: id enim falſum ſi foret, multum mutaret meam de fletu tractationem, quam hic Joh. Zachariæ Platner, Profeſſ. Phyſ. oppoſui.

22.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Poteró officiorum humanitatis & amicitiæ negligentior quam promerui forſan videri, quod ad binas tuas humaniſſimas literas adeo tarde reſpondeam. Aſt enim vero permagna ægrotorum copia, quam noſtra hac æſtate dolet civitas, & frequentia ad vicinas aulas itinera, me adeo diſtraxerunt, ut quam maxime invitus literas ad te exarare nequiverim. Graſſatur nempe apud nos per totam æſtatem ſpecies febris continuæ remittentis, typum tertianarum imitantis; tertia nempe quavis die æſtus exacerbatur. Non minus per totam jam æſtatem diarrhœæ & dyſenteriæ homines vexant. Hanc mihi ego formavi morbi ideam, & ſecundum eamdem operor. Gelida, ſicca, & perquam diuturna hyems, quem-

quemadmodum omnes corporis noſtri canales & humores conſtrinxit, atque condenſavit, ita non minus calidum & ſiccum ver, & fervida ac ſicca æſtas, vaſa & ipſos humores inprimis in diatheſin acrem & alcaleſcentem reſolvit, liquidiores partes diſſipavit, vaſaque debilitavit: hinc vel ſponte vel ad levem etiam cauſam occaſionalem, machina corporis noſtri in motus febriles concitata fuit. Ad hæc omnes fructus horæi, ob ſerum ſed perquam calidum ver & ſubſequentem fervidam æſtatem in negotio ſuæ maturationis præcipitati fuerunt, & omnes maturationis gradus non perfecte tranſierunt. Ea propter omnes eorum moleculæ non æqualiter, quædam nimis, quædam non ſatis maturuere. Comeſti hinc iſti fructus non potuerunt non in primis mox viis corrumpi, ut etiam pluries obſervaverim, quod poſt aliquot horis tormina & diarrhœa ſubſecuta fuerint. Felici cum ſucceſſu ſub initium propinavi ipecacuanham, ſic ingens ſemper humorum viſcidorum & bilioſorum ſaburra exterminata fuit: mox in corporibus plethoricis venæ ſectionem inſtitui curavi. Tum inter alia egregie ſe geſſit cortex caſcarillæ vel cum ſale quodam digeſtivo neutro anatica portione, vel cum aliquot granis nitri puriſſimi mixtus. Nec ipſe ego, quamvis ſolicitam obſervans diætam immunis manſi, ſed cum bini iſti Nobiles a Wattenweil & Bonſtetten tuas mihi tradi curarent literas, lecto adfixus hæſi, ut quod valde doleo, ipſis nullo modo inſervire potuerim.

Vale. Scrib. Francof. ad Mœn. die 19. Sept. 1729.

23.

JOH. GESNERUS.

Jam ante octiduum cum ad Te ſcribere deſtinaveram nimis ſero tum intellexi nuncium quem *die Meſſagerie* vocant, jam eſſe profectum; accipis itaque hac occaſione ſemina plantarum deſiderata. Hæc ab Horticola comparavi, multa verum ex iis quæ petii & ex rarioribus Horti medici mihi videbantur, non habuit, vulgatiorum vero plantarum ſemina nolui petere. Valetudinem tuam adhuc imbecillam vehementer doleo; ſolent ut noſcis talia, quæ ſentis, ſymptomata corporis animi laboribus defatigati poſt morbum plerumque eſſe pediſſequæ. Frater meus virum ſimili morbo decumbentem vomitoriis lenibus curavit. In Newtoni Algebra poſt problema illud de lapide Cl. Bernoullius non aliud explicavit, ſed mox ad æquationum reſolutionem atque conſtructionem progreſſus eſt. In mechanicis adhuc quædam de motu centripeto &c. &c. ſuperſunt, quæ ut exiſtimo nondum vidiſti, quæ ſcripta ad te mittam una cum ſect. I. & II. exceptorum in calculum differentialium, quem cœpimus abhinc duabus ſeptimanis. Tarde admodum progreditur, ſed ad conſiderationem curvarum egregia addit, non tamen absque quod pro more ſæpius repetita repetat, ut vix ſpes ſuperſit finiendi calculum differentialium, multo minus ad integralem procedendi. Si per tempus licuiſſet excepta deſcribendi

bendi hac vice ea transmitterem, ſed negotiis hinc inde præpeditus præſtare non potui. Errorem in probl. quem notas conferam, ſi excepta ad manus habuero. Vellem ut diſtincta magis eſſent excepta mea, ſed ut noſti aliquando ipſe Bernoullius non ſatis ſe explicat, & præſertim ad finem Newtoni ipſe multa non aſſequebatur. Veſalium tandem accepi a D. Miegio, cui Biſchoffius primo tradiderat, pro eo ſummopere me tibi devinctum agnoſco. Quod novis autem beneficiis me cumulare velis (utpote donario illo Newtoni) ſane erubeſco, dum tanta mihi pro tuis in me collatis beneficiis præſtanda adhuc ſuperſint, ut ſciam vires meas perexiguas iisdem remunerandis non ſufficere. Diſſertationum a ſe editarum ſpecimina ſe habere negat Cl. Bernoullius, in ea per aliam viam inquiram. Diſſertationem meam ad finem perduxi, ſed antequam imprimi curavi, Tigurum transmiſi ad fratrem. Anatome felicibus auſpiciis hic cœpit. Caput maſculinum, cadaver puerile 2 annorum & cadaver fœmininum omnia cera injecta ſunt: iisdem præparandis & demonſtrandis Cl. Miegius, Königius, tum & ipſe detinemur. Sectio Maniaci nonniſi actio practica erat. Omnes optamus ut Anatomes nobile negotium quamproxime aggrediaris. D. Huberus ſenatoris filius, Bernæ tum apud te anatomæ operam dare cuperet, quem ut acciperes per me tum ipſe tum D. König rogatum te cupiunt. En curvarum ſpecimina, quæ hinc inde conjecta perfeci tuis uſibus deſtinata. Et hic Lithantracum

vena

vena nec adeo fertilis ut ea apud vos detecta eſt. D. Schobingerus Pariſiis tandem redux St. Gallum petiit per Baſileam; opus anatomicum Cl. Winslowi ſub prelo ſudare ait, cæterum vix multa attulit nova; te officioſe ſalutat. Subinde cum Stehelino colligendis plantis & foſſilibus operam do. Mitto tibi ſpecimen oſtreorum, non multum a marinis recedentium, hic repertorum in luto. Dabam Baſil. ad d. 8. Novemb. 1729.

24.

JOH. GESNERUS.

Literas tuas amicitiæ & amoris erga me totas plenas & poſtmodum manuſcripta Bernoulliana recte obtinui; vellem nunc quæ reſtant me transmittere poſſe. Verum negotiis vix differendis huc usque detento, lectionibus mathematicis deſcribendis locus non erat; eas vero paulo accuratiori ſtudio quam prius apud Cl. Bernoullium excerpſi, ut deinceps aliquando prompte deſcribere queam, id quod mox facere aggrediar, ubi negotiorum, quæ mihi præſenti tempore inſtant, cumulo liberatus ero. Parentes atque omnes, a quorum conſiliis ego pendere ſoleo, me exhortantur, ut ante auſpicia novi anni tum pro gradu diſputem, tum & Doctoris inſignia accipiam, quam ob rem nunc in eo potiſſimum deſudo, ut id fiat quam proxime. Noſti inſuper plures hic ritus plus negotii candidando

didando faceſſere quam alibi, componendaque oratio inauguralis, quam elegi de uſu matheſeos in medicina. Cæterum in anatomicis ſingularem hic operam pono, ut præcipua pars temporis matutini præter matheſin huic ſtudio deſtinatum ſit. Reſtat deinde ut meis proxime reddar. Frater cariſſimus Med. Doctor nuptiarum fidem dedit filiæ celebris apud noſtrates mercatoris D. Ulteri *, quas contrahet ad initium proximi Februarii, quare deliberandum nunc erit, qua ratione ego medicinam ſim proſecuturus, an ſolus an cum fratre, quibusve conditionibus, quæ ut ſcis me abſente fieri non poſſunt; vides quantum mihi adhuc expedienda reſtent. Ultra definitum nunc tempus apud Cel. Bernoullium collegiis mathematicis vacare animus non eſt, præſertim quum jam perſpicerem, calculum infinitorum finito tempore apud eum abſolvi non poſſe, paucam ideo partem in Hoſpitalio explevimus; cæterum fundamenta in hisce lectionibus tradit, ut ſperem ad intelligendum librum nos aliquando idoneos futuros. Calculum integralem nunc deſcribo, qualem in lectionibus privatis manuſcriptum dedit Ill. Marchioni Hoſpitalio, quem ſi deſideras, ubi ad finem erit perductus, ad te mittere potero: reliquas lectiones certiſſime deſcribam, modo negotiorum turba aliquantulum ero ſublevatus. Omnes qui te norunt vehementer cupiunt, ut anatomici profeſſoris apud Bernenſes vices agas quam primum, inde adeo ut æquum eſt plurima utiliſſima inventa

* *Jacobus* celebris clinicus.

ta de re anatomica ſibi præſtolantur. Amicus noſter communis D. D. Stehelinus cum Tribuno plebis D. Falknero Solodurum profectus eſt, proxime vero ut ſpero redibit. In doctiſſimo Schreibero ſane miratus ſum, quod medicinam ad metaphyſicorum cogitationes ita cogere velit, quodque in iis, quæ tam diu recepta ſunt, adeo multa variet. In materia fletus, quæ vix quidquam cum Matheſi (ſi methodum mathematicam qua tradi poteſt excipias) commune habet, problemata algebraica vix quæſiviſſem; neſcio ſane an verum matheſi in medicina pretium ſtatuat. Plantæ alpinæ diu jam eidem deſtinatæ ſunt, & hucusque occaſione eas ad eum transmittendi deſtitutus ſervavi, cum epiſtola & diſſertatione mea ad te transmittam, ut data occaſione accipiat. Nova quæ mecum communicaſti, lætus intellexi, ut & in poſterum id facias omni opere te rogo. Bourgetus & hic proſtat, ſed quum liber inanibus potius conjecturis, quam ex obſervationibus collectis ratiociniis refertus ſit, parum æſtimatur; ipſe quidem non legi, ſed eum apud D. Bernoullium obiter inſpexi. Quatuor jam cadavera hic ſecavimus, fæmininum, duo maſculina, & infantile; novi vix quicquam obſervatum, niſi quod ſinus longitudinalis duræ matris duplex repertus fuerit in infante.

Dab. Baſil. ad d. 2. Decembris 1729.

25.

JOH. GESNERUS.

Accedit tandem ad Te, Vir amiciſſime, promiſſum diu de exhalationibus ſpecimen inaugurale, quale inter plurima negotia parum otioſus concepi, pauca ut ſcio ibi reperies, quæ lectione tua digna ſint, ſaltem ſpero Te illud ut opuſculum, quod ab amico proficiſcitur, accepturum eſſe. Illud ex ſententia noſtratum potius quam mea tale ut cernis confeci, ſcis his aliquando magis quam propriæ voluntati obſequium dandum eſſe; alias plura levia quæ ibi occurrunt omiſiſſem. Die 19. Decembr. oppugnantibus D. Stehelino, König, Scholl, Martino defendi. Doctoris inſignia accipere hactenus non licuit, quum promotor meus Celeb. D. Miegius rheumaticis doloribus vehementer excrutiatus, graviter jam ultra binas ſeptimanas decumbat; primus morbi impetus in latera factus pleuritidem mentiebatur ſpuriam, inde in pedes proceſſit, miſſisque his in pectus, pulmones & diaphragma. Venæ ſectionibus ſæpe repetitis migravit in claviculam, ſcapulam, digitos, ubi nunc ſedem fixit, cum tumore digitorum acerbiſſimos cauſans dolores: niſi ad ſanitatem perductus ſit ante diſceſſus mei diem, ſub camino, ut ajunt, gradum Doctoris accipere cogor. Apud Cl. Bernoullium in ſectione IV. calculi infinitorum verſamur; excepta ubi deſcripſero confeſtim ad te mittam. Ultra binas hebdomadas vix hic degere cogito, apparatus enim

nuptiales fratris mei jamjam præſto ſunt, & omnes me præſentem cupiunt. Mitto ad te faſciculum plantarum alpinarum cum exemplari diſſertationis meæ pro Cl. Schreibero, quæ data occaſione ipſi exhibeantur curare ut velis rogo. Quid de anatomicis nunc apud te agitur? hic omnia ſilent ægrotante Cl. Miegio. Vale, Vir amiciſſime, & me, ut conſueviſti, ama. Dab Baſil. ad d. 23. Decembris MDCCXXIX.

26.

J. GEORGII GMELIN excerptæ & collectæ Novitates (ſic) ex litteris Petropolitanis.

Num. I.

Dnus Buxbaumius, menſ. Auguſt. an. pr. diſceſſit ab Acad. in patriam revertens. Ille quatuor nova plantarum genera deſcripſit, & quatuor dubiæ hactenus ſedis plantas ad genera ſua redegit.

Nova genera ſunt Badaja (Ruſſicum vocabulum), Lupinaſter, Poliifolia & Serpillifolia.

Badaja eſt planta ſui generis, a quis perpetuo ſubmerſa, ſpongioſa, ex multis fibrillis herbaceis quaſi contexta, fragilis, & digitis, ſicca imprimis friabilis, qua in re differt a ſpongia, cujus tenax textura & veluti ex lana compacta. Præcipuam autem differentiam conſtituunt grana rotunda

tunda quibus Badaja referta eſt, quæque pro ſeminibus haberi poſſunt. Et hæc etiam ipſam ab Alcyonio ſeparat. Tres ejus ſunt ſpecies: Badaja major, cujus figura in Loeſel. Fl. Pruſſ. exſtat ſub nomine Muſci aquatici ceratoidis. Badaja minor, & cinerea, quam ultimam Rajus Hiſt. 81. vocat Spongiam ramoſam fluviatilem Newtoni.

Lupinaſtro ſunt folia inſtar lupini digitata, flores papilionacei in capitulum longo petiolo ex foliorum alis egreſſo ſuſtentatum congeſti. Siliquæ longæ, depreſſæ, ſeminibus reniformibus fartæ.

Poliifolia eſt plantæ genus flore arbuti, fructu Ciſti, deſcriptum jam a J. B. ſub nomine Vitis ideæ affinis Poliifoliæ montanæ, & Rajo ſub Ledi paluſtris noſtratis flore arbuti.

Serpillifolia a C. B. in pr. Campanula Serpillifolia vocat, quod nomen & Tournefortius retinuit; differt vero a Campanula fructu, qui eſt capſula oblonga, ovata, fæta ſemine unico, albo, ſimilis figuræ, in medio ſecundum longitudinem ſulcato; hæc capſula præterea inſtructa eſt duobus foliolis hiſpidis ceu ſcutis: flores infundibuliformibus magis quam campaniformibus accenſeri merentur.

Dubiæ ſedis plantæ ſunt

Juncifolia ſub aquis repens, cochleariæ capſulis Raj. ſyn. Alſine verna Androſaces capitulis C. B. Pr. Ceratiæ quodammodo affinis Benghalenſis, foliis bigemellis, ſubrotundis, ſiliquis admodum intortis & in orbem circum flexis nigri-

cantibus, fructu rubro macula nigra insignito Pluk. Phyt. gr. Et Equisetum junceum nigrinodum Cap. bonæ spei, an arundinis gramineæ aculeatæ Alpini genus? Breyn.

Prima est genuina Alyssi species, & nuncupari potest Alyssum paluſtre folio Junci.

IIda ad Androsacen pertinet & ideo vocanda Androsace montana flore minore.

IIItia ad Cristam Pavonis Breyn. seu Poincianam Tournef. inst. referri meretur, licet vim aliquam patiatur Tournefortii definitio, quatenus stamina & calycem adjungit, numerosa equidem in hac adest staminum congeries, sed non sunt incurvata & multo breviora, quam cristæ Pavonis Breynii. Inferius quoque calycis folium aduncum deest. Adde in ea, quæ hic ad cristam Pavonis reducitur, petala esse acuta, manifeste irregularia & colore diversa, superius enim viride omnium maximum, lateralia duo paulo angustiora, inferiora vero angustissima. His quidem obstantibus huc refertur, imprimis quia Crista pavonis nondum specierum multitudine laborat.

IVta denique species cum qua idem esse videtur Juncus africanus lignoso calamo, ad nodos involucris nigris circumvoluto panicula arundinacea ex Promont. bonæ spei. Pluk. Mant. ad gramineum genus reducitur, vocanda Scirpus africanus equiseti foliis.

Præ-

Præterea dum de Androſace ſermo eſt, ejus ſpecies nova quædam eſt, quæ inſcribitur Androſace africana flore magno; ei radix craſſa albicans, recta, in terram acu deſcendens: Folia ſubrotunda, crenata, leviter incana, determinate naſcentia, intra quæ prodeunt caules aliqui rotundi, virides, foliis deſtituti, niſi ſuperius, ubi corolla foliorum exiguorum non crenatorum cingit flores monopetalos, quinquefidos, albos.

Num. II.

Ex Caſtoris Anatome a Dre Duvernoi inſtituta quædam recenſentur, nempe: dum ſedulo inſpiceret receptacula, quibus naturaliter Caſtoreum continetur, quæque aliis quibusdam duobus receptaculis ſuper incumbunt, invenit in iisdem liquorem flavum vel ad hunc quidem colorem inclinantem, caſtorei odore præditum, & natantes in eo paleas diverſique gèneris res, concoctu difficiles, tales propemodum quales in ventriculo ejusdem animalis ipſius occurrebant. Hac obſervatione iisque, quæ ab autoribus jam præoccupatæ ſunt, evincere contendit, hæcce receptacula forte data eſſe, ut parvorum ventriculorum inſtar quædam ramenta alimentorum in inteſtinis reſidua, caſtorei ope diſſolvant ac incidant, poſteaque immediate ſanguineis vaſis ſuper ea ambulantibus infundant.

Num. III.

D. Duvernoi diſſertationem inſeruit Tomo II.

Comm. Ac. de glandulis in corde Elephanti repertis in ſuperficie membranæ ventriculos cordis inveſtientis iisdem in locis, ubi intra foſſas ſeu lacunas cordis proceſſuum ſpecie ſe inſinuat, ſolitarie diſperſis, orificioque excretorio, quod nigri punctuli facie ſeſe manifeſtat, intra cavitatem ventriculorum vel lacunarum hiantibus. Uſum earum conſiſtere credit in ſecernendo humore quodam coccineo, qui inſerviat lymphæ & chylo in ſanguinem convertendis. Impulſu enim primo cordis, quocunque is modo fiat, exiſtimat membranam ventriculos ſuos cingentem utpote tenerrimam affici primo loco debere, quæ glandulis queis ipſa ornatur neceſſario etiam affectionem hanc imprimere debeat, ut ex oſculis ſuis exprimatur liquor quidam in cavum ventriculorum, ſupponendoque hanc primam liquoris ſecretionem, ante omnes alias præter impulſum cordis functiones, & aſſumendo per obſervationes omnia in embryonibus antequam pulſus cordis inceperit, alba & excolora apparere, mox vero rubra quam primum pulſus inceperit: concludit, hunc liquorem eſſe cauſam ruboris adeoque coccineum.

Num. IV.

In nervis elephanti maximis obſervabatur:

I. Nervum eſſe filorum in circulum diſpoſitorum funiculum ſeu faſciculum.

II. Singula filamenta pinguedinis manifeſto folio ſeu lamina obducta.

III.

III. Inter prædicta filamenta ſingularia commercium inſtar ductuum communicantium per transverſos funiculos, qui ex uno filamento enati altero implantantur.

IV. Omni licet adhibita cura, diverſisque enchiriſibus opticisque inſtrumentis optimis applicatis nulla cavitas.

Noli certo credere, elephantem deſtitui vaſis lacteis. Syllogismus enim: Non vidi, ergo nec eſt, meo judicio non valet. Deſcriptio ductus Thoracici elephantini non adeo poterat eſſe accurata, ob varias mihi notiſſimas rationes. Deſcriptio ductus thoracici humani multum novi haud continere videtur. Exiſtimo enim, in quocunque ſubjecto eam poſſe variari, novamque adornari, ut variæ illius ductus injectiones me edocuerunt. Sed noſti, quid præjudicia valeant. Originem lacteorum e valvulis inteſtinalibus egregium inventum judicarem, ſi demonſtrationem mihi videre contigiſſet. Varii luſus cum injectione ductus thoracici facti ſunt. Problema hoc erat: injicere ductum thoracicum ſine ulla corporis apertura. Solutio hæc eſt: in inguine fiat intra vaſa lymphatica injectio. Sed & ipſum autorem hujus ſolutionis eventus quandoque fefellit, vel ob exilitatem vaſorum, vel, quod cadaver non diſpoſitum erat. Hisce diebus ſubitaneam viri mortem ex apoſtemate aortæ, mox ubi e corde egreſſa eſt, rupto ortam vidimus.

27.

JOANNES FRED. SCHREIBER.

Acceptæ mihi fuere litteræ Tuæ, Amice, quæ, cura communis amici Burggravii, mihi traditæ ſunt. Fideliter Tibi omnia ſcribam, prout in mentem venient. Prælego hic Mathematica & Medica. Sed hæreticus Medicus audio. Scribis, me nova moliri. Utique, ſi menſem Novembrem Act. Erud. Lat. Lipſ. a. 1729. inſpicere placuerit; perſpicies, me promiſiſſe *Elementa Medicinæ*, *Geometrarum more conſcribenda*, ut quæ ultimo Ontologiæ Wolfianæ innitentur: quo promiſſo in Medicina vel ipſe nihil ſcio majus. Sane, dum in illo elaboro opere, fatendum mihi eſt, vix unum Medicorum in meas iturum partes. Ita ſane abhorrent omnia a veteri loquendi more. Malui vero elementa hæc, Euclide præeunte, partiri in libros, in quibus naturalem ordinem ſervare conſtitui: ſcholæ ordinem amantibus ſatisfaciente indice. Amplum librum de prolegomenis præmiſi: quorum Cap. I. aget de homine in genere. C. II. de vario humani corporis ſtatu: ubi generaliſſime ago de morbo, ſanitate, vita & morte corporis humani. Quod ſane caput mihi difficillimum fuit. Notio virium mihi hic multum profuit. Doceo, ſanitatis morborumque cognitionem mathematicam eſſe poſſibilem. Tum ago C. III. de Medicina in genere: ubi oſtendo, medicinam dari naturalem & artificialem: Inſtitutiones vero medicæ continebuntur

buntur ſub Phyſices definitione: medicinam vero definiam per ſcientiam dirigendi vires corp. hum. ad ſanitatem. Ex qua ſola definitione omnia ſequentia derivo. Declarabo ἀδυνατον eſſe, hominem in omni caſu poſſe eſſe medicum; &, in quantum illa ſcit, in tantum illum eſſe medicum &c. &c. Rigorem Euclidis per omnia ſervare ſtudeo. Phyſiologiæ meæ initium facit tractatio de fibra in genere. Waltherus noſter edidit Tr. de muſculis & ligamentis, pedem dirigentibus. In eo bona ſunt, quæ poſt Galenum, de ligamentis repetit. Cetera jam diu nota fuerunt. Edidit in Programmate novam arteriæ cœliacæ delineationem, quam & inſertam videbis menſi Januar. Act. Erud. Lat. Lipſ. 1730. Vidi &, eo ſecante, truncum arteriæ cœliacæ, ex arteria meſaraica ſuperiore oriundum, quod nemo notavit ante. Vidi &, quod rarum, hemisphæria duo cerebri anterius concreta. De cetero, quæ de muſculis quibusdam ſcio, non nota hactenus, reperies in recenſione Douglaſſii mei, quam indidi Act. Erud. menſ. Sept. 1729. Quæ Duvernoi habet in Act. Petropol. vera non videntur. Ex Mathematicis nil novi; tua exſpecto. Quantum ad Botanicam, Tu ſane me es melior Botanicus. Interim ſemel prælegi hic, multis præſentibus, anatomen plantarum: atque ea occaſione, aliquid in chartam conjeci, quod quoque geometricum videtur. Cepi tum conſilium, parandi mihi *præparata Anatomica Botanica*, quod futuro vere exſequi conabor. Recepi ante ſemeſtre a Bohlio Gedani æri inciſam plantam, nempe tithyma-

thymaloidem, frutescentem, foliis nerii; quæ figura demonſtrat, plantam Cacaliæ generi eſſe ſubjectam, prout jam monuit Klein. Forte Actis Erud. inſeram hæcce omnia. Cl. Walther vult, nervum intercoſtalem ſemper oriri a quinto pari. Atque hoc eſt curioſum obſervatum ejus, quod mihi nuper retulit, venas vertebrales non eſſe arteriarum ſuarum in canale, qui per proceſſus vertebrarum transverſos, comites: ſed eſſe in canale magno, per ipſa vertebrarum corpora facto. Buddeus Berolini edet *ſelectiorum obſervationum, varias Anatomiæ partes illuſtrantium Decadem* I. ex Theatro Regio Berolin. cujus tam fundationis, quam præſentis ſtatus brevis enarratio hiſtorica præmittitur. 1. Tumor veſicæ urinariæ, absque prolapſu, plane ſingularis, nec prius deſcriptus. 2. Nitida in venas injectio, ſecretionis urinæ negotium pulcre expediens. 3. Omentum totum tendineum & undiquaque peritonæo firmiter junctum. 4. Stomachus foramine rotundo exeſus, labiis collapſis. 5. Teſtium hominis pulcra præparatio & explicatio. 6. Singularis epiploceles ſpecies. 7. Curioſa hydroceles ſpecies, ſeu duplex hernia in uno loco, ubi præter proceſſum peritonæi prolapſum & dilatatio vaginalis teſtium tunica ab albuginea valde remota, herniam de novo exhibet. 8. Scroti, methodo Rau præparatio, explicatio. 9. Corporis reticularis Malpighii & papillarum, cum ſtrato vaſorum, rubro liquore undique repleto, & ſub cuticula pellucente, in lingua humana demonſtratio; eſt rarum hoc, ſi verum. 10. Ligamentorum

torum femur cum crure nectentium anatomica adumbratio. Hambergerus mihi nuper Jenæ obtulit elegantiſſimam diſputationem de venæ ſectione, quatenus motum ſanguinis mutat. Ibi nova experimenta. Mitte mihi futuris nundinis per Gotſchallum tua nova: ego per eum tibi omnia mea remittam. Sed da tamen operam, ut omnes eruditionis perſpicientiæque tuæ fructus agnoſcant. Si quæ habes, indenda Act. Erud. tuo nomine tradam, & curabo, ut tibi juſtus per omnia honos tribuatur. Vale & fave mihi. Lipſ. A. 1730. d. 15. Januar.

28.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Ecce Tibi, Vir Cl. reſponſorias Schreiberi noſtri, ad eas ipſi a te deſtinatas, mihique commiſſas literas.

Oppletiones pectoris catarrhoſæ & peripneumoniæ nothæ in ſpecie, ac rheumatiſmi varii generis noſtros cives vexant. Nunquam vero hactenus mihi obſervare datum fuit, quod ex peripneumonia notha laborantes potulenta omnia vomitu rejiciant, quod tamen Sydenhamus, qui hunc morbum primus diſtincte notavit, fieri docet. Forſan carnivoris & liquoribus ſpirituoſis abutentibus Anglis id magis proprium eſt. Nuper

per mihi obtigit vir mediæ ætatis, ex iſchiadico dolore male ſe habens, ut per 48 horas plane immotus ſedere coactus fuerit, & ne quidem profunde vel libere inſpirare ipſi licuerit: ſed venæ ſectione præmiſſa & purgatione antiphlogiſtica ter repetita per Dei gratiam reſtitui. Mercurius in barometro ſingularem hoc menſe obtinuit altitudinem, inprimis d. 21. Januarii, & qui illum præceſſit & ſecutus eſt die. Plurimi hunc anhelarunt. Eſt vero mihi barometrum ad 95 gradus inflexum, ita ut mercurii variatio octo pollicibus terminetur rhenolandicis, hos vero omnes uſque ad ſeptem lineas ultra exceſſit mercurius.

Nova literaria nulla jam ſuppetunt. Quæ de Bourgueto ſcribis, nondum vidi. Illuſtris Wolffius itidem me de hujus tentamine theoriæ telluris monuit, ſed omnes Bibliopolæ noſtri ignorant. Chriſtianus Martini, Vir clariſſimus, qui nuper Profeſſorem egit Petropolitanum, inde per Angliam & Hollandiam redux me nuper ſalutavit referens Cl. Scheuchzerum juniorem Londini diem ſuum obiiſſe ſupremum. Doleo luctum ejus Parenti inde enatum. Vale.

Scrib. Francofurti ad Mœnum, d. 27. Januarii 1730.

29.

JOH. GESNERUS.

Vix nuperas meas ad Te dederam, cum gratiſſimæ tuæ advenirent, quæ tanto gratiora mihi acciderunt, quod feliciſſimum rerum tuarum ſucceſſum mihi nuntiaverint, & licet negotiis quam plurimis interruptus fueris, nihilominus ad me datæ fuerint, ut mihi certiſſimæ notæ ſint amicitiæ tuæ, quam tanti ſemper æſtimo. Proſpere geſtas res tuas & honores Profeſſorales tibi oblatos toto pectore gratulor, id vero maxime triſte mihi, quæ omnibus aliis acciderent, ſi eorum votis cederes, ita enim amicum, a quo plurima profeci, & plura in dies proficio, longiſſime a me remotum ſcire oporteret. Fac itaque ut amicos, quos in Helvetia habes, diſceſſus tui ex patria dolore nequaquam afficias, ſi modo ea, quæ Bernæ moliris vel aliquantulum ſuccedunt, meliora enim ſecutura fore ſperare fas erit. Saltem de ſingulis, quæ hæcce concernunt, mihi reſcribere ut velis maximo opere rogo. Ego nunc negotiorum mole pene obruor, conſtituenda pharmacopæa domeſtica: paucis ægrotis opem fero, ſed haud absque labore praxis medica exercetur. Habeo quos Elementis Matheſeos, Anatomiæ. Phyſices, praxeos medicæ, Botanicæ imbuo diſcipulos, ut præcipua diei pars cum his mihi tranſigenda ſit; animus erat expetendi cadaver ad ſupplicium damnati publicis demonſtrationibus exhibendum, ſed talia nondum com-

commiſiſſe audio ut vita mulctetur. In partibus modo enumeratis Matheſeos atque Medicinæ mea nunc adverſaria ex paucis quos poſſideo authoribus colligo, ut una intuear, quæ varii authores & diverſis temporibus variis in circumſtantiis circa ſingula prodiderunt: ſed inde laboris fere inſuperabilis plurimum. Nullus dubito, quin in his exemplo & conſiliis tuis plurimum adjuvari poſſem, ſi per tempus tibi liceret, qua ratione hæc conficias ad me ſcribere, ſed vereor ne nimium a te poſcere videar, ignoſces ſpero. Facile conjicis, quid pro deſcribendis mathematicis collegiis temporis mihi relictum ſit, fortaſſe negotia mea aliquanto melius diſponi poterunt, quo majus otium nanciſcar: ſed me pudet fere hæc ad te ſcribere, cum jam a longo tempore excepta hæcce tibi promiſerim. Frater meus, qui nunc proprias ædes conduxit, & praxin medicam ſeparatam a mea agit, Te quam plurimum ſalutat, & memoris erga ſe animi tui ſe gratum profitetur.

Scripſi Tiguri ad d. 24. Febr. 1730. raptim.

P. S. Singulare ante aliquot dies Auroræ borealis phænomenon apud nos viſum fuit, quod absque dubio & apud vos comparuit.

30.

JOH. GESNERUS.

Qualem triſtitiam primum inſpectis literis Tuis conceperim vix eſt dicendum, amicum cariſſimum, & cui ego tot & tanta debeo, morbo (*a*), qui ſuæ ætatis hominibus tam periculoſus accidit, graviter decumbentem cognoſcere, non potuit non ſummo mihi dolori eſſe: ſed & reficiebat me non parum, ex iisdem te aliquanto melius valentem & in optima reconvaleſcentiæ ſpe poſitum intelligere. Quanta damna & ſtragem ſimiles caſus homini praxin medicam exercenti & ſtudiis dedito adferant, omnes norunt, tanto autem magis damnoſa tibi acciderunt, qui omnia temporis momenta ad amuſſim ponderanda habes, & negotiis tam multiplicibus & tantis occupatus es: ſed quis fata domet? (ut tecum loquar). Te vero mihi adhuc ut ſemper optime cupere, & mei apud te memoriam vigere continuo ex iisdem literis perſpicere ſummo ſane oblectamento fuit; horum nempe teſtes luculentiſſime fuerunt literæ tuæ, tui in me amoris totæ plenæ, & infirmo adhuc corpore ſcriptæ. Quæ de methodo, qua res medicas & phyſicas tuas digeris, ad me ſcripſiſti, norma meorum in his agendorum erunt: præſertim hisce in capitibus, quæ Cl. Boerhaavius ſuis in collegiis atque libris dilucidavit. Talia jam cum praxi medica facere aggreſſus

 ſum.

(*a*) Morbillis.

ſum. Anatomica adverſaria quæ colligo, ita diſpoſui quoad titulos, ut tu olim feceras in colligenda muſculorum notitia. Botanicen nunc auſpicabor, in qua plurimum laboris & otii ponendum prævideo; cœpi paucos ante dies herbarium meum vivum, quod 3000. circiter plantis conſtat, juxta methodum Boerhaavianam diſponere, in quo opere laborem plurimum poſitum eſſe experior, in plantis nempe, quas ante aliquot annos collegi, plurimum ſemper mutandum invenio, ſed & ita nova mihi naſcitur occaſio & ſtimulus obſervandi in plantis recentibus, quod in ſiccis ægre reperio: videbo an tempus permittat, ut ex tuo inſtituto utiliſſimum aggrediar opus, conſcribendi characteres ex recentibus plantis. In praxi medica in dies plures difficultates experior: inter ægros, quorum ſane ultra exſpectationem multos tracto, habui peripnevmonia vehementiſſima laborantem ſymptomatibus citiſſime cum virium jactura ab initio pulſu celeri & debili absque ullis levaminis ſignis ab omnibus in hoc morbo tantopere laudatis medicamentis adhibitis decurrente in citam mortem vita terminata per effuſionem copioſi cruoris coagulati ex pulmonibus. Homo exercitatiſſimus erat in media ætate conſtitutus. Tractavi ex præceptis Boerhaavianis §. 866. eventu adeo funeſto, nullis (ut opinor aliis medicamentis arcendo). Nunc curam gero puerperæ morbo inflammatorio pectoris decumbentis, cui antiphlogiſticis interne, tum externe diſcutientibus mederi contendo. Quodſi opus tuum Lipſiæ typis tradendum aliquando

quando lucem viderit, utiliſſima inde in rem anatomicam atque medicam habebimus. Carmina tua quum ita diſcurrant, dubium non eſt, quin harum rerum peritus vel & te invito curet, ut publica fiant, quare facies rem & te dignam, & omnibus æque utiliſſimam & gratiſſimam, ſi votis eorum aliquando cedes. Apud D. Scheuchzerum vidi titulum & aliquot icones operis D. Petri Ant. Micheli Florentini quod inſcribit: nova plantarum genera, impreſſa Flor. 1728, 4. continet Tabb. æneas nitidiſſime æri inſculptas, quæ aliquot millia plantarum exhibebunt. Liber ipſe plures continet obſervationes circa plantas, imprimis ſimpliciores, fungos, fucos, Lichenes, muſcos, mucoſos, microſcopiales. Audio D. Linck Lipſienſem uberrimum meditari de ſtellis marinis opus, quod plures continebit Tabb. æneas in folio, harum differentias plurimas exhibens, videtur tamen authorem ipſum occaſione ſcrutandi haſce Zoophytas nonniſi hiſtorica allaturum fore. Meditat Cel. Scheuchzerus noſter novum tractatulum de Thermis Badenſibus. Lucem hic aſpexit phœnomeni cœli ardentis explicatio, opus vix magni uſus.

Dab. d. 25. Martii, 1730.

31.

JOH. GESNERUS.

Epiſtolam tuam exoptatiſſimam atque brevi poſtea egregium illud Newtoniani operis dona-

rium rite obtinui, pro eo grates teſtor quas poſſum maximas & anxius ſum profecto, qua ratione tua in me beneſacta quam plurima demereri unquam poſſim, me ſaltem ad omnia officia tibi præſtanda paratiſſimum ſemper ſiſtam. Sane de eo libro vehementer queſtus ſum, tum quod apud nos non habeatur, tum quod mihi pro conſignandis paucis, quæ ex lectionibus Cel. Bernoullii ſuperſunt, apprime ſit neceſſarius. Exiſtimare facile eſt, fatalem illum morbum & tibi occupatiſſimo & rebus tuis valde accidiſſe funeſtum atque incommodum, alius vix ex tanta & tot negotiorum mole una peragendorum nunc emergeret. Inſtitutum vero tuum de conſcendendis alpibus non poteſt non mihi gratiſſimum eſſe atque ſummæ voluptati, quæ enim vel in plantis noſtris alpinis ſuperſunt dubia vix niſi te indagatore enodari poterunt, & ſane horum plurima invenio vel in ſola perluſtratione mearum plantarum ſiccarum. Dum vero plantas ſimul rariores in hortum transferre conſtituis, plurimorum expectationi & voluntati ſatisfiet, quum alia ratione deſideratiſſima noſtrarum plantarum ſemina obtineri vix queant. Binos accepi catalogos ſeminum plantarum alpinarum, quæ cuperet Cel. Boerhaavius, ad te transmittam quam proxime, te rogaturus ut in eas attentus invigilare velis, nullus enim dubito, quin tanti Viri in hisce ſtudio aliquantum ſatisfacere velis. Optarem ſane liceret mihi tam felicem eſſe ſimile iter inſtituere teque in itinere obviam habere, ſed pauca licet negotia practica, tum collegia varia ma-

mathematica & medica, botanica nulla ratione me ab urbe abſentem ſinunt. In animo quidem habeo hebdomadam unicam in caſa quadam alpina Glaronenſium transigere vicina, interdiu loca plantis fecunda luſtraturus: unicum ſane quod a me fieri poteſt. Magna profecto ſunt, quæ Pembertonium in ſuo opere præſtitiſſe ais: eundem librum nuper Cl. Scheuchzerus noſter accepit, curabo ut mutuo mihi linquat per aliquot dies. D. Micheli haud ita pridem ad D. Scheuchzerum plurium rariorum plerumque a ſe inventorum. Graminum ſpecimina miſit; Cl. Scheuchzerus ultra 50. horum una cum rarioribus graminibus, quæ a Buxbaumio ex Ruſſia accepit, mecum communicavit: ſperare omnino fas eſt pleraque horum, quæ in alpibus Italicis collegit, & in noſtratibus reperiri. Mea foſſilium collectio indies nova capit incrementa, hinc inde quandoque rariora accipio, eaque nunc in ordinem diſpono. Plurimum me tibi obſtrictum profiteor, quod meis nugis in Actis Lipſienſibus locum parare ſpondeas, ut verum dicam potius me iis quæ addidici repetendis, & me tum praxi medicæ faciendæ, tum variis collegiis diſcipulis (quos ſane numeroſos habeo) meis legendis idoneum præſtare oportet. Vix occurrit novi quicquam, ſi excipias caſus practicos, & quæ in plantis inveſtigandis ſubinde ſe ſiſtunt, de quibus tamen omnibus dubitare minime licet, lynceos oculos tuos effugiſſe, quando contingit mihi hactenus non viſum nec in libris lectum ad te mittam. Quando ad D. Schreiberum literas das, ei mei memoriam ut

refrices, quantique eum eiusque amicitiam faciam facias ut intelligat, ſummopere a te peto. Quid Celſiſſimus Magiſtr. veſter de inſtituenda Academia decreturus ſit ſcire valde cuperem, quod ſi conſilium approbarent, fieri ſane nihil gratius poſſet, quum te perpetuo in Patria præſentem noſcere poſſem, tuaque frequentius frui amicitia, quæ ſummum eſt quod obnixe a te peto. Vale & fave. Dab. Tigur. ad d. 9. Maji. 1730.

32.

JOH. GESNERUS.

Vehementer doleo, Vir Cel. litteras Tuas eo tempore Tiguri appuliſſe, quo ab urbe per aliquot dies abſens montem Legevium ejusque vicinia inviſebam: quæ cum mihi ſerius domi exhibebantur, factum ut tardior ſim reſpondendo, quam cunctationem ne in malam accipias partem impenſe rogo. Bernoulliana deſcribere hactenus mihi prorſus impoſſibile erat, quæ enim negotia me ab eo uſque tempore, quo ad meos acceſſi, circumſteterunt, prorſus voluntati obſtiterunt. Et licet mathematica frequenter tractem cum diſcipulis meis, in ſublimiori algebra ne quicquam præſtare cupiunt, ut in Geometria, Arithmetica elementari, Mechanica, Architectura, Geographia unice ſubſiſtendum ſit. Ægrorum numerus ſemper increſcit, plebs vero potius accedit

quam

quam alii, qui ſemi medico (vel & carnifici potius) ſe ſuamque vitam confidunt. Deinde amplam foſſilium & vegetabilium collectionem diſponendam mihi ſumſi. Vegetabilium numerus ultra 3000. aſſurgit. Foſſilia hunc fere ſuperant numerum. Diſponenda autem erant, ut juxta ordinem huncce Auditoribus meis exhiberentur; quumque plures ſint apud nos etiam ex Magnatibus, qui foſſilia mea aſpicere geſtiant, licet ipſe laborem lubens diſtuliſſem, eundem tamen ſubterfugere non potui. Singularis prorſus eſt obſervatio, quam ad me ſcripſiſti: hic vero rariſſime accidit, ut demortuorum cadavera ſecentur, & plures, a quibus anxie petieram, mihi ſectionem negarunt. Obtinui nuper infantem octimeſtrem, in quo foramen omenti diſtincte reperi, & per id ſolo flatu adhibito omentum inflavi. Inde poſt peractam ſectionem ſceleton paravi. Nuper in pago Uſtri ditionis noſtratis vena pſeudodamantum detecta ſatis fœcunda. Circa forum Tiberii Teſſellæ quales ante circa Badam copioſe repertæ ſunt. In monte Thuricenſi, qui noſtræ urbi vicinus eſt, inveni cryſtallos quasdam hexagonias. Quantum ex plantis, quas D. Bûxbaum ad Cl. Scheuchzerum noſtrum miſit, conjicere licet, in Botanicis non æque ac ipſi videtur verſatus exiſtit.

Quæ notavi circa plantas alpinas & harum varietates quum ex ſiccis modo plantis depromptæ ſint, in recentioribus confirmanda erunt. Animus eſt poſt 3 hebdomadas per octiduum in

alpibus Glaronenſium degere, plantas collecturus, deſcripturus, (tuo exemplo atque conſilio), transplantaturus in hortum peculiarem, quem Nob. amicus mihi eum in finem deſtinavit. En catalogum plantarum, quas D. Boerhaavius a me petiit, quales ſi occurrant, ut induſtriam in ſeminibus ex iis legendis ponas ſummopere rogo. Nullus dubito, quin ager veſter plantis adeo fœcundus rariſſima quoque foſſilia, imprimis lapides figuratos exhibeat, impr. audio lapicidinam urbi veſtræ vicinam eſſe, in qua plures reperiantur. Si aliquando horum ſpecimina videre poſſem, rem mihi facies gratiſſimam.

Dabam ocyus Tiguri ad d. 9. Jul. 1730.

33.

JOANNES FRED. SCHREIBER,

Ne iraſcare, quod ad diu exſpectatas Tuas tarde tamen reſpondeam. Vetuit iter, animi cauſſa, in Franconiam, Altorfium uſque a me ſuſceptum. Norimbergæ me delectavit inuſitata G. Thomaſii comitas & bibliotheca rariſſima, unde & litteras Noueſii adeo raras nactus ſum: tum & Trewii benevolentia: Altorfium vero mihi præ ceteris humaniſſimum præbuit Schulzium, hiſtoria Medicinæ clarum.

Ad-

Admodum ſum in exſpectatione Tuorum, quæ mihi liberaliſſimus promiſiſti: omnia ex voto tuo Actis noſtris inſerentur: præcipue, quum ipſe in illis edendis elaborem. Cuperem tamen Tabulam ductus thoracici, ob ea, quæ in Actis Petropolit. ea de re perſcripſit du Vernoi: & certiorem me fecit aliquando Bohlius, ſe omnia ita reperiſſe in cadavere. Verum Kulmus, Profeſſor Gedanenſis, qui hic haud ita diu fuit, ſe in illo cadavere, quod ſecuit, nil tale reperiſſe ſcripſit. Et Hofmannus, Prof. Gedanenſis, & Buddeus Berolinenſis obtulerunt mihi Profeſſionem Halæ extraord. Medic., quæ ob diſceſſum Gerikii jam vacat: ſed credo, me illam recuſaturum.

In medicina mea lente procedo: namque lectionibus Mathematicis & Philoſophicis obruor.

Quantum ad uſum Mechanices in Praxi: ita ſentio. Statuo, de humano corpore mechanice eſſe philoſophandum: idque cogitur adſerere, qui medicinæ habet ſcientiam: inque eo differt Practicus ſcientificus ab Empirico. Medicamenta omnia agunt per motum: gaudentque agendi facultate: quum vero differant agendi facultate medicamenta: ſcientifici Medici eſt, huic corpori ægro ex præſcripto rationis aptare medicamenta: in qua re fallitur Empiricus. Hic enim neſcit ægri vires metiri: ad quas adtendit Practicus ſcientificus. Idque jure: namque medicamenta ſunt inſtrumenta: quare carent vi activa: quæ a ſolo corpore dependet. Interim ſcientiæ voce mechanicæ non tantum mechani-

cam ſtricte ſic dictam intelligo : ſed et in genere phoronomiam omnem, mechanicam ſolidorum et fluidorum : quo referimus mechanicam, hygroſtaticam, aerometriam, hygraulicam, immo vero & optica. Dico de ea re apertius tum in Medicina, quam paro : tum et in Diſs., quam ad Geometram Hermannum, occaſione Profeſs. Mathem. Ordin. quam Francofurti cis Viadrum nactus eſt, de meritis & demeritis Mathematicorum in Medicinam ſcribam.

Raptim. Lipſiæ, A. P. C. N. cIↃIↃccxxx. Die XVII. Julii.

34.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS, jun.

Ean Tibi & Schreiberi noſtri & meas reſponſorias. De recuperata ſanitate ex animo gratulor, & ut illa conſtans ac firma Tibi ſit apprecor.

Novi jam nil ſingulare habeo. Obtigit mihi nuper maniacus curandus : vir ſupra 40. annos natus, procerus & ſtrigoſus, Omnia reſpuebat medicamenta pertinaciſſime. Bis ipſi per modum fraudis exhiberi curavi pharmacum emetico catharticum in tripla imo quadrupla doſi, ſed absque ullo effectu, quod ſane mirum. Bis vero venam in talo incidi permiſit, & utraque vice

vice ad XVI. uncias ſanguinis emiſſæ fuere, cumque poſt alteram ſectionem paululum morigerus factus eſſet, ſtatim capillos novacula accuratiſſime ipſi detondi juſſi, ſicque cum ratione in gratiam rediit.

Puella 4. annorum febre tertiana exquiſita diu vexata nil quicquam medicamentorum aſſumſit. Componebatur igitur victus ratio ita, ut fieret medicamentoſa, tum decoctum corticis peruviani per modum clyſteris, elota prius alvo alio enemate, injici juſſi, deſiderato cum effectu.

Scripſiſti mihi pridem quædam de Bourgueti epiſtola philoſophica, ubi novam telluris theoriam pandit. Deprædicavit & hoc opuſculum & ipſius auctoris eximia merita illuſtris Wolfius mihi per literas. Nullibi hoc ſcriptum reperire potui: ne quidem Lipſiæ proſtat. Quæſo mittas illud mihi per mercatores veſtrates inſtantes nundinas noſtras autumnales frequentantes, qui elapſo abhinc menſis circiter ſpatio ad hoc ſe accincturi erunt iter: gratiſſimum ſane mihi facies: ſignifices ſimul pretium, ne in tuo diu hæream ære.

Vale. Deprop. d. 28. Julii 1730.

35.

JOH. GESNERUS.

Diuturni adeo ſilentii tui cauſam nonniſi in immenſa negotiorum tuorum mole ponendam eſſe arbitratus ſum, cum per longum tempus fruſtra abs te epiſtolam exſpectarem. De felici peracto itinere gratulor, & pro ſingularibus obſervationibus tum Botanicis tum practicis, quibus me erudiiſti, gratiam reddo. Ex rarioribus plantis, quas in itinere legiſti, Pedicularem ſpica verſicolore & Polygalam flore flaveſcente videre ſummopere geſtirem. Leucanthemum flore Chamæmeli eſt forte Leucanthemum foliis Coronopi, hoc enim flore pariter ejusque odore ad Chamæmelum quam proxime accedit, plantæ vero characteres examinandi locum hactenus nondum habui. Veronicam tetragonam Columnæ & petræam ſemper virentem Ponæ, & reliquas Veronicas alpinas a ſe invicem admodum diſtinctas ſervaſſe mihi videor, quas enim tum temporis habebam ſedulo inter ſe conferebam ſiccas quidem, ut difficulter errorem evitare potuerim. Hac æſtate pariter momentaneum quaſi iter in Alpes ſuscepi, maximam partem Alpium Glaronenſium pertransivi, plantas plures ex rarioribus inter alpinas conquiſivi, Pulcatillam flore luteo, Bellidem alpinam minimam ſemine pappoſo (quæ ex Michelii emendationibus, in novis plantarum generibus Bellidaſtrum dicenda

da eſſet), Trichomanem folio criſpo, plures fungos, muſcos, lichenes alpinos, inter alia fungum floridum ſive e calyptra piſtillum ſeminibus conſitum erigentem, quem Clathroidaſtri nomine Michelius deſcribit, licet ea ſpecies quam ſervo apud ipſum non commemoretur. Ultra 50. plantas cum terra & radicibus effodi curavi, paucas (quæ læte admodum ſuccreſcunt) in hortos diſſeminavi, reliquas ad Cl. Boerhaavium mittendas curavi, ex quibus ſe plurimum lætatum fuiſſe teſtatus eſt. D. Gronovio vero ultra 300. ſpecimina ſicca plantarum alpinarum miſi. In itinere pauca experimenta inſtitui Barometrica circa elaſticitatem aeris, quæ cum calculo algebraico contuli. Celebrem montem Blattenberg quoque conſcendi, ardeſiarum ſitum, ſtrata, inclinationes, colores & varias, quas in iisdem ſolvendis adhibent, encheireſes adnotavi, figuratorum varia genera reportavi. In ponte *die Pantenbruck* dicto uno ex editiſſimis Helvetiæ altitudinem menſuratam perpendiculo per calculum algebraicum ex tempore ſoni lapidis decidui percepto quoque elicui, juxta problema a Newtono propoſitum in Algebra. Quædam animalia alpina ut mures alpinos viva cepimus. Damnum quoque contemplatus ſum, quod tum temporis torrens alpinus pago Niderbilten attulit, ſtupendum erat moles lapideas aliquot 1000. ℔. hinc inde projectas, ædes ſabulo ad altitudinem 9. vel 10. pedum obvallatas conſpicere. Quodſi aliquando plantarum, quas in horto alis, catalogum confeceris, ad me ut mittas ſummopere rogo: Au-

thor

thor fui cuidam, qui apud me Botanicam audit, ut ex Belgio rariores plantas accerſeret, & in hortum proprium plantaret, quarum nunc numerum ad 200. fere ſurgentem habet: ſi quasdam harum deſideraveris, futuro anno ubi catalogum compoſuerit, facile pro te obtinebo. In eo fere jam totus ſum, ut quæ circa genera & diſtributionem plantarum hactenus evulgata ſunt, colligam, & in Tabulas cogam Synopticas: ſed innumeras difficultates deprehendo, quam proxime primum ſpecimen ad te mittam, ut tuo in hiſce conſilio atque opera adjuves. Novum nactus ſum diſcipulum D. D. Dummelium Gynæcopolitanum, qui apud D. D. Brunnerum & Angetium Medicinæ practicæ operam per 4. annos navavit, cui Inſtitutiones & Aphoriſmos Boerhaavii explico. Nuper ægram vomitibus perpetuis jam a biennio excruciatam feliciter per rhabarbarina & carminativa ſanavi: Nunc vero ſimilis ſe caſus mihi ſiſtit, ſed ab alia longe cauſa proficiſcens. Iam a 4 menſibus vomitus ſingulo biduo redeuntes ægrum vexant, cum dolore lancinante ab umbilico ſiniſtrorſum fixo, urina paulo tinctior alternis diebus turbulenta & lutoſo ſedimento prædita, appetitus dejectus, facies hippocratica, pulſus parvus & paulo citatior: ſuſpicor corruptionem viſceris ſubeſſe, fortaſſe cancrum pancreatis. In Italia per ſubſcriptiones imprimitur P. Ant. Michelii enumeratio plantarum ſibi per Italiam & Germaniam obſervatarum, Florent. 1730. in 4. Regali (*a*). Audio apud

(*a*) Non prodierunt.

apud vos in lapide cinereo arenario, tum & in pyrite varii generis conchylia petrefacta reperiri, ex te ut ſpero plura de his intelligam. Ea tandem omnia, quæ ex eo tempore, quo Baſilea diſceſſiſti, apud Bernoullium egi in Mathematicis: plura ſunt, in quibus acquieſcere vix poſſum, in iis deſcribendis quantum tempus permiſit, diligentem operam navavi, forſan aliquando ſingula, quæ apud ipſum audii, alia methodo & diligentius recenſebo, hoc tempore propter alia negotia impeditus. A Clo. D. Burkardo Paſtore Hüningano, Lectiones, quas Cl. Bernoullius in uſum Ill. Marchionis de l'Hoſpital de methodo integralium conſcripſit, mutuo ſumtas deſcripſi, ſed plura dubia ibidem oſtendi, plura tamen inde intellexi, quæ ex aliis difficulter hauſiſſem. Si & hæcce deſideras promte mittam. Haud ita pridem D. Fiſcherus prof. Regiomontanus propter philoſophiam Wolfianam exul, Schreiberi præceptor, ex Italia cum nobili Dantiſcano Tigurum pertranſiit, ſæpius mecum fuit: Tui eſt amantiſſimus, vehementer dolebat tuam ab urbe abſentiam, cum Bernæ degebat. Hiſtoriæ naturalis peritiſſimus ſimul ac cupidiſſimus exiſtit, philoſophiam Wolfianam modeſte & pluribus rationibus extollit atque commendat, plura ex ejus converſatione utilia hauſi. Vale, Vir Celeb. & me porro ama.

Dabam raptim Tiguri ad d. 31. Octobris 1730.

36.

J. F. SCHREIBER.

Litteræ Tuæ, Doctiſſime Alberte, diu jam adceptæ, una cum munere Botanico, pro quo ſummas tibi grates ago habeoque, me refecerunt plurimum, confirmaruntque in ea ſententia, quod neminem habeam inter amicos meos, qui mihi ſit te dilectior. Cura igitur, ſi me amas, ut ne nimio tuo in tot tamque gravia ſtudia ardore corpus tuum, tenerum nimis, ac diu jam nimis exercitatum, ipſemet peſſumdes, meque forte nimis, ac diu jam nimis cito chariſſima tua amicitia orbes. Atque efficiet ſane hæc aliquando, ut, tuis frui ſermonibus cupidiſſimus, te inviſam, ubi potero, ſi ſaltim ante conſtiterit, iter tale non caro nimis conſtare pretio. An Cl. *Fiſcher*, qui olim Regiomonti Profeſſor fuit, jam exul eſt, diuque cum patricio Gedanenſi, *Gerlach* Leidæ moratus eſt, jam per Helvetiam tranſiit? Audivi ipſum nunc Argentorati hærere. Si forte & te conveniet, (curioſos enim doctosque Viros convenire ipſi, iter facienti, ſumma lex eſſe ſolet) ipſum meo nomine, ter quaterque ſaluta, Noſtine Dom. *Caſſebohm*, qui Pariſiis redux, Leidæ apud Schurerum & mecum aliquando cœnavit, qui poſtea Berolini apud Buddeum profectoris munus implevit. Is ſane in *Beckeri*, præclaræ ſpei Anatomici, jam demortui, locum Anatomes extraordinarium ſuc-

ceſſit

ceſſit Halæ Magdeb. & pro gradu Doctoratus Francofurti cis Viadrum *de interna aure* diſputavit, ac ita quidem, ut dignam habeam illam ſcriptionem, quæ ab omnibus legatur. Plurima nova habet ibi: citavitque novas tabulas, nondum publicatas, in poſterum cum pleniſſima auris deſcriptione publico commendandas. Buddeus parat, ſi bibliopolæ habenda fides, Anatomen novam, plus quam L. tabulis, elegantiſſime inciſis ornatam. Profeſſor Anatom. Hallenſis, *Baß*, proxime edet obſervationes, raras certe, anatomicas. Vidi titulos earum: ex. gr. de *vero thymi uſu &c.* Kulmus, Anatom. Gedanenſis me hic præterito Pentecoſtes inviſit, rogavitque, num ipſi Diſſert. tuam inauguralem procurare poſſem? Facile ibis in preces meas, mihique futuro Paſchate, transmittes illam cum aliis tuis promiſſis: par pari referre ſtudebo, tibique tenere curabo Diſſ. memoratam *Caſſebohm. Hambergeri de venæ ſectione, quatenus circulum ſanguinis mutat:* elegantiſſimam Diſſertat. ut & continuationem mei operis medici: & ſi quæ occurrent alia. Idem ille Kulmus mox auctas tabulas ſuas anatomicas, ſtilo & gallico, & romano, prodire ſinet Amſtelredami apud Waesbergios: jam exſculptæ fuere omnes tabulæ ante ſemeſtre. Mitto tibi *præmittenda mea*; valde contentus, ſi tantum aliqua ex parte tibi placuerint. Prodiit quoque Amſtelr. apud Waesbergios mea verſio oſteologiæ Haverſii: ſed tenes anglicanam editionem, nec quidquam adjeci. Adcipe & ſchediasma Waltheri. Demonſtravit idem haud ita

pridem originem nervi intercoſtalis a ſexto pari; prius ipſi olim dixeram, defendenti ejus a ſolo quinto originem. Jam pudet ipſum negligentiæ ſuæ. Vidi & in infante recens nato, enectoque ſub aquis foramen ovale, quod ſubtendebat membranacea ordinata, a foraminis ovalis, elliptici, axe conjugato parum remota: numquam talem umquam vidi. Perſcripſit nuper doctiſſ. Medicus Sneebergenſis, Hænel, non Carpum primas dediſſe orbi figuras anatomicas; ſed *Hundium*. Inquiſivi ergo, reperique illum Lipſ. a. 1545. * in 4to edidiſſe anthropologium, in quo re vera figuræ adſunt, rudiſſimæ licet. Non tamen ſatis mirari potui, eumdem verum ſitum cordis re vera jam tradidiſſe. Salutem, meis verbis, Clariſſ. Gesnero dices, eidemque Diſſert. meam, ſi placet, trades. Annon a doctiſſimo *Nicolai* obtinere poſſem *une tête démontée*; vellem lubens ubi transmitteretur, hic ſolvere, quidquid poſcetur. Sic complevi epiſtolam, neque poſſum reſpondere ad docta tua dubia. Tentabo reſponſionem proxime. Vale, Vir doctiſſime, meque amare perge. Lipſiæ A. P. C. N. CIↃIↃCCXXX. die XXIIII. Decembr.

P. S. Kulmus mihi narravit, Buddeum Bohlio obtuliſſe munus profectoris: ſperavitque Kulmus, hunc adcepturum ſpartam: ſed nihil audio de ea re. Quid ille? inveteraſcit, crediderimque, eumdem mox gynæceum intraturum eſſe. Iterum vale. Platnerus, Profeſſ. Lipſ. imprimere curat Chirurgiam ſuam, bonam haud dubio.

* ſic per errorem.

37.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL, Phil. & Med. D.

Quod homo obſcurus, neque de nomine, nec de facie Tibi, Præſtantiſſime Haller, notus tua meis literis negotia interpellare nil erubeſcam, id vero pro tua humanitate haud feres ægre. Facies, uti ſpem foveo pulcerrimam, illud tanto lubentius, quo juſtiores mihi fuere cauſæ, quæ ad id audendum me impulerunt. Harum principem habeas illam, quod ingenti flagrem deſiderio cum Viris per orbem, qua patet, eruditum claris commercium inſtituendi. Verum tua incomparabilis eruditio, quam vel ex Diſſertatione Anticoſchwitziana Tubingæ habita * perſpexi luculenter, a Viris clariſſimis Doctoribus Wreedio, Schreibero & Nicolai quantum mihi fuerit deprædicata, dici vix ac ne vix quidem poteſt. Neque dubium reſtat ullum, comitatem cum eruditione pari libra apud te inveniri, cum ſecundum tritum ſermone proverbium quo quis eſt doctior, eo quoque exiſtat humanior. Hæc dum perpendo, a propoſito quod me deterreat, video omnino nihil. Quid? quod in ſpem inducor certiſſimam te mihi ad commercium literarium, quod valdopere efflagito, januam ſponte aperturum eſſe. Id ubi a te impetravero, non ſolum maximo me beneficio mactatum habebo, ſed & omnes animi nervos in id intendam, hoc inchoandum com-

 mercium

* ea eſt clariſſimi *Duvernoi*.

mercium ſalvum & incolume ſit æternum. Certe nunquam omittam ea tecum communicare, quæ vel artem facienti, omnia caſte penſitanti occurrunt notatu digna, vel inter eruditos his in terris geruntur memorabilia, quorum quoque ſcripta ad te curabo, ubi illud haud ingratum tibi fore ſcivero. Non deerunt alia, quibus aliquam a te gratiam iniri poſſe penitus perſuadeor. Fertiles ſunt admodum montes noſtri plurium, earumque virtute præſtantiſſimarum herbarum. Sunt quoque omnis generis minerarum, terrarum, lapidum ditiſſimi, qui a magno illo noſtrorum temporum Plinio, Scheuchzerum intelligo, aliquando digni fuerunt judicati, quos ſolerter inveſtigaret. Quantitatem horum inſignem collegi, quibus tuæ fieri ſatis poſſe curioſitati credo. Commoda mittendi occaſione haud deſtituimur, cum & mercatores noſtrates, imo cognati mei aliquoties quotannis ad vos iter faciant, & veſtrates ad nos, ſaltem Lipſiam iter pergant. Aſt! hæc ſufficiant pro tua, præſtantiſſime Haller, amicitia impetranda, reliquam epiſtolæ partem novis quibusdam literariis ad te perſcribendis ſacrare liceat.

Schreiberum noſtrum Oſteologiam Haverſianam nuper latina civitate donaſſe, atque ipſi Heyne Diſſertationem de morbis oſſium aſſociaſſe noſti: & dubio procul, noveris pariter eundem totum quantum in eo eſſe, ut ſyſtema quoddam medicum geometrice demonſtratum & principiis philoſophicis Wolffii ſuperſtructum nobis reddat quan-

quantocyus. Prodiere elementis medicinæ phyſico-mathemat. præmittenda, pulcra per Deum! & egregia, utinam vero & reliqua proſtarent! quæ videre animus geſtit. Rem ſuam optime gerit Lipſiæ, cum non ſolum famam conſecutus ſit maximam, ſed & magna auditorum caterva ad eum quotidie advolet. Quid vero mirum, ſi mordax nonnullorum invidia, virtutis pedisſequa individua dente ſuo eum rodat? Ortæ fuere ſimultates inter eum & Schacherum Plattnerumque, occaſione Diſſertat. Lipſiæ de fletu & lacrymis ventilatæ, in qua contra plerorumque Anatomicorum ſententiam contendit: nervum intercoſtalem non a pari quinto, neque a pari quinto & ſexto ſimul, ſed unice a pari ſexto originem ducere, ad tabulas Euſtachianas, experientiam Albini & autopſiam propriam provocans. Litem hanc, hunc nodum nuper Waltherus Schreibero amiciſſimus diſſolvit, non quidem ictu gladii uno, ſed oculi, publice nempe bis ad oculum demonſtrando, non alium illius nervi eſſe ortum, quam quem Schreiberus ei tribuerat, quod quam male habuerit Schacherum Plattnerumque, facile Tutemet judicabis. Res vero eſt momenti haud exigui, id quis ut habeat cognitum & perſpectum. Waltherus nunc omnem operam collocat in diſſectionibus & præparationibus Anatomicis, in quibus eum verſatiſſimum eſſe tunc demum fui convictus, ubi elegantiſſima ab ipſo præparata oculis uſurpare datum fuit. Sane! contendunt illa cum Ruyſchianis de principatu, poſtponenda ſunt nullis. Exaſciatum eſt, quod

nuper de vaſis vertebralibus edidit ſcriptum, quo te harum rerum ſciendi cupidum carere nolui. Chirurgia Plattneriana ſub prelo ſudat, quam opellam admodum politam fore ominor, cum ei lambendæ limandæque multum temporis impenderit, atque chirurgicorum iſtum plane non imperitum eſſe conſtet. Schulzius Profeſſor Altorffinus variis ſcriptis, præſertim Hiſtoria medica clarus, & plures Doctores Norimbergenſes, quos inter Thomaſius, Goezius, Trew, Homannus νῦν ἐν ἁγίοις & Stockius eminent, in unam venientes ſocietatem commercium quoddam univerſale literarium adornarunt, cujus ſocietatis me quoque ſodalem eſſe voluerunt. Optarim ego nobis adeo liceret eſſe felicibus, ut te ſocium haberemus, a quo eorum, quæ apud vos inveniuntur ſcribunturve certiores fieremus. Verum ne epiſtola in voluminis magnitudinem monſtroſam excreſcat, atque ego prima ſtatim vice tua abutar patientia, finio, unicum illud a te contendens, ut me brevi reſponſione tua honorare, eique Diſſertationem inauguralem pariter Anticoſchwitzianam adjungere velis. Ubi humanitati tuæ placuerit alia quædam addere, me tibi magnopere devincies id curaturum, ne diu in ære tuo ſim alieno. Frater meus, mercator fimbriarum denticulatarum nunc Scafhuſæ degens adſcribet, quorſum literæ & alia mitti queant! Vale! iterumque vale! Dabam Schnebergæ in montibus Sudetum, Idibus Januarii anno MDCCXXXI.

38.

JOH. GESNERUS.

Remitto tandem plantarum alpinarum a Te obſervatarum Catalogum, quem pro otii mei ratione cum voluptate perlegi, quodque mecum communicaveris tibi plurimum debeo; quas nuper collegi in itinere alpino in catalogum ordinare hactenus non licuit. Plures tamen, quas in tuis commemoras, in alpibus offendi. Video in catalogo tuo quasdam alpinas ſpecies, de quibus dubius ſum, ut n. 14, 16, 17, quas ſi mecum communicabis gratiſſimum facies, vel ubi pauca exemplaria habes tibi transmiſſas reddam; viciſſim quascunque ex meis plantis ſpondeo. Alyſſon n. 20, 21, non memini me vidiſſe, nec Anonidem n. 25. An Aſter montanus fl. purpureo priori n. 29. ſimilis (num hic & albo & purpureo flore reperiatur, capite vel gracili vel tomentoſo) an 27, vel 28? qualis Aſter n. 32? Bellidem habeo alpinam minimam flore purpureo, quæ a vulgari minori non differt niſi magnitudine plantæ & floris. Bellidaſtrum vero minus prorſus ab eo differt, tum feminibus, tum corona floris alba & ſemifloſculis florum latioribus. Chamænerion alpinum Alſines folio Scheuchz. idem cum Lyſimachia alpina erecta Alſines foliis Bocc. chuſ. Pl. p. 31. tab. 15. Filagines 86, 87, perlibenter viderem, quam miſi filaginem capite folioſo eſt Leontopodium Caſt. Dur. p. 511. ut conjicio ex exemplari, quod adhuc apud me

ſervo. Gramen n. 104. apud Scheuchzerum invenies (quem diſcipulus quidam a me mutuo ſumſit, ut eum ad manus non habeam) fortaſſe in plantis ad te miſſis ex incuria meum nomen addidi. Polygalam, quam deſcribis, exiſtimo eandem eſſe cum Chamæbuxo flore Coluteæ flaveſcente C. B. pin. 471. An Senecio 199. differt a Senecione incano pingui C. B. 131. novi quidem in hoc recenti coronam ſemifloſculorum exiguorum obſervari, quare ad Jacobeas relatus eſt, ſed in marceſcente planta evaneſcit. Sed jam ſatis de plantis, ne videar importunius otia tua turbare; quod ſi vero de his me informaveris, novum habebo prompti in me animi tui indicium, quod tam ſæpius, tamque luculenter mihi præbuiſti, quodque non ſine maxima gratiarum actione, quam ſæpiſſime ſumma cum voluptate mihi in memoriam refrico, utque eundem erga me animum auſpiciis hujus anni (qua DEUS T. O. M. Tibi tuisque felicia ac fauſta faxit) renovare atque continuare velis, pluribus modis & vehementer a te peto, quo ſane quicquam gratius vel jucundius mihi fieri prorſus nequit. Quantum vellem ut cum Cel. Stehelino iter alpinum ad noſtras oras dirigeres, quo jucundo veſtro colloquio frui mihi concederetur; ſimile iter molior in alpes Abbatiscellanas & comitatus Sarunetum & adfines Rhæticas, quod proxima ætate proſequar, ſi per negotia licebit. Generoſus & prænobilis D. Eſcherus im Seidenhoff, Hiſtoriæ naturalis peritiſſimus æque ac amantiſſimus animalia, plantas & curioſa alia Helvetiæ

partes

partes cupit, mihique author fuit novi itineris per alpes capiundi, ut inde ad eum plantæ vivæ & recentes mitti queant: quascunque in hortum transplantare ſpondet: impoſſibilis enim erit exacta delineatio, niſi in hortis ſuccreverint: ipſe cogito in pictoria arte quædam addiſcere, ſi modo liberaliori otio fruar. Nihil ne hactenus de figuratis ditionis Bernenſis reſcire licuit? vel quisquam apud vos ſimilia colligit? Bernoullianis pro arbitrio utere, vel & ſectiones in uſum Ill. March. de l'Hoſpital ab ipſo conſcriptas a me pete. Problema de profunditate putei temporis brevitate præpeditus non repetii, ſed quæ Bernoullius dictavit nude ſcribo. Jam vero id ad examen revocans invenio quod ſi $xx = \frac{aadt + abb}{dd} x - \frac{aadt}{dd}$ tunc fore $x = \frac{adt + \frac{1}{2}abb}{dd} \pm \frac{\sqrt{aaddtt + \frac{1}{4}aab^4 + aabbdt} - aaddtt}{dd}$ hoc eſt reducendo ad eandem denominationem quantitates radicales multiplicando $\frac{aatt}{dd}$ per dd fore $x = \frac{adt + \frac{1}{2}abb}{bb} \pm \frac{\sqrt{\frac{1}{4}aab^4 + aabbdt}}{d^4}$ & eliſis æqualibus $aaddtt$ prodit $x = \frac{adt + \frac{1}{2}abb}{dd}$

$\pm\frac{\sqrt{\frac{1}{4}aab^4+aabbdt}}{d^4}$ & extracta radice ex $\frac{\frac{1}{4}aab^4+aabbdt}{d^4}$ habebitur ſimplicior valor, qui ut ſimpliciſſimus prodeat, fiat multiplicatio per 4. prodibit $\frac{\sqrt{\frac{1}{4}aab^4+aabbdt}}{d^4}=\frac{\sqrt{aab^4+4aabbdt}}{4d^4}$ & extracta radice $\frac{ab}{2d}\sqrt{bb+4dt}$: hinc $x=\frac{adt+\frac{1}{2}abb}{dd}\pm\frac{ab}{2d}$ $\times\sqrt{bb+4dt}$: ut habet author: Quod ſi $a=1080b=8\frac{1}{2}$; $-d=1$. $t=9''$ erit $adt=9720$. $\frac{1}{2}abb=39015$. $ab=9180$. $\frac{ab}{2d}=4590$. $\sqrt{bb+4dt}=\sqrt{72+36+\frac{1}{4}}=\sqrt{\frac{433}{4}}=\frac{20\frac{9}{10}}{2}=\frac{209}{20}$ quæ multiplicata per 4590, dant $478655\frac{1}{2}$, & ſubtracta a 48735 dant $869\frac{1}{2}$ pro profunditate putei. Tu vero ſumis pro $\sqrt{bb+4dt}$ $10+\frac{4}{10}$, quod dat $x=999$. Affirmare non audeo, me in calculo deceptum fortaſſe eſſe, cum & a tuo & ab eo quem expoſui differat. Cum experimentum in ponte Linthæ tentarem, inveni tempus impendi $6''$ quæ per pulſum menſuravi. Altitudo vero filo menſurata erat 72 ulnarum Glaronenſium. Comparavi aliquando experimentum

tum cum calculo, ſed tunc pro altitudine pontis valor prodiit imaginarius, ab eo vero tempore calculum repetere non licuit. Anatomen exercendi ſufficiens hic mihi ſuppetit occaſio, ut jam bis auditoribus meis integram anatomen hac hieme exhibuerim, omnia vero adeo clanculum agenda ſunt, ut nemo vel domeſticorum vel exterorum quicquam intelligat, quum ſenatus vix ſimilia indulgere velit. Bis jam felici ſucceſſu in aortam infantis injeci unius anniculi, alterius ætatis 3 annorum, ut non tantum omnia absque ruptura vel extravaſatione injecta, ſed & ipſæ venæ totius corporis penitiſſime ſimili materie repletæ fuerint. In venam portæ vero ſingularem injectionem feci. Subſtantiam corticalem cerebri paravi per macerationem: digitorum nonnullorum cuticulam cum reticulo cutaneo & ungue, in forma chirotecæ detraxi. In ultimo, in cujus diſſectione jam occupor, ſingularem internorum conſtitutionem oſtendi, Inteſtini præſertim Coli. Mortuus eſt miris convulſionibus, medicamentis ab Empirico excruciatus. Colon in dextro latere ubi oriebatur præter modum dilatatum ultra 14‴ in diametro, poſtmodum ubi ſub hepate flectebatur incurvatum erat in ſpeciem literæ ε atque tenue redditum vix 6‴ paululum deinde adſurgens dilatatum eſt ultra 16‴ & cellulæ inſigniter extuberabant in ſingularia: diverticula ſub ventriculo rurſus attenuatum proceſſit, & a tenuibus tectum, rurſus eminens in ſiniſtro latere ad ſplenem ivit, ubi anguſtiſſimum vix 4‴ diametri factum, juxta latus ſiniſtrum deſcen-

deſcendebat, in cujus inferiore parte craſſum ultra 14''' factum in dextrum latus ad hepar uſque procedebat, initium Coli ad interiora premens. Inflexum tandem & anguſtatum in inteſtinum rectum deſinebat. Ventriculi fibras diſtinctius obſervavi, & diverſas ab iis, quæ ab authoribus perhibentur, has ut & colon delineari curavi: an vero in ventriculi fibris oculi mihi impoſuerint, in ſequentibus diſſectionibus videbo. Tuo exemplo (quod quantum mihi profuerit ſemperque proſit absque grata commemoratione agnoſcere nunquam prætermittam) imitatus fabricam corporis ut diſſecanti mihi patet adnoto, ipſis annotatis dubia quædam aliquando ad te mittam, ſi & tu permiſeris, & negotia mihi otium concedent. Mitto ad te injectionum ſpecimen; tunicam externam inteſtinorum cum circulari muſculoſa detractam, in qua ubi luci non nimis vividæ expoſueris, ſingularem decurſum plurimorum vaſorum obſervabis, quæ ad muſculos ex fibris inteſtinorum cæteroquin excolores procedunt. In Anatomicis jam plurimum occupatus ſum, niſi quod aliquando & ægrotis & amicis (quos plures mihi comparavi immo magnæ apud nos authoritatis, per collectanea mea in Hiſtoria naturali, plurimi enim hujus amatores apud nos exiſtunt) aliquid tribuendum ſit. De Botanica jam animus remotus, tum quæ pro characteriſticis tabulis, tum pro Helveticis plantis conſcripſi, ad vernum tempus deliteſcent. Absque dubio vidiſti, quæ Cl. Scheuchzerus de Thermis Helvetiæ Ephemeridibus inſeruit. Nupere occaſionem

ſionem habui Bibliothecam D. Heideggeri, qui Pariſiis praxin medicam exercebat (noſti hominem), coemendi, in ea plurimi Chymici, practici quidam & anatomici ſui ævi continentur, rari vix multi, adſunt omnia Acta Hafnienſia, Medico gallica, ſcripta Bartholiniana omnia. Singularis prorſus eſt cujus mentionem facis morbus complicatus adeo, ut de ſimili vel legiſſe vel audiiſſe non meminerim: mihi videtur initium inflammationem diaphragmatis fuiſſe, materiem vero phlogiſticam ultimis temporibus in ſyſtemate totius ſanguinis præcipue venæ portæ detineri: adeo vero intricata ſunt ſymptomata, ut cauſa ſingula explicans vix indicetur, niſi forte poſt ſectionem. Hisce diebus accipio a Cl. Stockio phyſico Norimbergenſi literas humaniſſimas, in quibus me ad univerſale commercium litterarium ad rei medicæ ac ſcientiæ naturalis incrementum a Medicis Norimbergenſibus inſtitutum invitat: absque dubio & ſimiles accepiſti: quid tu de hoc conatu? Vereor tandem, ne longior epiſtola negotiis tuis graviſſimis moram ſit allatura, oportet ut ſcribendi finem faciam. Vale & me amare perge. Dabam Tiguri ad d. 15. Jan. 1731.

39.

JOH. GESNERUS.

Effecit quidem diuturnum ſilentium tuum, ut literas tuas tanto ardentius exſpectaverim, quas-

que

que præterita hebdomada accepi cum maxima voluptate legerim, cum uberiorem meſſem obſervationum, atque præprimis jucunda de Te attulerint. Gratulor dulcem vitæ ſociam atque fauſtiſſima quæque omnia conjugii tempore & tibi & dilectæ tuæ animitus apprecor, tuam vero amicitiam ſæpius mihi probatam porro erga me ut ſerves plurimum rogo. Faſciculum diſſertationum Schreiberi recte accepi, atque in iis plurimum lætatus ſum, cum & amici veteris memoriam refricaverint, tum & utiliſſima continuerint. In meditationibus de fletu plures exquiſiti ingenii & ratiocinii fructus ſapientes invenio, in omnibus non tamen ita convenio quin diſſentiam, præſertim ubi practica ſolvit & adducit, tum & in materie de affectibus. Ejus principia mathematico-medica perlibenter legerem; quod ſi apud vos proſtent ad me mittas rogo, ſin minus Lipſia accerſi curabo: gaudebo cuncta ad principia uſque primæ cognitionis noſtræ metaphyſica demonſtrata perſpicere; in his ab aliquo tempore legendis ſingulare ſtudium atque diligentiam poſui. D. Prof. Fiſcherum urbem noſtram transeuntem efflagitavi, ut præcipua momenta Philoſophiæ Wolfianæ mihi indicaret, atque methodum legendorum ſcriptorum Wolfianorum traderet, quam ſequor. Schreibero ubi reſcribes, meo nomine ſalutem & gratiarum actionem reddas velim, ejus amicitia mihi ſemper exoptatiſſima erit; ad ipſum data occaſione ſcriberem, ſi ſcirem literas meas ipſi non ingratas futuras, vel ſi quædam haberem, quibus de-

delectaretur ad ipſum mittenda. In eandem prorſus cum Walthero obſervationem incidi, cum nuper vaſa corporis in infante luſtrarem, nempe infra foramen arteriæ vertebralis in vertebræ proximæ inferioris proceſſu transverſali exſculptum foramen atque tranſeuntem arteriam deprehendi, quæ primo duplicis vertebralis ſpecie mihi impoſuit, accuratius vero inquirenti eandem inter M. Scalenum atque complexum excurrere, hisce potiſſimum muſculis ramos largiri patuit. De plantis uberior differendi occaſio dabitur, ubi proximum ver easdem nobis exhibebit. Tandem me promovi, ut quod tu diu ante cœpiſti opus, deſcriptionem plantarum quarumcunque obviarum aggreſſus ſim; video namque in hac confuſione plantarum inevitabilis eſſe neceſſitatis, cum quilibet nova genera fingat, ſuperaddat, confundat, quæ vix niſi ex prioribus non ſatis intellectis vel definitis emergunt. Nuper Cl. Heiſterus ultra 17 genera nova conſtituit, ut dubio procul ex Novis Lipſienſibus intellexiſti, & ſocietas hæc perplacet, plurima utiliſſima exponunt, ſimulque commodum inſerendarum obſervationum locum concedunt. Nuper ægrum ſanavi, qui ex convulſionibus enormibus in coma agrypnodes per triduum incidit: plura ſane circa motum automaticum in hisce morbis notavi. Ægram curo, quæ ex terrore retrotactionem umbilici paſſa eſt, umbilicus ad 2″ ſpatium intra abdomen tractum eſt, ſubinde ſanguinem fundit: nihil de tumore extus vel in latere dextro apparet; ſed ex aſſumtis copioſis

pioſis nonnunquam convulſiones tormina inteſtinorum & fœcum per aliquot dies retentio. Suſpicor tumorem adeſſe ligamenti teretis. Tua in mathematicis diligentia meam longe antecellit (non quod me diligentem dicere velim) nonnulla correxiſti in meis, quod gratus agnoſco, impoſſibile quandoque eſt errores in ſcribendo evitare: plurimos in meis mathematicis invenio, ut tantum non neceſſarium deprehendam ſingula deſcribere, plures corrigo occaſione quæ mihi datur analyſin in Collegiis privatis docendi. Pauca ad animadverſiones tuas in reliquis errorem meum deprehendo: In Exempl. III. prop. I. negas æquationem AP + PB. PM :: AB. AD. (conf. F. 7) eſſe pro Hyperbola: tum vulgatiſſima nempe rectangulum ex abſciſſa AP in rectam PB compoſitam ex eadem abſciſſa AP & conſtanti AB qui axis transverſus, eſſet ad PM quadratum applicatæ, ut conſtans axis transverſus AB ad conſtantem parametrum AD: hæc ipſiſſima quam Wolfius habet definitio Hyperbolæ Elem. Analyſ. Finit. §. 459. rec. edit. Hæc & æquatio pro hyperbolis infinitis vera erit cum in hoc caſu ſit

$$x^{m} \times a^{n} - x^{n} \cdot y^{m+n} :: a^{n}. b^{n}$$ Prop. III. p. 17.

Quæ ibi habetur curva ſinuum, diverſa eſt a Leibnitiana, nec eam invenio in Wallſiio: an deficiat vel ex defectu indicis non invenerim, determinare non auſim.

In

In Prop. IVta ratio data eſt inter tres lineas MP. PQ. NP. hinc ratio compoſita habetur non ſimplex. Eſt nempe AP + PB. PM^2 : : *b*. *mc*. ſive *x* X *a* + *b* -- *x* . *yy* : : *b*. *mc*. ſcil. $yy = \frac{ax + bx - xx \text{ X } mc.}{b}$ Æquatio, quam tu adfers, locum pariter habet, ſed ſpeciales conditiones hic memoratas non omnes involvit. De reliquis, ubi otium dabitur, plura ad te ſcribam.

Ad te mitto, quæ Cel. Bernoullius Ill. Marchioni de l'Hoſpital circa calculum integralium tradidit, pauca omiſi de curvis cauſticis, ubi nimis prolixus mihi viſus eſt, quam ut tempus deſcriptioni vacaret. Vereor ne plurimos in hoc manuſcripto errores offendas, cum ex manuſcripto non ſatis accurato a D. Burkardo paſtore Hüningenſi ſuppeditato deſcripſerim, & tempus ordine ſingula pertractandi defuerit. Mitto itaque, ut potius obſequium meum cognoſceres, quam utilitatem conſequereris, niſi ingenium tuum lucem hisce affundat.

In arte pictoria magiſtro utor, ut & plantarum characteres & alia obvia in hiſtoria naturali aliquando deſignare poſſim; tædet vero tantum temporis hisce impendere.

Cl. noſter Scheuchzerus nova ex ſummis alpibus hisce diebus evulgavit, ubi parallelismum obſervationum barometricarum Tiguri & in Gotthardo monte inſtitutarum ſiſtit, quæ inde con-

cludat & qua ratione, lecto libro dijudicabis. Molitur Hiſtoriam plantarum Helvetiæ, cui deſtinavit icones Fuchſianas, quas poſſidet, reliquas plantas ex ſiccis depingi curat, cuique generi tabulam in folio characteres ex Tournefortio depromptos & majuſculos redditos continentem anteponit; ex hisce operis rationem cognoſces.

Accepi literas a D. Gronovio, ubi plantas plures cognato Leidæ degenti ad me curandas ſe tradidiſſe ſcribit, & nonnullas plantas Helvetiæ poſcit. Tum Agnatus, tum Gronovius, memorant Cel. Boerhaavium Secretario Petropolitano in Botanici Petropolitani locum me de optima nota commendaſſe, ſe vero ignorare dixiſſe, utrum accepturus ſim: reditus annui 800 Rubels dicuntur cum ædibus academicis. Scio te plura & certa hac de re ad me nunciare poſſe, quod ut facias a te peto, ac omnem in modum obſecro; niſi enim proficua res foret, nollem ut commendationem mei diutius urgeret. Sin minus, rogarem ut omnia data ratione opus promoveret; ſcio enim Boerhaavium apud Ruſſos, præſertim Præſidem Academiæ D. Blumentroſt (qui ejus diſcipulus fuit) plurimum valere. Te & in hoc opere plura præſtare poſſe mihi perſuaſiſſimum eſt, tuo & conſilio & auxilio ut me adjuves obnixe rogito. Vale, Vir celeb. & me ama.

Dabam Tiguri ad d. 23. Apr. 1731.

40.

JOH. GESNERUS.

Serius, quam mente concipiebam, ad gratiſſimas tuas, quibus profuſam tuam erga me voluntatem pluribus declaraſti, reſpondeo, impeditus febre eryſipela τῶδε, morbo mihi circa initia æſtatis admodum familiari; durabat per 5 dies cum anxietatibus exanthematibus & pulſu febrili; feliciter ceſſit purganti ſub initium, in decurſu morbi diluentibus & leniter diaphoreticis adhibitis. Multum occupatus ſum in examinandis plantis, hisque præcipuam vacuæ diei partem tribuo. Tecum ſentio de opere Graminum Scheuchzeriano, tædioſum eſſe minutias quasque cum graminum ſpeciminibus conferre; videntur præterea nonnulla neceſſaria circa generum conſtitutionem in triticeis, loliaceis, præcipue vero in plantis graminibus affinibus omiſſa eſſe; invenies plurima, ubi conferes characteres Linagroſtidis, Cyperoidis &c. ubique neceſſaria tubæ, vaſculi ſeminalis, & ſtaminum conſtitutio omiſſa, & haud raro unum pro altero apud eum ſumitur. In vulgatiſſimis plantis plerumque hæſito, cum aut male deſcriptas aut falſo addita ſynonyma reperio, præcipue in opere Tournefortiano. Radix dentata Anblati, cum examinarem, nil exhibuit, niſi totidem nova rudimenta plantæ ac ſunt radices, in quibus eadem diſpoſitio, floris, ſed reconditi exiſtentia in ala ſquamarum diſtincte deprehenditur. In Muſcis examinandis plurimum

temporis conſumo, ubique accuratiſſimus eſt Michelius. Vaillantius videtur hallucinaſſe in binis ſpeciebus muſci taxiformis, cum aliena ſynonyma adferat & figura, qua utrumque muſcum exhibet, vix differat, niſi magnitudine, quæ in eadem planta eodem loco nata multum variat: utrumque inveni, ſed diſtinctum admodum, Rajanæ deſcriptioni convenientiſſimum; & pediculis donatum. Ægra quæ ex umbilici retrotractione decumbebat, ſanitatem recuperavit uſu mercurii dulcis ad gr. V. cum oculis cancri per 8 dies continuato, adhibito poſtmodum balneo ex Rad. Lapæthi herba heder. terreſtris & malva. Plures hic apoplexia corripiuntur, ante aliquot hebdomadas eandem paſſus eſt Vener. noſter Antiſtes, qui inter ſpem & metum adhuc verſatur. Hodie ex eodem morbo derepente occidit Graviſſ. Proconſul Meierus. Adſunt heic VI Conſtantinopolitani Empirici, proxime in foro merces ſuas & medicamenta publice diſtributuri. De Scheuchzeri hiſtoria plantarum pronum eſt conjicere, quid futurum ſit, cum deſcriptiones & icones ex plantis ſiccis petantur, quibus ſingulis icones non mutatæ ex Tournefortio apponuntur, ſubinde vero imagines pictæ plantarum Fuchſianæ, quarum typos ligneos D. Scheuchzerus poſſidet. Quas poſſum gratias teſtor pro ſingulari tuo candore, quo mentem tuam de Petropolitana Academia mihi declaraſti, optaſſem agnoviſſe rationes, quæ Gmelini diſceſſum ſuaſerunt, fortaſſe florentiſſimus ſtatus Academiæ Holmienſis * & Inſti-

* hæc ad famam eo tempore ſparſam.

Inſtitutum recentiſſimum Societatis literario-medicæ ibidem promovendæ. Cum oporteret reſponſorias dare, reſcripſi ad Cl. Boerhaavium & Gronovium; antequam vero ad interrogata reſpondere poſſem, ſcitu neceſſarias mihi fore conditiones, quibus Petropoli mihi degendum foret. Literas meas quod non exſpectabam), quas ad dictos Viros dabam, Secretario Petropolitano 5. ante hebdomadas transmiſerunt, unde reſponſionem exſpecto Boerhaavius orationem conſcripſit de honore Medici ſervitute. Sequente Julio ſuppellex anatomica & botanica Cel. Ruyſchii publica auctione diſtribuetur, & quam proxime catalogum exſpecto. Quantum cuperem me in inquirenda Diaphragmatis fabrica in cadavere humano tibi ſatisfacere poſſe, ſcias vero vix hoc tempore locum dari hiſce diſquiſitionibus: quæ in cadaveribus præterita hieme a me diſſectis adnotavi, a leo pervulgata ſint, ut certiſſime etiam nihil horum te latere poſſe. Ad manus vero non ſunt ſcripta mea, quæ diſcipulus a me mutuo ſumſit. In hortis noſtris provenerunt ex alpinis Chamærrhedodondra alpina, Aſtrantiæ, Ranunculi: & plurimæ exoticæ conſitæ ſunt, quæ læte germinant, nullos hactenus flores exhibentes. Tentavi ſpecimen plantarum folia typis exprimendi, vides ſatis accurate lineamenta exhiberi, color facillime ſuperadditur. Simaruba eſt cortex nuper in Galliam allatus, certum ſpecificum in fluxibus alvi inveteratis, de quo diſſertationem peculiarem conſcripſit D. de Juſſieu Prof. Bot. Pariſienſis, quam cum epiſtola præterito menſe

Decembri ad me miſit. Excuſabis feſtinanter ſcribentem. Vale & me amabis. Dab. Tiguri quam ocyſſime ad d. 23. Maji 1731.

41.

JOH. GESNERUS.

Paulo citius putavi me ad Te ſcribere poſſe, ſed febris continua me per 10 dies lecto affixit, & negotia inde mihi accumulata plurima impeditus plane non potui. Literas tuas obſervationibus & animadverſionibus utiliſſimis refertiſſimas, tuique erga me affectus totas plenas, plurima cum voluptate legi: quæ de plantis ſcribis, veriſſima deprehendo, & quotidie examinanti plantas palam fiunt. De opere Vaillantiano ſperare omnino fas eſt, ut accuratius & ſtudiis botanicis magis accommodatum prodiiſſet, ſi author eidem ſupervixiſſet, ut ex iconibus ſaltem conjicere licet; reliqua ſunt indigeſta moles. Ea vero, quæ in Actis Pariſinis propoſuit, nimis nova multa, atque tyroni difficilia, vel in hoc præcipue, quod ſumma genera in notis in plerisque plantis raro & nonniſi attentiſſima cura obſervandis ſtatuerit. Per totum Scheuchzerianum (graminum) opus ſtaminum & tubarum male habita ratio, quod cum in recentibus ſtamina apicibus decidua pro tuba agnoverit, tum plerasque ſiccas examinavit. Multo in his accuratior Michelius inde ſuas claſſes Mono-Di-Tri-Poly-ſtaminum conſti-

conſtituit. In nonnullis muſcis in partium genitalium fabricam inquiſivi, quam mihi videor eſſe adeptum, nec tamen ita, quin plurima dubia reſtent & conjecturæ, quæ partes maſculinæ vel femininæ in his ſtatuendæ ſint. Obſervationes, quas circa plantas alpinas ad me ſcripſiſti, accuratiſſimæ ſane, & plurimi uſus in perficienda aliquando Hiſtoria plantarum Helvetiæ. In Orchidibus plurima invenio non recte exhibita, quædam circa Tigurum nata, ut Spiralem albam & Monorchidem, quæ odorata moſchata, omnino diverſiſſimæ ſunt; in alpibus binas palmatas luteas inveni, de quibus incertus quorſum referendæ: alias inveni, ut Pſeudorchidem C. B. palmatas virides, flore roſeo, & atropurpureo odoratiſſimas, ſed per tempus examinare non licuit: quod maxime doleo mihi in plerisque plantis alpinis, dum hac æſtate alpes pertranſirem, contigiſſe. Iter feceram cum D. Scherbio Med. Doct. & fratre Med. Cultore (hisce diebus Licentiati honoribus Baſileæ aucto): verum nobis ob negotia, alteri vero ob inſtans iter in Belgium maxime feſtinandum erat. Itineri X. modo dies aſſignavimus, 5. dies in tranſitu per Alpes Abbatiscellanas conſumſimus, omnia nonniſi breviſſime adnotare, & veluti per tranſennam inſpicere licuit, ut potius de nobis dicendum ſit, nos plantas collegiſſe quam obſervaſſe: quod imprimis mihi faciendum erat, cum plantæ alpinæ non paucæ ad D. Gronovium & alios amicos transmittendæ fuerint. Cæterum de plerisque incertis maxime ſtructuram floris & ovarii conſignavi, ut aliquando hoc iter repe-

tenti facilius eſſet ad ſingula attendere: præcipue vero in Graminibus nonnullis, Pſeudo-narciſſo, Lychnidis & Alſines ſpeciebus, in Saxifragis, Pediculari &c. Tormentillas non paucas inveni 5, 6, 7. petalas, ut floris 4. petala minime conſtantem floris caracterem exhibeant. Nonnullas alpinas recentes, quas D. Lochmannus Medic. in alpibus degens ad me curavit, hic examinavi & horto commiſi. In alpibus vero Abbatiscellanis plurimas ſane & rariſſimas colligere licuit, nec paucas mihi hactenus nondum viſas: ut conſtitutum mihi ſit, ſimile aliquando iter majori otio inſtituere. Accedit quod vix alibi ad experimenta phyſica aptior ſit locus. Dantur parietes ultra 1000 pedes perpendiculariter erecti, ad quos acceſſus & locus datur, experimentis barometricis, pro examinanda differentia altitudinum Barometro & per inſtrumenta geometrica determinata, atque inde mechanice determinanda curva radii ſolaris per aërem diverſæ denſitatis transmiſſi. Habentur ibi Echo ſextuplices ſeptimam ſyllabam reddentes. Speluncæ ultra 100 perticas excavatæ androdamante repletæ, ex quibus non pauca collegi, quæ lapidis hujus generationem mechanicam illuſtrare poſſunt. Foſſilia & figurata ibi innumera ſunt, quorum magnam copiam collegi. Plantas vero nuper lectas in univerſalem plantarum mearum catalogum conjeci, eum apud ſe ſervat D. Stehelinus, quam primum vero accepero, per Tabellarium ad te curabo, ut quas deſideras mihi ſignificare poſſis: tuas quoque valde exſpecto, quas per eundem Tabellarium

facile

facile ad me mittere poteris. Androſacen alpinam muſcoſam memini me olim in alpibus Rhæticis inveniſſe, quam in Herbario meo ſervo ſub titulo Androſaces alpinæ pumilæ flore albo & rubro, eam ad D. de Juſſieu binis abhinc annis transmiſi, eamque pro ſpecie nondum deſcripta agnovit, ut & Scheuchzerus noſter. Saxifraga alpina Androſaces facie apud Fab. Columnam depicta habetur ſub titulo Sedi III. montani ſpeciei, cum qua Scheuchzerus multas Saxifragas Pyrenaicas confundit in Itin. alpino II. eam inveni flore albo, flore luteo, foliis integris latiuſculis, foliis latiuſculis trifidis. Alia quæ negligenti cura & obiter ſparſim in chartis herbis meis ſiccis adjectis conſignavi, diligentiori opera repeterem, & in plantis recentibus ad hæc attendere ſtuderem, ſin tibi hæc levia operæ pretium eſſe videantur. Nihil vero exoptatius, nihil mihi utilius contingere poſſet, quam hæc ad normam præceptorum tuorum examuſſitata exhibere, & aliquando tuis jungere obſervatis. Credendum vero eſt tuam aſſiduitatem nullam plantam ſubterfugere, ut alia opera tibi minime opus ſit: quam ob rem tuum conſilium (quod me in ſocietatem laboris adducis) mihi magno quidem honori & emolumento, ſed maximo eſt tui erga me amoris argumento. Lubenter quæ tibi videor ad inſtitutum tuum conferre poſſe ad nutum & conſilium tuum componam, atque curabo, ut plantas helveticas examinandi occaſionem nunquam prætermittam, ut aliquando diligentior de iis notitia habeatur; niſi obſtare videatur ma-

gnum opus Hiſtoriæ plantarum Helvetiæ, quod Scheuchzerus noſter molitur. De hoc præter ea, quæ alias ad te ſcripſi, hæc habe. Opus recenſebit ordine alphabetico Tournefortium ſequens, ad cujus nomina in perpetuo quaſi pinace reliquorum authorum ſynonyma latina, germanica plantarum Helvetiæ referet, in his vix multa immutans, niſi quatenus ex authoribus hauſit. Operi quoque inſeret totum opus Graminum fratris ſui, ubi de graminibus helveticis agit, omiſſis deſcriptionibus. In plantis alpinis majorem promittit diligentiam, ſuppeditaturus deſcriptiones amplas plerarumque, quas cum ipſe, tum frater ejus Johannes, in ipſis alpibus in plantis vivis confecerunt. Pervenit ad literam H. & ſedulo in cepto opere pergit. Cum ipſum hisce diebus convenirem, & interroganti cum de te, tum de meis laboribus in Botanicis reſponderem, te in Itinere alpino in perquirendis plantis detineri, me vero ex itinere reducem eſſe, ultro ſe obtulit, ut ſi dubia nobis quædam ſint circa plantas Helvetiæ, ſecum ea communicare velimus. Hæc ad me dixerat, antequam tuam epiſtolam acceperam, nihil de propoſito tuo ipſi ſignificavi; utrum ipſi quædam vel per me, vel datis ad ipſum literis, vel prorſus non proponere velis tuum conſilium eſt. Accepi a D Gronovio hac hebdomada plantas Carolinianas & Malabaricas nonnullas cum Conchyliis marinis & Rumphii Amboiniſcher Rariteytkammer. Obtinui quoque Orat. Boerhaavii de ſervitute medici honore; videtur philoſophiam

phiam Wolfianam aliquantulum amplecti, & in methodo & in definitionibus. Gorterum legi, perplacet ob diligentiam, & judicium non mediocre, ob omiſſos vero fontes, ex quibus obſervationes hauſit, non ubique ejus aſſertis fidem adhibeo. Anatomica perfunctorie tractat. Erinaceum marem diſſecavi, atque in eo plurima circa fabricam teſtium & partium genitalium, muſculoſam fabricam cutis notavi: atque exiſtumo vix in altero quocunque animali partium genitalium fabricam diſtinctius cerni. Petropoli præter ea, quæ ad te ſcripſi, nihil hactenus reſcivi, nec facile ſedem meam mutabo. Schreiberum Moſcuam adiiſſe absque dubio ex Actis Norimbergenſibus intellexiſti. Bernoullianis manuſcriptis utere ac ſi tua eſſent, & nonniſi remitte, quam commodo negotiorum tuorum recte iis uſus fueris. Vale & me amare perge. Tiguri d. 28. Septembr. 1731.

42.

JOH. GESNERUS.

Etſi literæ Tuæ pro affectu erga me tuo, quem maximum præ ſe ferunt, mihi gratiſſimæ fuerint, non potuerunt tamen triſtes mihi accidere cum ex iis Te ægrotantem cognoverim, at opto & ſpero te jam meliuſcule habere. DEUS T. O. M. ſanitatem Tibi firmet, quam ſi conjicere fas eſt, nimiis ſtudiis frangis: reliqua omnia quæ ſcribis,

maximam

maximam mihi attulerunt voluptatem. Specimen, quod Actis Norimbergenſibus inſeruiſti, hactenus nusquam vidi. Tibi vero me plurimum debere profiteor, quod tantus honoris mei vindex exſtas, neque vero a quopiam majores laudes mihi conciliari poſſent, quam ubi hæ a te proficiſcuntur. Ex tuo conſilio jam diligentior ſum & paulo accuratior in conſignandis, quæ circa plantas obſervare mihi contingit, alias pleraque (ſi 200 plantas excipias) ſchedis volantibus commiſi, quibus parum fidere poſſem, niſi repetita vice in ipſis plantis examen ſubeant. Hoc tempore in muſcis, fungis & congeneribus plantis plura diſtinctius, quam ex lectione authorum hauriebam, videre licuit, atque nonnullas nunquam antea viſas contemplari. Subſtantiam hinc inde obſervo fungiformem, in orbiculos formatam, lignis putridis adhærentem, ſuperne coccineam inferne ſordide albicantem, in margine piloſam, ſubtus papillatam, e quarum papillarum vertice pilus exiguus prodit niger, anceps ſum an ſit Fuagoidaſter minimus incarnati coloris acaulis ferme anagyridi non fœtidæ & ſemimortuæ innaſcens. Michel. T. 82. 4. qui huc refert Lichenoidem tuberculoſum amœne purpuraſcentem. Raji Syn. ed. 3. 71. n. 50. Cæterum plurimas plantas a Michelio notatas quotidie invenio, maxime vero muſcos &c. & diſtinctius video, & majori quandoque apparatu inſtructos, quam Micheli memorat: has certo ſcio a Scheuchzero noſtro prætermitti, niſi aliunde per Botanicos hæc in Helvetia naſci reſciat. Ei præterito menſe,

menſe, ut cognoſceret aliquale meum in re botanica ſtudium, Gramina mea commonſtravi, & nonnulla helvetica, quæ ipſi oſtendi, a fratre ſuo ſoli huic ſtudio dedito prætermiſſas eſſe miratus eſt: plura vero exotica, quæ cum ipſe mecum communicavit, tum ab amicis accepi, a fratre in hiſtoria ſua prætermiſſa in ordinem digeſſi juxta locuſtarum & glumarum fabricam, atque nonnulla exhibui, quæ aliter, quam in Agroſtographia tradita ſunt, inveniebam. Haberem ultra 50 gramina Scheuchzeri agroſtographiæ addenda, quorum quædam a nemine deſcripta ſunt. Sed hæc ipſi ita proponenda ſunt, ut potius tum ab ipſo doceri videri debeam, neque quicquam moliri licet eo non aſſentiente, omnia enim apud noſtrates valet, ut plurima, quæ a patria mea exſpecto, ab ejus arbitrio dirigi debeant. Facile conjicis, me nil quicquam circa plantas helveticas moliri poſſe eo diſſentiente, niſi tecum fiant, in te vero invenirem & præſidem & tutorem: neque vero id inſolitum quid aut a conſuetudine Botanicorum remotum eſt una aliquod opus maximi momenti perficere aggreſſi ſint, cum a Commelino & Ruyſchio, authoribus H. Malabarici & pluribus aliis factum ſit, quod & Geſnerus meus in epiſtolis ſuis ubique urget. Certo ſcio, quamvis Scheuchzerianum opus laboris & obſervationis plenum exiſtat, nimis tamen id deproperari, quam quod hoc requiſitam induſtriam & tempus admittat. Plures vero plantas alpinas continebit, quam in itineribus inveniuntur, cum poſtmodum a fratre ſuo

obſer-

obſervatas, & quas diſcipuli ex alpibus attulerunt, comprehendat. Quicquid exiſtimas a me in perficiendo hoc opere botanico fieri poſſe, lubenter efficiam, utrum me Alpes Bernenſes adire, & otia æſtiva tecum transigere velis, aut me in alio Helvetiæ angulo in plantas inquirere malis, tuum conſilium eſt: hoc vero certo tibi perſuade, nihil me malle quam te eſſe mecum, nihil enim utilius, nihil mihi jucundius eo fieri poſſet, quam frequenter memoria conſuetudinis noſtræ reficit, ut in blandiſſimis inſomniis tecum aſſidens a te & ſuavi colloquio tuo erudiri mihi videar, plura enim a te docebor, quæ coram melius quam per literas quæruntur: utcunque tamen ſumptibus aliquantum mihi parcendum eſt, ne majores impendam, quam ratio facultatum mearum permittit; vix credis quantum hic Medici praxi inhient, ut juniori Medico nonniſi moleſta & parum proficua praxis reſtet, pleraque mea a collegiis habeo & opibus paternis: quæ vero ingenue hæc ad te ſcribo, ut ſpero, dabis amicitiæ noſtræ & perſpectæ tuæ in me voluntati. Præterito anno exiſtimabam in Rhætiam Burmium profecturum me fore, ut quas Joh. Bauhinus inde maxime ſuas plantas habuit, obtinerem, ſed per tempus non licuit: videbo quid tibi placeat an in ſequentem annum hoc iter differam, an me in Alpes Bernenſes proficiſci probes. Mitto paucas plantas, maxime Cyperoides & Muſcos; hoc tempore occupatiſſimo mihi plures ſeligere non licuit, ſperavi tamen nec has ingratas futuras, reliquas data occaſione

caſione ſeligere non prætermittam. Polygaloidem, de qua ſcribis, non novi, ſi diverſa ſit a Chamæbuxo planta. Circa Orchides hæc habe: Ex alpibus poſſideo ex palmatis Orchidem palmatam alpinam anguſtifoliam nigro flore C. B. 2. Orchidem palmatam alpinam anguſtifoliam roſeo flore Tournef. Inſt. 436. 3. Orchidem palmatam flore viridi C. B. 4. Orchidem palmatam alpinam flore luteſcente teſticulato Joh. Scheuchzeri Itin. alpin. 1709. ad Societ. Reg. Pariſinam: alias palmatas, quæ in pratis montoſis circa Tigurum occurrunt, omitto: Scheuchzerus addit palmatis Orchidem palmatam montanam anguſtifoliam maximam floribus carneis. Quartam Scheuchzerus in vallis ſexamnientis monte Tſchiera, ego ad fontes Rheni poſteriores inveni. Spiralis alba hic invenitur, flore calcari deſtituto, & radice ex pluribus bulbulis Napi aut Rapunculi radicis æmulis conſtante; Michelius ideo Orchiaſtrum vocat autumnale, pratenſe, ſpirale, album, odoratum. Nov. pl. 9. p. 30, 5. Pſeudorchidem radice repente, foliis maculis nigris & alias albis aſperſis Menzel pug. plantar. rar. tab. 3. hæc ad lacum felinum provenit. 6. Orchidem quæ Chamæorchis alpina folio gramineo C. B. pin. quæ Orchis alpina humilis flore gramineo Tournef. 7. Orchidem militar. montanam ſpica rubente conglomerata C. B. alias plures in Albio & Uetliaco monte natas omitto. Cacyophyllatam montanam Chamædryos folio aliquando inveni, & calicem ſimiliter 10 fidum. De Sedo montano Ericoide patere ut dicam

me, id nunquam non diangium vasculo in cornu utrinque reflexo inveniſſe, ut difficilis ſim illud a Saxifragis ſeparare *. De plantis alias plura. Nuper in abortum ſuis adhuc membranis incluſum cum inciderem, conſpexi in ſuperficie ea, qua ovi membranæ utero cohærent, ubique foveas & inæqualitates adeſſe, quæ reſpondent eminentiis in utero, ex his preſſis infinitis & inviſibilibus punctis ſerum ſanguineum cum ſanguine exibat, per microſcopium vero hæ foveæ totæ eminentiis minoribus rotundis papilloſis refertæ erant, in quibus diſtincti quid obſervare non poteram: cætera quæ notavi, parum te digna ſunt. Schreiberi præmittenda vidi & I. Elementorum Medicinæ librum, in quem Wolfius præfatus eſt: opus ſane magni judicii & lectionis, ex quo quoad ordinem & methodum demonſtrandi maximum fructum cepi, ex ceteris non item. Quandoque emendat Boerhaavium, nec tum ubique ex ſententia: nova quædam habet, ſed in omnibus aſſentiri nequeo, in aliis non æque ac apparatus præ ſe fert rem expediiſſe videtur; circulatio ſanguinis, quam deſcribit, manifeſto erit exemplo. Meretur vero ut nonniſi magnifice de ejus labore ſentiatur, optarem profecto ipſi teſtari aliquando, quanti a me fiat, rogo itaque, ut ſi ad eum ſcribis, mea officiola qualiacunque cum plurima ſalute offeras & de utili & docto opere gratuleris. Quæ inveniſti ex lectione ſcriptorum veterum Medicorum, prorſus ſunt ſingularia & novis plena. Vix ſane otium nanciſcor

* Veriſſima Saxifragia.

nanciſcor quo hæcce legam. Namque me & theoreticum, & practicum, & pharmacopolam, & mathematicum, & phyſicum agere oportet; ita enim exigit ſtatus Reipublicæ noſtræ & rerum mearum; prorſus non a meo arbitrio dependeo, vix otium pro ſtudio botanico tantopere a me deamato invenio. Circa cruſtarum, quibus quandoque lapidibus ſuperinductæ ſunt, varietatem plura conſpicere mihi licuit in antro Androdamantibus referto vallis Rhenanæ: quorſum vero lapis, quem deſcribis, referendus non definire valeo. Ut laudo inſtitutum tuum in digerendis ſcientiis, ita doleo me in paucis hæc hactenus tentare potuiſſe, ob defectum neceſſarii quod hic labor exigit temporis. In Arithmetica, Geometria, in Phyſica & Hiſtoria naturali quantum tenues vires meæ permittebant, id præſtiti, reliqua ne quidem aggreſſus ſum: conabor tamen, quid philoſophia Wolfiana in diſtinguendis & ordinandis claſſibus plantarum valet experiri. Scherbius diſcipulus meus genuinus, ob breve tempus quo ſtudio medico operam dedit, profectus nondum fecit, quos optaſſem, quamvis de induſtria ejus minime conqueri poſſim: doleo quod ejus diſſertatio tot erroribus typographicis referta ſit. Cæterum homo judicii non mediocris & diligentiæ ſtupendæ meique amantiſſimus, Leidæ apud Boerhaavium, s'Graveſande (qui ægrotare dicuntur), Albinum & Gaubium literis operam dat: cogitat Londinum, Lutetiam, Lugdunum, Monſpelium, & fortaſſe Italiam petere, Hiſtoriæ naturalis ſtudioſiſſimus eſt; plurima ab ipſo exſpecto. Si quæ

habes, quæ pro te effici cupias, ſcio lubentiſſime, & accurate per ipſum fieri. Leida miſit exſequialia D. Henrici Friderici Schröderi medicinæ candidati, qui cum aliis ſtudioſis vinculis injectum ſtudioſum e carcere eripere cogitaret, a milite ictu ſclopeti trajectus eſt: magnus inde apud omnes ſtudioſos rumor & luctus: tanto major, quod miles facti nullas pœnas luere debeat. Calculum integralium ſervabis quousque placet. Vale & me ama. Tiguri d. 26. Novembris 1731.

P. S. Præterito anno data occaſione plantas ad D. de Juſſieu miſi, atque ipſi quædam de iis dubia expoſui: in reſponſione quam his diebus accipio gratias agit, de dubiis vero nil quicquam ſolvit, excuſationem a temporis defectu petens.

43.

CH. FRID. HÆNEL.

Tandem vero aliquando literas Tuas, Præſtantiſſime Hallere, ſexta Calendas Maji exaratas, pridie nonarum octilis per Doctorem Burggravium juniorem cum diſſertatione ad me curatas accepi & legi. Expectatiſſimæ uti, ita & exoptatiſſimæ mihi extitere, cum meram ſpirarent humanitatem, & januam ad amicitiam anxie deſideratam aperirent. Candide loquor & ſincere, qui nihil auribus dare didici, & adulatorum

rorum vulgus profanum odi acerrime. Diſſertationem Tuam, quam ubique locorum incaſſum quæſiveram, legi relegique, opellam per Deum! teſſellatam atque ſumma modeſtia ſcriptam, quam Coſchwizius plane non merebatur, quem aliquando ſale ac pipere perfricuiſſe non oleo demulſiſſe decebat. Inſulſum, quod tibi oppoſuit, quia ſic jubes, ſcriptum mitto, cui duo Waltheriana elegantia ſatis, & Hebenſtreitii definitiones addidi. Aliud, quod a te legatur dignum ſit, in noſtris terris prodiiſſe ſcriptum non memini, niſi pulcerrimas deſcriptiones Tubulorum marinorum Kleinii, & Breynii hiſtoriam naturalem Cocci radicum tinctorii poſſidere cupias. Prodiit quoque nuper Francofurti cis Oderam autore a Bergen Diſſertatio admodum παραδοξος de nervo intercoſtali, cujus aliquod exemplar ut habeas proxima quavis occaſione curabo. Waltherus noſter originem hujus nervi denuo aliquoties, idque, uti ſolet, rimatus eſt ſolertiſſime, qui obſervationes ſuas cum publico communicare apud ſe conſtituit. Idem minatur nonnulla de muſculis interoſſeis digitorum pedis, & de αναστομωσει venarum hæmorrhoidalium internarum cum externis, ac decurſu internarum ad vaginam uteri cum icone inteſtini recti inverſi. Horum omnium particeps ut fias, quam primum lucem aſpexerint, mihi curæ erit cordique. Ut ad ductus ſalivales redeam verbo, illud te ignorare nolim, Doctorem Kulmum, qui cum Coſchwizio de inventionis gloria certabat, meliora edoctum mox palinodiam canturum eſſe, in tabulis anatomicis tertium

editis, qui tuæ nunc plene planeque ſubſcribit ſententiæ. Exacta deſcriptio ac delineatio omnium ductuum ſalivalium, uno præſertim volumine comprehenſa, adhuc dum inter deſiderata anatomica a cordatioribus refertur, hinc auctor ſuaſorque tibi extitero, hanc telam retexendam & pertexendam ſumas. Neminem te magis aptum natum eſſe huic operi perficiendo penitiſſime perſuadeor. Quæ cum Viris clariſſimis Norimbergenſibus communicaturus es botanica, tam ipſis quam toti medico orbi erunt gratiſſima, iſta vero ut quantocyus communices, te rogo atque obteſtor. Mei officii eſt ipſorum deſiderio facere ſatis, & pariter nonnulla his commentariis inſerenda transmittere. Mittam igitur vitam Garmanni, obſervationes quasdam de viſu duplicato, Nyctalopia, hydrope uteri veſiculoſo ex retentis ſecundinis, luxatione viſcerum frequenti morborum & mortis cauſa, cum ſtricturis quibusdam in ſplanchnologiam compilatoris Garengeot, & apologia pro Heiſtero. Dabo autem operam, ut omnia caſtiſſime proponantur. Mea vivendi ratio hæc eſt: tantum non omne tempus arti faciendæ impendendum, quidquid ab his laboribus commode decidi poteſt, digerendis & in ſuccum ſanguinemque convertendis iis dicatur, quæ notatu digna turba ægrotantium ſuppeditant. Hinc aliquando mentis aciem intendo, aliquando lego, aliquando ſcribo. Anatomica & Chirurgica præ reliquis in deliciis habeo, ſed nec elegantiora, quorſum botanica referas, omnino negligo. Interim libere profiteor, me

in

in botanicis admodum hoſpitem eſſe, quam turpiſſimam ignorantiam ut elucter nunc unice ago. Hunc in finem plerosque ſcriptores botanicos mihi comparavi, & hortum medicum adornare cœpi. Maximo me tibi beneficio obſtrinxeris, ubi hanc meam inopiam divitiis tuis ſublevare haud graveris. Rariores, quas æſtate præterita apud nos reperi, plantæ hæ ſunt:

Tuſſilago alpina flore purpureo.
Pyrola monanthemos odore lil. convallium Jungerm.
Lunaria folio rutaceo.
Spicant Tragi.
Filicula petræa corniculata.
Trientalis.
Parnaſſia.
Circæa.
Ranunculus Leucanthemus Apennînus Aconiti folio.
Orchis flore minimo.

Sed quid hæc ad te, cujus domi naſcuntur! Nimis te detinenti ut ignoſcas, & mihi favere pergas, iterum iterumque rogo. Mox reſcribe, ſi placet, & vale! Dabam Snebergæ Sudetum A. N. C. MDCCXXXI. decimo Calendas Decembris.

Schreiberum noſtrum lauto & opimo ſtipendio allectum, & dignitate auliatri Cæſarei ornatum, Petropolim abiiſſe noſti ſine dubio. Magnum diſceſſu ejus vulnus mihi fuit inflictum.

Novellæ eruditæ eum opuſculum de corpore & motu parturire ante aliquot ſeptimanas ſignificabant. Fidem denuo obſtrinxit, ſe medicinam ſuam proſecuturum, & juvante Deo ad finem perducturum eſſe.

44.

JOH. GESNERUS.

Quod citius ad humaniſſimas tuas non reſponderim, cauſæ exſtiterunt quam plurimæ: pictoris morbus, fratris nuptiæ, obitus Exc. noſtri de Muralt & plures aliæ. D. Fueslinus, qui tabulam pingere ſibi conſtituit, febri catarrhali (qualis fere univerſam urbem noſtram detinet, paululum hoc tempore remittente impetu) impeditus, nunc opera anatomica faſtidit, ſe labori noſtro ſubducit: ne vero moram diuturniorem hæc res capeſſeret, D. Lochmanno perito ſculptori cudendam tabulam tradidi, ſerio inculcans, ne ab archetypo recederet, niſi in indicatis ſibi locis: leviter aqua forti eroſam tabulam brevi ad Te mittet, ut quæ monenda tua habeas emendata ſiſtere queat. D. 13. Januarii obiit D. De Muralt Prof. Phyſices, Canonicus & Archiater, cujus vices in D. Scheuchzerum delatæ ſunt. Quisque exiſtimabat vacuam tum fore cathedram mathematicam, ſed & hanc idem Scheuchzerus ambiens me eo adducit, ut ſuadentibus amicis nil quicquam moverem. Quæ vero hujus rei ratio ſit paucis habe. Inde a 100 fere

fere annis Profeſſores electi ſunt duo Phyſicam unus, alter Mathematica docentes. Priores Canonicorum numero adſcribebantur. Antea vero duo tantum electi fuerunt, unus qui Phyſicam, alter qui Matheſin alternis horis exponeret. Anno vero circiter 1640. D. Lavaterus duplex munus atque ejus commoda a Senatu reportavit, neſcius vero ſtudii mathematici id plane negligebat, ita ut Senatus Profeſſionem conſtituerit mathematicam extraordinariam. Aſt Scheuchzerus noſter (in alium forte hæc derivaturus) Senatui noſtro de non neceſſaria profeſſione extraordinaria talia propoſuit, ut plane ſit abolita, Scheuchzero jam Phyſices & Matheſeos Profeſſore ordinario electo, inſolito plane his in caſibus exemplo. Scis vero quam ineptus ego ſim adulator, neſcius veritatem diſſimulare. Habes ſufficientem rationem ſilentii mei, ne dicam tædii, quod ſtudium theoreticum affert. Me unice reficit promotio fratris, in quem Poliatri munus ab Ampl. Magiſtratu delatum fuit, & bonorum omnium pro me ſuffragia, auctus diſcipulorum numerus, & aſſenſus lectionibus meis conciliatus; per hos enim dies ægrotante D. Scheuchzero ejus vices in Collegio publico ſuſcepi. Cel. D. Waltherus Prof. anat. & botan. Lipſienſis gramina & plantas quasdam helveticas a me petit. Hac hebdomade D. Dillenius ad me literas dedit, quibus abſolutum horum Elthamenſem ad me curaſſe nuntiat, muta utilia offert; ſed jam fere hujus ſtudii ſum pertæſus. Vale & me ama. Tiguri 24. Jan. 1732.

45.

JOH. GESNERUS.

Die 14. Januarii miſi ad Te literas cum muſcorum ſpeciminibus nonnullis & diſſertatione Scheuchzeri noſtri, ſimulque pro Fabricii operibus & honorifica mei in Actis Norimbergenſibus facta a Te mentione quas potui gratias teſtatus ſum: ex gratiſſimis vero tuis video, Tibi literas meas non traditas fuiſſe, quas perditas dolerem, ſaltem apud Directores (des Poſtamts) inquirerem: quas vero ultimas ad me dediſti humanitate, officio & ſuavi genio tuo totas plenas, ſane incredibilem mihi voluptatem excitarunt, ad quas ſigillatim reſpondere nil mihi amabilius, nil jucundius, nil antiquius foret, niſi capitis dolore ex prægreſſa mihi perquam familiari febri eryſipelatode imminente impedirer. Quæ de itinere, & prodromo botanico, propoſuiſti, mihi multis modis placebant. Si certo conſulueris, itineris ſciagraphiam ad me mittas, ut quo commodo in loco vobis obviam ſim futurus non ignorem: tum plura de communibus ſtudiis noſtris & rebus botanicis coram tecum agere me poſſe ſpes eſt ac votum meum; te autem comite iter mihi jucundum, utile, & omni voluptatis genere affluentiſſimum erit futurum. Multa enim mihi in omni parte Medicinæ dubia reſtant, quæ nusquam niſi te conſultore recte expedivero. Erit quoque mecum

in

in itinere D. Hegnerus Octoduranus discipulus meus, nisi tibi aliter videatur. Apparatus varii generis instrumentorum itineri necessarius erit, ne dato observationibus loco defectus instrumentorum has instituendas impediat, quod mihi in nupero itinere alpino evenit. *Dens leonis alp. flore croceo* Scheuchzero Hieracium est, similitudine desumpta ab Hieracio Dentis leonis folio obtuso minori C. B. pin. 127. pr. 63. potius ad D. leonis referendo, etsi enim quandoque caulis in summitate uno plures flores gerat, hoc minime hanc plantam a D. leonis divellit, cum cæteris tota conveniat, & Dens leonis qui pilosella folio minus piloso haud raro plures uno flores gerat. Ad ceteras de plantis alpinis quæstiones respondere vix valeo, authoribus quos memoras destitutus, quos tamen omnes cum aliis quibusdam futuro vere Leida exspecto. Onagram scio a Scheuchzero inter plantas Helvetiæ indigenas recenseri. Lichen, quem describis, & apud nos invenitur mense Decembri & Januario, postmodum cornicula sensim eriguntur in apices apertos, & finduntur in pyxidulas, ut idem prorsus sit cum musco pyxidato majori vel minori. Rarius tamen occurrit in palustribus & locis tophaceis similis, qui tubulos habet pollice longiores, nusquam quantum scio apertos; videtur Lichenoides tubulosum cinereum non ramosum Dill. Hoc tempore plurimas hujus generis plantas colligo, bis per singulas hebdomadas in sylvis obambulans, feliciſſimo cum successu, plerasque Lichenum, alias nunquam visas species offendens

& raras ſimul & nunquam deſcriptas plantas non paucas. Inter alias Clathroidaſtrum, ut videtur, fuſcum D. Micheli, quod videtur obſcure deſcriptum ſub titulo Lycoperdi ſpurii arborei barbati a Buxb. in Enumer. fl. Hal. p. 204. hujus ſpeciem oſtendi tomento flavo, ochraceo, volva membranacea dilute lutea. Inter has plantas memoratu dignæ viſæ ſunt plantula nigerrima vix $\frac{1}{6}'''$ craſſa, $1\frac{1}{2}'''$ alta, in ſummitate tuberculo inſtructa, quod aperitur, & globoſum continet corpuſculum apice prominente, hoc corpus per maturitatem excutitur, & capitulum remanet ſemiellipticum, concavum, prorſus ut in Lichene pyxidato. Alia eſt ſubſtantiæ fungoſæ flavo fuſcæ ramoſæ & veluti botryoidis, extremitates vero ſingulæ maturæ pulvere undique fuſco ſunt inſtructæ. Alia ejusdem generis non eſt ramoſa, & in ſummitate in 5. vel 4. finditur ſegmenta, ut florem exhibeat campaniformem, ex quo tomentum egreditur luteum, pulvere aſperſum ſeminifero. Alia planta foliis inſtruitur inſtar rete coloris prorſus ochracei, matureſcente vero planta fila, quæ fila majora retis componunt, intumeſcunt, pulverulenta fiunt, & tota planta fatiscit, & in fila trahit pulverulenta. Alia minima ſaxis aſpergine madidis adnaſcitur, habitu muſci minimi ſquamoſi, in aliis vero foliorum ſ. ſquamarum (quæ vix $\frac{1}{2}'''$ longæ & latæ ſunt, valde acuminatæ, laxius diſpoſitæ, virides) alterne ſiti ſunt globuli nigerrimi fungoſi, quos mihi videor vidiſſe in aliis virides cum fimbria alba. Has ſingulas plantas & calamo & penicillo

quan-

quantum inexercitato mihi licuit deſcripſi, cum plurimis aliis fungis, agaricis, muſcis &c. forſan prodromo tuo vel operi botanico helvetico non inutilibus futuris. Addo faſciculo gramina quædam, quibus carere datum hac vice, ut ſpero aliquando plura ad te miſero. Proxime Lichenes meos ordinandos adgrediar, atque horum ſpecimina ad te mittam. Alias plantas vix nominare audeo, qui auctoribus botanicis hactenus deſtitutus metuo, ne falſum nomen apponens in plurimis errem. Vale & me ut ſoles ama. Tiguri 28. Jan. 1732.

46.

JOHANNES JACOBUS SCHEUCHZER.

Ad multa, ita judicabis, pauca reſpondebo, ſatis tamen faciet amicus nobis communis Gesnerus, qui & collectanea viva & ſcripta pro ſua ſedulitate contulit. Dubia ſunt, quæ ipſe habeo, bene multa. Multa fecere Bauhini, ſed multo plura reliquerunt poſt ſe. Difficultates augent deſcriptiones mancæ, plantas in ipſis locis natalibus videndi & deſcribendi ſtante pede occaſio rara, rari quibus licet vel volupe eſt adire ipſam Corinthum, laboris & periculi plena itinera, animi lucrando plerumque pani inhiantes. Inſtinctus adſit oportet, & ſtimulus quidam, quo movea-

moveamur, internus, & quo videris ipſe non tam moveri, quam trahi, quod laudabile deſiderium quam maxime approbo, certus, te ex iteratis excurſionibus multum lucis affuſurum eſſe rei botanicæ, multum laudis tibi, imo jucunditatis multum: ſitienti refrigerio erit, feſſo cordiale vel unica plantula tibi hactenus non viſa. Mihi ſane fuit multoties. His te officioſe ſalutare, & meorum qualiumcunque officiorum certum reddere, felicesque progreſſus aggratulari volui. Tiguri $\frac{2}{32}$ Jan.

47.

JOH. JACOBUS HUBER.

Jam per duos menſes hic dego, plura itaque erunt, quæ Tibi ſcribam. In Anatomicis me exercere hucusque non datum fuit ob varias rationes, longe aliter enim res ſe habet hoc tempore, quam quidem olim tempore celeberr. viri Saltzmanni, tum enim impenſa ſinguli ſtudioſi tres vel quatuor florenos non exceſſerunt, & unicuique placide conceſſum fuit, non ſolum præparationibus intereſſe, ſed etiam proprias admovere manus. Jam vero Cl. Nicolai tres inſtituit claſſes, pretio diſtinctas, quarum prima eſt, quæ ſtudioſos nonniſi ad lectiones publicas admittit, cujus pretium eſt 6 livres; altera, ubi ſtudioſi præparationibus quidem adſunt, nihil tamen ſecant, pretio 24 livres; in tertia demum

diſſe-

diſſecandi venia data eſt, pretium vero (150 livr.) plurimos deterret. Cæterum Pariſina methodo Anatomiam docet, non præ cæteris admiranda, nec de ullo alio anatomico mentionem facit, quam de Winslowo, quem in omnibus demonſtrationibus ſequitur. Ob varias itaque modo prolatas rationes nonniſi lectionibus publicis interero, ne autem hic tempus, Anatomiæ unice dicatum, in otio teram, in Noſocomio gallico, auxilio fretus ſtudioſi Chirurgiæ, in Anatomicis exercitatiſſimi, numeroſam cadaverum Anatomiam exercebo.

Cupis eximie ſcire, quæ de diaphragmate docentur, ideoque adcipias hic Cl. Profeſſ. Nicolai diaphragmatis demonſtrationem, qualemcunque domo conſcriptam. „*Diaphragma* me„rito muſculis adnumeratur, quia fibræ muſculo„ſæ maximam ejus partem conſtituunt, & qui„dem exteriorem, interiorem enim partem ob„cupat portio tendinea (Gallis l'as de treffle ad„pellata) a ſimilitudine chartæ luſoriæ ſic dicta, „ob quam portionem tendineam ut muſculus di„gaſtricus merito conſiderari debet.

„Inſtar triplicis muſculi etiam conſideran„dum venit Diaphragma, ob fibrarum muſculo„ſarum triplicem decurſum, aliæ enim a peri„pheria ad centrum tendunt, aliæ a parte infe„riore recta ſurſum & paulum ad latus ſiniſtrum, „aliæ ſurſum & reclinant paulum ad latus dextrum. „Septum hoc transverſum tribus gaudet forami„nibus; uno rotundo, quod in medio fere

Dia-

„Diaphragmate, & parallelo fere ſitu cum verte-
„bris poſitum eſt, in partem tamen dextram
„paulum inclinans, in parte tendinea ſitum,
„Oeſophago, atque nervo paris octavi tran-
„ſitum concedens. Singulari gaudet ſtructu-
„ra, cum a fibris copioſis tendineis ſemicir-
„cularibus atque obliquis cingatur hunc in
„finem, ut in contractione harum fibrarum e-
„greſſus ciborum per oeſophagum impediatur.
„Altero oblongo, quod infra primum (mox de-
„ſcriptum) paulum tamen in latere dextro loca-
„tum, maſſam muſcularem perforat, & tranſi-
„tum venæ cavæ concedit. Tertio quod in
„interſtitio duorum muſculorum a vertebris lum-
„borum ortorum, (qui a Cl. Nicolai adpendices
„diaphragmatis muſculoſæ ſalutantur) ſitum, &
„ſub iis progrediens proprie nullum eſt foramen,
„ſed dehiſcentia quædam oblonga, pro arteriæ
„aortæ tranſitu ductusque thoracici, ubi etiam
„receptaculum chyli ſitum eſt. Muſculi Dia-
„phragmatis adparent duo inferiores, quorum
„primus dexterior atque craſſior natalem ſumit
„tendineo principio a ſuprema ac fere media
„parte vertebræ tertiæ lumborum, ab hinc ſur-
„ſum & paulum extrorſum ad latus dextrum
„usque ad marginem tendineum, partim ſini-
„ſtrorſum, ut ita hiatum relinquat pro tranſi-
„tu Venæ cavæ, fibræ tamen ejus undiquaque
„illum hiatum cingunt; hic muſculus craſſus
„ſatis eſt; alter paulo tenuior a ſecunda verte-
„bra lumborum egreditur ſurſum, magis tamen
„ſiniſtrorſum, & ad inferiorem circulum tendi-

„nis

„nis ſiniſtri tendens, eidemque inſeritur. Dia„phragmatis ſitus talis eſt, ut convexum ſit „verſus thoracem, concavum autem verſus ab„domen. “

Hujus Diaphragmatis figuram delineare incepi, quia autem nondum perfecta eſt, eam alio tempore tibi transmittam, differt aliquantum ab ea quam Baſilea delineare curaſti, quamproxime vero adcedit tab. 35. Cowperi in Myotomia nov. Lond. 1724.

Collegia hic nulla audio; in arte obſtetricante me exercebo, quantum licebit. In ultimo cadavere vetulæ, ductus choledochus incredibilem in modum diſtentus fuit, ut digitus facili negotio inmitti poſſet, in quo calculi quinque inveniebantur, figura varii, molliuſculi, extus nigro, intus citrino colore tincti, multo ſulfure inbuti, plures adhuc minores in veſicula hærebant: valvulæ veſiculæ felleæ Heiſteri ob hanc diſtenſionem magnæ atque diſtinctæ adparebant; plura alias. Vale & fave.

Dabam Argentorati d. 15. Febr. 1732.

48.

JOH. GESNERUS.

Redditæ mihi ſunt gratiſſimæ literæ tuæ prid. Non. Martii; ad quas protinus reſpondere animus erat; ſed rerum quas nunc accipis tardiore per mercatores expeditione impeditus, paulo ſerius

ad

ad Te ſcribo. Plantas ad Te miſſas tibi non ingratas fuiſſe mihi jucundiſſimum accidit; alpinas nunc ordino, & Bibliothecæ meæ aliquot librorum botanicorum acceſſione facta lubentius cum authoribus has confero: plurima ex plantis recenter examinatis quotidie diſco, & ſæpe numero errores non paucos detego, & in iis quoque quos ad te miſi muſcis præcipue; ita quem muſcum credidi apocaopon ſ. muſcum trichoidem acaulon minorem latifolium Petiv. & Vaill. p. 108. n. 1. T. XXIIII. f. 1. quod menſe Novembri in centro foliorum in roſam expanſorum nodulum gereret fuſcum, qui ex pluribus glomerulis videbatur compoſitus, eum nunc deprehendo folia contrahere & cauliculum emittere, qui calyptram ſuſtinet turgidam reflexam, ſub qua capitulum hæret conoideum: hunc in iisdem muſcis deſcripſi nomine M. capillacei folio rotundiore capſula oblonga incurva Tour. ap. Vaill. p. 135. n. 19. T. XXVI. f. 16. de quo & nunc dubito, cum calyptram, quæ capitulum contegit ſtrictam & depingat & deſcribat Vaill. quæ in meo eſt turgida valde. Innumera ſane hujus generis invenio difficultates augentia. Quem nomine Lichenis gelatinoſi botryoidis Lichenem deſcripſi definitione Micheliana, eundem cum Lichene terreſtri minimo fuſco Raj. ſyn. 331. exiſtimo; depictus eſt ap. Vaill. T. XXI. f. 15. deſcriptus p. 144. n. 5. qualis hoc tempore absque fructibus conſpicitur, tota facie ſua & colore mutatus, quales enim diverſa ætate formas induant hæ plantæ difficillimum eſt internoſcere; niſi

niſi plantæ loco proximi per intervalla plantas conſpiciamus. Circa mirificam fabricam vaſculorum ſeminalium in muſcis & plantis affinibus hoc tempore plurima jucunda quotidie aſpicio, quæ nimis longa forent in epiſtolam: unicum hoc addo de Muſco capillari minori vulgatiſſimo Raj. ſyn. ap. Vaill. p. 133. n. 3. T. XXIV. f. 14. & T. XXV. n. 4. detracta calyptra, quæ in his mucoſa valde & ſtricta exiſtit: corpus reſtitabat conoideum rubrum, arcte capitulo, pulverem viridem in ſemina mutandum continenti nexum: hoc detracto momento temporis filamenta aliquot 7 vel 9 linearum longitudinis e capſula erumpebant, contorta, ruberrimi coccinei coloris: quæ deinde in aliis per maturitatem corpuſculo conoideo decidente, quoque erumpere videbam. Similem in pluribus aliis mechaniſmum deprehendo, & diſtinctam a corpuſculis in calyptra contentis fabricam. Eruditiſſime defectus in Dillenio monſtras, qui in eo minime laudandus, quod potius ex habitu muſcorum vel poſitu & exortu cauliculi capitulum ſuſtinentis, quam ex fabrica capituli genera conſtituat, quod & tu videris in Bryo & Hypno reprehendere; namque in capillaribus ramoſis, vel ubi ex vetuſtis ſurculis coaliculi prodeunt, difficile eſt aſſerere, cui horum generum planta adjungenda ſit. Lycopodium & Selaginem ut diſtincta genera conſiderare noſtri maxime alpini muſci non admittunt. Muſcum paluſtrem candicantem molliſſimum DILLENIUS ſphagnis potiori jure adjungit, quam Vaillantius ſquamoſis, etſi ab utro-

que genere diverſus exiſtat. Sed emendationes in muſcis præcipue ad te miſſis ab induſtria & humanitate tua exſpecto. Plantulas quarum in proximis tibi mentionem feceram, repetita obſervatione easdem & conſtanter invenio: ſi harum exempla comparare mihi licuerit, ea proxime ad te mittam, plantas additurus alpinas. Doleo vero maximopere oculis tuis minorum examen moleſtum accidere, cum a tua in his ſagacitate, peritia, diligentia optima quæque exſpectanda fuerint. De Abſinthio, quod tecum me legiſſe in Gemmio ais, non recte teneo, quale ſit inter bina exempla, quæ inter ſiccas plantas meas ſervo, diſtincta ab Abſinthio Valeſiano tenui folio I. B. unum horum (quale & in Alpibus Abbatiſcellanis me legiſſe memini) deſcriptioni & iconi Abſinthii umbelliferi Mutellina quibusdam I. B, III. 183. Chabr. Ic. 374. n. 6. reſpondet: cui hic jungit Abſinthium umbelliferum alterum Italicum Lob. Abſinthium pumilum Chluſii Abſinthium parvum & incanum Gesneri ap. Camerar. eſt abſinthium alp. incanum C. B. quod deſcribit Scheuchzerus It. alp. I. 23. T. III. fig. 1. edit. 1. p. 29. ed. 2. ubi confundit cum Abſinthio Valeſiano, quod indicat It. alp. IV. 328. huic corymbi juxta longitudinem caulium poſiti ſunt: In altero vero, quod & humilius & minus ſplendens, ſed villoſius exiſtit, corymbi in ſummitate inter foliola poſiti in capitula aggeſti; exactiſſime huic reſpondet Abſinthium alp. candidum humile C. B. pr. 71. quod Scheuchzer l. c. pro eodem habet cum priore: de quibus tamen

tamen judicare non valeo, cum utriusque pauca admodum adſint exempla, eaque fere imperfecta. Utraque vero planta a deſcriptione Abſinthii Auſtriaci Cluſii abludere videtur. In ſynopſi plantarum Helveticarum pergo, & plantarum in Helvetia ſponte naſcentium numerum fere ad 3000. invenio, ſi varietates hiſce addas, quas in floris colore vel foliorum ordine, aut colore obſervant, has diſponere jam adgredior, poſtquam ſingulas cum Herbario meo & auctoribus contuli, plura vero mihi dubia reſtant, nonniſi repetitis obſervationibus, & tuo præcipue auxilio ſolvenda. Si vel qualicunque ordine digeſtæ ſint hæ plantulæ noſtræ, catalogum earum ad te mittam, ut dubia pro tua in his peritia ſolvas, novas plantas addas, & errata corrigas, & progredienti in his mihi tutum iter expedias: forte & D. Stæhelinus operam hanc noſtram adjuvabit, & Cel. Zuingerus. Vides & quantum mihi opus ſit tuo commercio, tuo alloquio in itinere frui, ut quæ mihi in his agenda, vel te authore inſtituenda ſint ediſcam. Et licet hoc tempore mihi iter magis quam ullo alio difficile accidat, cum ob negotia, tum ob itineris ad te faciendi longitudinem & quod te relicto mihi Tigurum repetendum reſtat comitem deficientem. Hegnerus enim diſcipulus meus a parente pendet, qui æſtate Thermis Badenſibus una utatur. Politici vero, qui urbes tantum ſectantur, mihi moleſtiæ potius quam ſubſidio eſſent. Engelberga iter ad Cœnobium Diſentis per Altorfum inſtituendum exiſtimo, hoc ſi fue-

rit, Vos Altorfi expectarem vel Brienzium adirem, ut ſimul Cryſtalli fodinas Grimſulæ montis cernerem. Non inutili inſtituto M. Dole adibis & Iuraſſi confinia, rariſſimas enim ibi plantas inveniri credere fas eſt, vel inſpecto ſolo catalogo plantarum circa Genevam naſcentium, qui Actis Anglicis anni 1709. inſertus habetur, quemque ſeorſim aſſervo. Præterita ſeptimana Cel. noſtro Scheuchzero per literas petenti plantas a te in Actis Norimbergenſibus deſcriptas tradidi; multis verbis ſuum erga te affectum teſtatus eſt, & videtur te condigne amare & plurimi facere, te vero per me ſalutatum cupit: Inſpiciendum mihi conceſſit totum apparatum hiſtoriæ plantarum Helvetiæ, qui plurima volumina in fol. explet, deſiderari ait recenſionem ſynopticam, atque ſtimulavit, ut ſimile opus aggrederer. Dubius ſum, ſi per alios de meo propoſito aliquid reſciverit nec ne; dono quoque obtulit Com. Marſilii diſput. de Fung. Romæ 1714. cum pluribus Tabb. æneis ſplendidiſſime in fol. impreſſam, & quæcunque officia humaniſſime obtulit, ut eum fere totum mutatum deprehendas. Tibi gratulor de nata filia & felici uxoris partu. Vale& me ama. Feſtinans Tiguri 11. Martii 1732.

49

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Literas Tuas XII. Calend. Maji ad me ſcriptas recte accepi, ad quas citiſſime reſpondeo,

ut

ut animum tuis uſibus inſerviendi cupidiſſimum teſtatum tibi faciam. Magno me tibi nomine obſtrictum profitebor, ubi ſpecimina Baſileenſia, Scheuchzeriana & tua quoque ſcripta limatula ſine dubio & polita ut hac vice obtineam curaveris. Sancte ſpondeo promittoque, me omnium eorum, quæ lectu digna in his terris lucem videbunt, prima quavis occaſione te participem eſſe facturum. Faſciculus ſic ſatis grandis idem beneficium commodæ occaſionis expectat, quam, uti ſpero, mox nanciſcar. Quod ad plantas Hercynicas a Thalio deſcriptas attinet, velim me certiorem reddas, quas præ reliquis deſideres, vix enim ac ne vix dubito, quin eas ab amicis meis obtinere queam. Polonicas ab Archiatro noſtro Regio D. D. Erndtelio facillime habebo, qui vir eſt in botanicis exercitatiſſimus, edito ſcripto, quo Varſovia phyſice illuſtratur, clarus, cui ad calcem Viridarium Polonicum adjecit. Id vero vidiſti ſine dubio. Elegans eſt ſcriptum Breynii de hiſtoria naturali Cocci radicum tinctorii, quod anno præterito Gedani prodiit, cum quo utique illud certat, quod ibidem Kleinius edidit de tubulis marinis, lapidibus caudæ cancri, belemnitis, alveolis, & pilis marinis. Uterque nunc in eo totus occupatur, ut methodum, ſecundum quam animalia teſtacea in claſſes redigi debeant, cum publico communicent. Chemiam Boerhavii non tam legi, quam devoravi. Quidquid Stahlius de ſe ſentiat, unicus Boerhaavius mihi magnus ſemper erit Apollo. Winsloi Anatomia, cui

autor triginta annos dicavit, tandem aliquando juris publici facta eſt, quæ ante ſex ſeptimanas a Cl. Nicolai ad me miſſa meas nunc delicias facit. O utinam vero magnum Albini opus proſtaret! tunc aliis ſexcentis lubenter carerem. Adhuc dum mens ſedet, fraudes & plagia impudentiſſimi compilatoris Garengeot detegere, non omiſſis erroribus, quos per Deum! plurimos & graviſſimos tam in libro, quam ei annexa Diſſertatione, commiſit. Demonſtrabo potiſſimum clinicos ſemper longe majoris æſtumatos fuiſſe ac chirurgos, & chirurgiam artibus illiberalibus & ſellulariis fuiſſe adſcriptam, medicinam ſtricte dictam in maximo ſemper honore fuiſſe habitam. Licet vix tantum mihi tribuam, ut credam me integrum librum gallice ſcribere poſſe, id tamen, quia prudenter ſic monuiſti, facere conſtitui. Accipis epiſtolam ſatis prolixam, ſed novorum ac memoratu dignorum ſatis ſterilem, quod damnum primis literis reſarcire animitar. Vale & me ama. Dabam Snebergæ A. C. MDCCXXXII. pridie Nonarum Maji.

50.

JOHANNES JACOBUS SCHEUCHZER.

Gaudeo etiam atque etiam, quod Helvetia πολυβότανος in te & Cl. amico Gesnero nacta ſit

ſit ſcrutatorem, ego adjutorem. Accepi multivarias Tuas Quæſtiones, & cum jucunditate legi Reſpondere autem punctatim ob negotia, quæ me premunt, publica privatave, vix per longum tempus licet. Non tamen experieris me vel mutum, vel promiſſi ignarum. Suſcipiet reſponſum amicus nobis communis Geſnerus, cui ea propter aperio meum Muſeum, Libros, Herbarium, & hiſtoriam meam plantarum Helveticarum MSC. ad umbilicum nunc per DEI gratiam deductam, reviſionem neceſſariam & collationem cum Plantis & Authoribus ſi excipias. Neque dubito tibi quoad dubia ſi non in omnibus in multis ſaltem iri ſatisfactum. Satis autem imprimis faciet quod ſuſcipietis Iter Botanicum, in quo comitem me habebitis, ſed votis, non pedibus.

Vale & me porro ama.

Tiguri $\frac{9}{32}$ Maji.

51.

JOH. GESNERUS.

Octavo Iduum Maji exoptatæ literæ Tuæ tandem nobis redditæ ſunt: additam epiſtolam, protinus Celeberrimo D. Scheuchzero tradidi, quam pro ſua humanitate perbenigne excepit, ad præcipua ejus momenta proxime reſpondebit,

negato vero ſibi per graviſſima negotia otio cuncta ſigillatim perpendendi, ad te ſcribendi provinciam mihi obtulit, & pro ſua in me benevolentia atque ſtudio ſcientias promovendi Bibliothecæ, Herbarii & manuſcriptorum uſum inſolito aliis Literatis favore liberatiſſime indulſit. His auxiliis plurima, quæ de plantis Helveticis dubia reſtant, expedire me poſſe ſpero, præcipue ex collatis plantis cum infinitis propemodum obſervationibus, quas operi ſuo immortali de plantis Helvetiæ inſcruit. Quantum vero vellem eam ingenii vim atque ſenſuum præſtantiam ad reſpondendum afferre me poſſe, qualem eruditiſſimæ & ex contemplatione ſedula plantarum natæ quæſtiones tuæ præ ſe ferunt. Nunc ad ea reſpondeo, quæ conferenti mihi quæſtiones tuas cum notatis ad ſiccas plantas meas ad te ſcribere viſa ſunt; in proxima epiſtola quæ reſtant addam, poſtquam mihi Scheuchzeriano labore utendi copia facta erit.

Caryophyllatam alpinam nutante flore in Alpibus Glaronenſibus reperi, quæ a noſtrate vulgari flore nutante, foliis latioribus, & magis lobatis, floris colore obſcurius rubente diverſa eſt: hanc pro *III. Cluſii* habeo & *aquatica altera* C. B. ſimilem in Boruſſia naſci refert Breynius Cent. I. ap Raj. hiſt. I. 607. quam in vulgarem degenerare exiſtimat.

Caryophyllata alpina lutea plerumque ultra palmarem longitudinem non attollitur, dum junior

nior floret, dum vero adoleſcit, ad bipalmarem & haud raro pedalem proceritatem ſurgit, ut tecum eandem exiſtimem cum *alpina lutea minori* C. B.

Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minus ferrugineum Cel. Scheuchzer. It. alp. I. 35. ed. 2. 4. It. alp. IV. 336. eſt *Dens Leonis alpinus minimus glaber flore croceo* H. Ox. III. p. 75. n. 7. Sect. VII. T. 7. quo vero jure Columnæ plantam addat Moriſonus, vel eandem *Denti Leonis alpino minimo glabro* junxerit Tournefortius, aſſerere non valeo, cum Columna ad manus non ſit, ſaltim ſubdubitare videbatur Vaillantius in Comment. Acad. Reg. ſcient. p. 230. & p. 232. Variat petalorum colore dilutius croceo & nonnunquam in luteum vergente, tum vero cum ea Dentis Leonis ſpecie plurimum (ſi ſeminum coronam plumoſam, quæ in illa eſt piloſa, excipias) convenit quam Vaill. l. c. p. 232. *Taraxaconoidem Chondrillæ folio glabro virenti folio* vocat, cum qua a Tournefortio confuſam eſſe conjicio. Quale vero ſit *Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minus* C. B. me prorſus latet.

Cerinthe major quorundam flore verſicolore S.B. quam tecum per M. Jugum vallem Angelimontanam petens collegiſſe memini, deſcriptioni Cluſianæ apprime congruit.

Androſaces perennis Alpinæ anguſtifoliæ villoſæ & multifloræ Tournef. deſcriptioni *Chamæjaſme*

I. B.& *Sedum alpinum* IV. Cluſii adeo conveniunt, ut nihil magis.

Quæ planta ſit *Androſace anguſtifolia glabra* Tournef. difficulter aſſero, ob nullum ſynonymum additum: pro ea habeo plantulam in montibus circa Mülhuſium lectam, quæ ſi glabritiem excipias & colorem floris purpureum, ſimillima eſt Androſacæ noſtræ alpinæ, niſi quod caulis circa ſummitatem inæqualiter ſit ramoſus, prorſus ut in *phyllo Dalechampii*, quod J. B. deſcribit, qui de floribus nil profert.

Soldanellam floris & foliorum magnitudine in eodem loco natali mirifice variare ſæpenumero deprehendi.

Per incuriam omnino videtur in Tournefortio *Alſine ſaxatili Laricis folio minori flore, Caryophyllum ſaxifragum foliis tenuiſſimis pulchro fl. albo* D. Magnol junctum eſſe, cum idem Magnol in Botanico Monſpelienſi *Auriculæ muris pulchro flore* J. B & *Alſine ſaxatili Laricis folio flore majore* Tournefortii in H. R. Monſp. p. 11. jungat, ac icone quam de *Alſine Laricis folio flore minore* exhibet, diſtinguat. Cui ex Alſines ſpeciebus quas in alpibus collegi, *Alſines alpinæ junceæ* C. B. nomen jungendum ſit, multum dubito.

Myoſotidem alpinam latifoliam Tourn. eam credo, quam Rajus Syn. ed. 3. p. 349, & deſcripſit & depingit Tab. XV. f. 2. quæ plurimum foliorum magni-

magnitudine & hirſutie majore vel minore variat. *Myoſotis alpina anguſtifolia villoſa & viſcoſa* Tourn. p. 245. mihi planta eſt cauliculis plurimis in terra repens, quos extra folio conjugata 5 lin. longa $1\frac{1}{2}$ lin. in medio lata, anguſto principio orta & acuminata veſtiunt, ab exiguis pilis denſe poſitis hirſuta, virentia. Ex geniculo cauliculorum ſurgit pediculus palmaris, altior aliquando, nudus, in medio ramoſus per intervalla binos ſemper pediculos florum emittens, quibus flos Lychnoideus pentapetalos petalis minoribus, quam in myoſotide alp. latifolia præditus, calyce pentaphyllo inſidens ſuſtentatur. Ovarium eſt capſula monangia polyſperma, oblonga, in ſummitate multis denticulis dehiſcens. Calix, caulis, folia viſcida ſunt. Anno 1726. in alpibus Abbatiſcellenſium legi, inde eam nuſquam vidi.

Caryophyllus holoſteus montanus anguſtifolius a conſimilibus glabritie foliorum virenti facillime dignoſcitur, & per alpes Rhæticas ac Abbatiſcellanas frequens occurrit.

Veronicæ, Tithymalus, Pulſatillæ, Pinguicula, quas memoras, non facile niſi inſpectis plantis determinanda erunt. Forte eſt Tithymalus tuus foliis gramineis idem cum *Tithymalo ſegetum longiore folio* Rajus Catalog. Cantabr. app. quam altitudinem dodrantalem vix aſſequi ſcribit, folia oblonga in acumen deſinunt. Optimum factum erit, ſi per Tabellarium ſpecimina ſicca Tigurum miſeris; hæc & Celeberrimo Scheuchzero & mihi erunt gratiſſima.

Pe-

Pedicularis tua eſt mihi eadem cum *pediculari bulboſa* J. B. & *Pediculari alpina majore radice oenanthes ſ. Aſphodeli* Moriſoni H. Ox. III. p. 427. n. 12. ſect. 17. Tab. 23. quamvis Moriſon & Tournef. huic plantam jungat flore purpureo, eam enim exalbidos flores proferre author eſt Rajus hiſt. I. 771. n. 10.

Clinopodium alpinum Ponae, Chamædry vulgari falſæ aliquatenus affine & Clinopodium alpinum Ponae J. B. *Teucrium alpinum coma purpuro cærulea* C. B. *Clinopodium alpinum hirſutum* C. B. *Teucrium alpinum inodorum magno flore* C. B. *Teucrium foliis Scorodoniæ* C. B. mihi ſunt omnes eædem plantæ, nam folia ad Chamædryn & haud raro ad Scorodoniam accedunt, cætera cum deſcriptione omnes conveniunt: quod & in iis deprehendes, quae Celeberrimus Scheuchzerus Itin. alp. IV. 533. 341. V. 428. VII. 519. propoſuit.

Euphraſia leatu Alſinefolia radice ſquamata C. B. quam bis repetiit Moriſon. in Iconibus Tab. 24. ſect. XI. & Tab. XVI. ſect. XI. ab Euphraſia omnino diverſa, floribus ex tua ſententia cum Agerato convenit, a quo vaſculo bivalvi unico ſemine fœto differt, hinc novum nomen Tozziæ meruit apud Michelium n. pl. Gen. p. 20. Tab. 16.

An ideo *Rapunculus ſpicatus* ab illo *ſpica orbiculari* ſeparandus ſit, quod huic vaſculum ſemina-

ſeminale triloculare, illi biloculare, tuum eſto judicium. Sane Dillenius, qui primus hoc in Cat. Gi p. 65. obſervat, eam ob cauſam non diſtinxit. Nec Vaillantius in Mſcptis de methodo & Claſſibus plantarum Lychnides vaſculo uniloculari, tri & quinque loculari ſeparat, nec Boerhaavius Convolvulos uni - tri - quadri- loculares. Nec Michelius Fluvialem uni - & quadrilocularem, vel Juncaginem tri- & ſex locularem, niſi enim a nimia ακριβεια aliquantulum remittamus, infinita tandem plantarum genera conſtituenda erunt. In his caſibus, ubi regulæ methodi collidunt, ſemper aliquid ſimilitudini plantæ cedere ſoleo, ita tamen ut ex lege methodi ad ſingula quæque loca anomalias notem. Ita in diangiis rapunculi ſpicati mentio fit, eum inter reliquos rapunculos ob totius habitus convenientiam quærendum eſſe.

Caryophyllatis facile adnumerabis eam, quæ *Chamædryos folio* habetur, ſi cum Tournefortio caracterem paulo laxiorem ſtatueris, quam Rajus & Boerhaavius. Sed hæc Tua prudentia & peritia dijudicabuntur. Deſino tandem plura ad quæſtiones tuas ſcribere, ut vel tantillum ſpatium reſponſioni ad gratiſſimas tuas reſtet; quæ reliqua ſunt in proximis literis afferam.

Duodecim ſunt dies quando hæc ad Te ſcripſi, eo animo, ut paucis epiſtolæ finem addendo, eam quam ocyſſime ad te curarem. Ob adverſam vero valetudinem cum ab his tum ab aliis negotiis invitus deſtiti. Iam meliuſcule habere incipiens

ad

ad ſuave tecum de plantis loquendi opus redeo. Et cum pauca habeam, quæ de meis addam, ad epiſtolam tuam reſpondebo. *Muſcus capillaceus major capitulis craſſioribus cylindraceis nutantibus* idem mihi videtur cum n. 9. & 10. Vaillant. p. 135. ſed vario ſpectatus tempore. Menſe Nevembri floris ſpeciem oſtendit, qui in centro foliorum expanſorum abſque pediculo nudus inſtar glomeris lutei hæret, ut perperam tunc pro ſpecie muſci apocarpi habuerim. Poſtea deprehendi idem in quam pluribus muſcis. Quidam Muſci in diſtinctis plantis flores hoſce & calyptras ferunt, ut Mnion Dill. alii in iisdem, ut Fluvialis Ejusd. etc. In variis ſpeciebus muſcorum exhibentur a Michelio Tab. 59. p. 108 Dillenius v. in editione Illia ſynopſeos Rajanæ p. 78. inde novum Muſcorum genus conſtituit, male meo quidem judicio, cum plerisque muſcis hæc ſint communia: quod & a Buxbaumio Cent. I. p. 45. T. 65. in *Muſco ſtellari ramoſo paluſtri pediculo aureo erecto, capitulo magno ſphærico* Vern. obſervatum video.

Cæterum in muſcis, quos ad te miſi, plurima quotidie immutanda video, quæ nimium feſtinans tunc temporis falſo adpoſuiſſe experior. In *Muſco pediculo purpureo capitulo nutante* authoritate magni Viri nimium fidens, pro ea quam Vaillantius & deſcribit & depingit planta, miſi *Muſcum trichoidem parvum fol. muſci vulgaris capitulis longis acutis* D. Doody. H. Ox. III. 628, n. 4. S. XV. T. 6. Et quem nomine *Muſci alpini paluſtris capillacei capitulo ſphærico* miſi, *eſt Muſcus trichoides foliis capillaceis capitulis minoribus*

obſ-

obſ. Dood. H. Ox. III. l. c. n. 5. T. 6. Sect. XV. atque *M. capillaris alpinus, ſurculis anguſtiſſimis holoſericis viridiſſimis &c.* ſorte eſt *Muſcus minor ramoſus parvus, in humidis naſcens, atrovirens, fol. ſubrectis, tenuiſſimis, capitulis brevibus, erectis, operculo mucrone longo & anguſto inſtructo* Michel. N. Pl. G. 112. n. 76. *M. filicinus ſericeus* Vaillant. eſt Hypnum ex mente Dillenii, ut & *Muſcus paluſtris Abſinthii folio*, hunc quidem florentem hactenus non vidi, ſed ut ex caractere conjicio, quem Dillenius diſtinctius in ſynopſi citata p. 79. quam in Cat. Gieſſenſi tradit. Quo vero jure *Muſcum terreſtrem majorem ramulis compreſſis foliis ſuperficie criſpis* Sher. his jungat, non video, cum vaſcula ſeminalia ſint in alis foliorum: quod & Vaillantius obſervat. Gratum eſt ex te intelligere Buxbaumii Muſcum aphyllon &c. apud vos reperiri, ſed cur hunc bivalvi capitulo donatum deſcribit? Cæterum multum quoad figuram convenit cum *Clavaria minima nigra clavi effigie, pediculo ſubhirſuto* Michel. T. 87. f. 8. p. 208. Eam vero cum Muſcis tuis rarioribus ad me per Tabellarium mittendo pergratum mihi feceris, ego ſimile officiorum genus lubens in me ſuſcipio. Ordino plantulas meas, atque harum catalogum ex methodo, quam per rationes adſtruxi, compono, atque vicem ſynopſeos ſtirpium agri Helvetiorum gerat, plantas Helvetiæ cum ex aliorum maxime celeberrimi Scheuchzeri ſcriptis, tum ex propria obſervatione indigenas, infero; in his vero plus quam credere fas eſt, laboris deprehendo, præci-

pue

pue ob infinita ſynonyma; his vero te maximam lucem affundere poſſe certiſſime ſpero. Cum varietatibus ſuis plantæ helveticæ fere ad 3000 ſurgunt. Erit vero pluribus ſuper his tecum loquendi locus in itinere; quod ex voto tuo ad deſignatum diem aggrediar, quo te vel Meiringæ vel Unterſeeæ conveniam, quemcunque locum probaveris; optarem tecum glaciales montes, Grindeliam vallem, cryſtalli fodinas adire, & recto curſu inde per Gotthardum Airolum petere, ita & diutius una eſſe & ſuavi tuo colloquio frui, & pluribus tecum de communibus ſtudiis noſtris agere liceret, ſuaviſſimo mihi prorſus oblectamento. Erit mecum in itinere D. Hegnerus Vitoduranus Med. ibid. Præterito menſe a D. Gronovio faſciculum rariſſimarum plantarum Africanarum cum conchyliis & quibusdam præparatis Ruyſchianis accepi. Dedit & his diebus D. Burmannus, cum quo una Leidæ ſtudio botanico operam dabamus, ad me literas, quibus veterem amicitiam inſtaurat, de denuntiata ſibi Amſtelodamenſi Botanicen docendi provincia me certiorem reddit, plantas exoticas ex horto medico Amſtelodamenſi offert, & helveticas expetit. Cl. D. Profeſſor Bodmerus, vir in literis, quas præſtantiores vocant, vere eximius, poſtquam a Nob. Wyſſio atque ex me intelligeret, quantum hæc ſtudia excolas, atque in his excellas, catalogum librorum anglicorum, Poëtarum imprimis tuorum, videre vehementer cupiit, perlibenter quos ipſe poſſidet tibi ſignificabit, ut vel a te mutuo accipere, vel tibi ſuos mutuo dare queat.

queat. Ut hunc quam primum accipiat, te etiam atque etiam rogatum cupio. De opere Micheliano, quod plantas authori per Galliam, Italiam &c. obſervatas ſiſtet, & Florentiæ ad proximum Octobrem prodibit, tibi conſtat. Londini D. Dillenius hortum Elthamenſem, quem D. J. Sherard in Cantio alit, II. voluminibus in folio deſcribet. Plura non addo, niſi ut valeas & me amare pergas. Tiguri 25. Maji 1732. ocyſſime.

P. S. Cum hisce diebus inſpectis Cel. Scheuchzeri Herbario & manuſcriptis præcipua, quæ eruditiſſimas quæſtiones tuas attinent colligerem, nolui diutius hæc adſcribendo morari. Pulſatilla, quam in Herbario ſervat nomine *Pulſatillæ Apii folio vernalis flore minore*, eſt ea ipſa, quam in M. Regio collectam in itineribus deſcripſit, hæc vero non differt niſi magnitudine a *Pulſatilla flore albo* C. B. 177. cui recte addita ſynonyma jungis, multum autem abludit a deſcriptione Bauhiniana, quæ exhibetur in pr. 94. ut hæc Apii folio potius jungenda ſit Pulſatillæ alpinæ fl. purpuraſcente hiſpidiore & nutante, quam cel. Joh. S. in Mſc. Hiſtoria plantarum deſcribit, quam tamen non diverſam comperio a Pulſatilla Apii folio majore & minore, niſi quod in majore laciniæ foliorum nunquam longiores ſint, quæ potius varietas cenſenda videtur; depingitur utraque apud Helwing. Fl. campanæ p. 63, 64. n. 9. & 10. *Caryophyllata montana flore luteo, major & minor* cel. S. quidem diverſæ ſunt, non tamen video, in quibus differant.

Caryophyllatæ montanæ aquaticæ flore nutente nomine ſervat Caryophyllatam montanam flore nutante luteo H. R. Par. quam ſcribit coloris flore purpuraſcente, luteo & palleſcente nonnunquam variare. In Androſace a Tournefortio ſynonyma te monente & obſervante quoque cel. S. manuſcriptis recte mutata ſunt. Glabram ſic deſcribit cel. Joh. Scheuchzerus. Foliola per terram ſparſa ſunt, glabra aut breviſſima vixque obſervabili hirſutie piloſa, vix duas lineas lata, ſemuncialia & communiter uncialia, læte viridia, calix dilutus quinquefidus, quinque ſtriis ſaturate viridibus, verſus diviſurarum apices prodeuntibus diſtinctus, flos præcedentis (quæ Chamæjasme) Androſaces flori ſimilis, & haud raro minor, inodorus tamen. Soldanella alpina major & minor te recte præeunte eandem cenſet cel. Scheuchzer, nam & varietas, quam Cluſius in foliis obſervat, in eadem ſæpe planta nonnunquam occurrit. Superbam auſtriacam Cluſ. eandem exiſtimat cum planta J. B. quem in multis ſequitur: in hiſtoria Mſſ. vero Tournefortiana ſynonyma non jungit. In Veronica noſtra ſerpyllifolia folia nunquam ſerrata occurrebant, qualia tamen in illa Ocymi folio & a Boccone & a Vaillantio pinguntur. Veronica ſaxatilis cauliculis nudis Raj. ab ipſo Rajo Teucrio minimo jungitur, ſuamque Cluſianæ deſcriptionem interſeruit: Synonyma addit cel. Scheuchzerus Veronicam alpinam caule aphyllo Bocc. Muſ. 77. T. I. 9. Veronicam minimam hirſutam C. B. prodr. villoſam Tournef. Veronicam buguloidem ſervat nomine

Vero-

Veronicæ alpinæ Bellidis folio C. B. a quâ tamen prorſus diſtincta eſt, quam & diſtinguit plantæ addito ſpecimine a Veronica Bellidis folio C. B. Eſt vero te recte divinante, quam Itin. VI. indicare voluit. Pediculares luteas 3 ſervat. I. folio ceteraquam te recte cenſente a Bauhiniana planta diſtinctam credit, quod in Mſc. annotat. Obſervationes vero in itineribus ſparſas operi nondum inſeruit. Altera foliis eſt tenuiſſime diviſis ſimplicibus, caule nudo, radice magna, quæ Pedicularis bulboſa J. B. quo pertinet Pedicularis alp. Asphodeli radice, flore albo; Juſſieu Alectorolophus mont. fl. albo. Nam icon Pedicularis flore luteo Bocc. Muſ. P. I. T. VIII. folia habet bis ſubdiviſa & caulem foliofum, radicem Tragopogonis; eſt vero Pedicularis alp. lutea C. B. Reliqua non facile dijudicare valeo, niſi viſis ſpeciminibus, quæ mecum ſingulari deſiderio expetit. Hoc tempore Muſcum paluſtrem candicantem Tournefortii florentem vidi, differt vero a planta a Vaillantio depicta. Vidiſtine Lexicon medicum, quod Amſtelodami apud Wetſtenium excuditur a Theodoro Tronchin & Lud. de Neufville M. Doctoribus; quod multam eruditionem & cognitionem recentiſſimorum inventorum oſtendit, & videtur operi Burggraviano oppoſitum. Miror vero quam jejune botanica tractentur. Ne vero longior ſim, finem tandem epiſtolæ facio. Vale, me ama, & valetudinem tuam quam diligentiſſime cura. Iterum vale. Tiguri 2. Junii 1732.

P. S. Te quam officioſiſſime ſalutat C. Scheuchzerus noſter, & ſe per me excuſatum cupit, quod ipſe de plantis non ſingillatim ad te ſcripſerit.

52.

JOH. GESNERUS.

Gratiſſimum mihi accidit ex literis humaniſſimis Tuis itineris noſtri ſciagraphiam quandam intelligere, curabo ut ex inſtituto veſtro ad 14. Julii Tiguro proficiſcar 16. vel 17. Underſeeæ tuos exſpectaturus, malim enim ibi quam Engelbergæ locum unionis noſtræ ſeligere; neque a propoſito quicquam præter valetudinem me impediet, utque certiores ſitis, paucis ante diſceſſum diebus, literis hunc confirmabo. Liberum inde vobis erit, quocunque itineris filum dirigere. Engelberga via per Sureneneck (rariſſimarum plantarum feraciſſimum montem) patet Hoſpital pagum, qui ut conjicio 10. horarum itinere diſtat. Incertus hæreo, ſi per Rhætiam vel Glaronenſem ditionem Tigurum ſim repetiturus, hæc vero & te judice in itinere deliberabuntur. Nulla niſi ſuppellectile botanica inſtructus ero, quo facilius huic ſtudio vacare poſſim; ſi Barometra tecum habeas, lubens horum curam ſuſcipiam. Erunt mecum D. Hegnerus cum ſervo, per te vero & ſocios tuos jucundiſſimum iter futurum exiſtimo, ut qui nihil magis expe-

tam,

tam, quam tecum de communibus ſtudiis noſtris agere, & ex eruditionis tuæ penu utiliſſima pro ſtudiis meis haurire: D. Schollium vero hominem novi plenum officii, humanitatis & virtutis, cum quo amicitiam veterem recolere ſemper cogitavi. D. Ribe fama mihi notus ac per D. Pfiſter Medicum cel. Scaphuſienſem olim commendatus. Nulla addo de plantis, cum ob nuntii diſceſſum prorſus impediar, pluribus vero de his, & cel. Scheuchzeri opere, & in me animo differendi, locus erit in itinere, quod tanto gratius mihi futurum, quanto diutius tecum id agere potero. D. Hegnerus parente gaudet magni nominis & famæ apud Vitoduranos, ubi ſupremi judicis locum tenet: magno apparatu librorum eſt inſtructus, quem itinere 14 annorum collegit, inde vero præcipue hiſtoricis, politicis & practicis auxit. Avidiſſimus opuſcula tua exſpecto, in quibus cum eruditione ſuaviſſimam gratiam ita junxiſti, ut nullis in hoc genere te ſuperare, paucis æquare datum ſit. De Veronicis & aliis plantis nihil addidi, cum ex ſpecimin.bus harum ſiccis plura & certiora quam exlecta epiſtola ſcribenda eſſe exiſtimavi. Nihil reſpondes ad petitum D. Bodmeri? Aſſerere auſim propter eruditionem haud vulgarem eum amicitia tua non indignum futurum. Gaudeo te vim febris depuliſſe, qua nulla ſtudiis deterior peſtis. Spero tamen iter noſtrum cum tuæ tum meæ valetudini firmandæ optimum fore præſidium. Dab. Tiguri 22. Junii 1732. quam ocyſſime.

53.

EMANUEL KOENIG.

Mitto lapidem circa Cœnobium Sti Blaſii in ſylva Hercynia repertum, cui increſcit Byſſus cinnabarinus violæ martiæ odore (Micheli), ut me docuit expertiſſimus Joannes Gesnerus meus, hunc jam indigitatum videbis in Wepferi hiſtoria Cicutæ aquat. p. 13. Perlatorem horum induſtrium anatomes & chirurgiæ ſtudioſum G. Ludovicum Hommel Memmingenſem, qui me nomine Domini May Argentinæ agentis (quem noſti) ſalutavit, ut commendatum habere velis rogo; hisce vale, & me ama. Dab. Baſil. 1732. d. 21. Jun.

54.

J. JACOBUS SCHEUCHZER.

Quamvis nil minus ſim quam ποιητὴς, opuſculum tamen tuum maxima legam delectatione, præſtolans inde celerem in contemplatione operum DEI fructum. Iter veſtrum, ut ex voto veſtro meoque ſuccedat, ex animo opto. Adſit DEUS veſtris conatibus, greſſibus, meditationibus, converſationibus. Redite onuſti obſervationibus, ut hiſtoria naturalis Patriæ velificantibus vobis ad altiores magis magisque evehatur gradus. Ego quicquid porro conferre potero, faciam lubens. Vale, Vir optime, & me porro ama. Tiguri $\frac{2}{32}$ Jul.

55.

JOH. GESNERUS.

Promptam reſponſionem gratiſſimam rite accepi. Curabo ut ad 15. Julii Vos Underſeeen conveniam in ædibus memoratis; diſceſſum maturabo, erit hic ad 12. Julii: per Lucernam montem Fractum, Subſylvanium, m. Brünig, atque Brientium iter ad vos faciam, Underſeeæ vos exſpectaturus 15. vel 16to. Plura coram in itinere *. Tiguri 30. Jun. MDCCXXXII.

56.

JOH. GESNERUS.

Fatalis inflammatio ventriculi, quæ per 5. dies absque remiſſione cum febri acuta inſtitit, graviſſimo meo dolore effecit, quo minus & ad humaniſſimas repetitas literas tuas reſponderim, neque exoptatum Tecum iter alpinum perfecerim. Multum inde & animi & corporis vires imminutæ uſum thermarum Piperiorarum, atque dein Badenſium, requirentes me in thermis dictis nunc detinent, atque per tres adhuc ſeptimanas detinebunt. Illis ex voto uſus ſum, his nunc utor & meliuſcule habere incipio, neque tamen vires redintegratæ ſunt, quæ graviorem animi laborem

 ſuſti-

* Hoc iter locum non habuit. *Hallerus* ſolus Glacialia Grindelwaldenſia, vallem *Hasli*, & montem *Rohtenhorn* adiit.

ſuſtinerent, hinc ab omni plane literarum genere, vacuam invitus vitam ago. Quam vero voluptatem cum ex literis tuis, tum ex donis tuis ceperim, dicere vix poſſum. Carmina præcipue tua decies & centies lecta placent magisque placent. Pauci ſunt inter literatos noſtros, qui his non præcipuum in bibliotheca ſua locum vindicarint; eſt tamen & me tacente pluribus notum, Te eorum authorem; inde vero tui exiſtimatio etſi maxima, apud præcipuos tamen viros magnam acceſſionem cœpit: plurimi & dictionis puritatem & judicii acumen in his venerantur, alii uſum laudant, quod animos hominum maxime erroneis præjudiciis liberaris. Et ne quid diffitear, ſunt ex Theologis noſtris, qui libere quædam de religione dicta hic inveniunt: ſed inter hos ipſos quidam in meliorem partem interpretantur, quæ aliis duriora videntur. Celeberrimo Scheuchzero literas cum libello miſi, propter morbum vero eum hactenus adire nunquam licuit. Botanica mea prorſus jacent, & univerſa rerum mearum conditio plurimum turbata eſt: nec ad priſtina ſtudia niſi firmata valetudine redibo; quod ſpero poſt uſum thermarum fiet. Gratulor feliciter peractum iter alpinum, D. de Muralt obitum lugeo, maxime quod ex tuis fuerit. Obiit quoque magno ſuorum dolore D. Grüterus, quem Leidæ noviſti, unicus ſtirpis Grüterianæ hæres & propagator. Literas & plantas Leida & Londino accepi; plurima exotica præſertim ſemina ſpondent. Tu Vir celeberrime, ſi quasdam rariores in itinere lectas plantas

poſſides,

poſſides, quibus carere commode poſſis, gratiſſimum facies quasdam ad me mittendo. Domum redux factus ad ordinandas meas redibo, & quas tuo herbario dignas judicabo, prompte ad te mittam. Orchidem moſchatam ſpica roſea præterita æſtate in alpibus Abbatiscellanis inveni, characterem non contemplatus ſum, ſimilem habet Tournefortius. Helleborines ſolis foliis nervoſis Veratri hactenus a congeneribus diſtinxi, ſed in Orchidibus foliis anguſtioribus, differentia fere evaneſcit. Muſcus quem memoras, eſt Muſcus erectus polyſpermos Raji (niſi fallor), qui apud *Moriſonium* depingitur. Meruit tamen hæc differentia capſula ſeminali quadruplici, ut in nova editione ſynopſeos Rajanæ novo genere Selaginoidis foliis ſpinoſis inſigniretur. Ex Thermis Badenſibus d. 23. Auguſti 1732.

§7.

JOH. GESNERUS.

Invitus reſponſum ad humaniſſimas tuas diſtuli, nunc exſpectatione mentis Bodmerianæ, nunc negotiis nunc valetudine impeditus; ne impoſterum negligens ſim in ſcribendo diligenter providebo. D. Bodmerus Novellis Lipſienſibus, quæ circa Dippelianum ſcriptum monenda habuiſti, curavit inſerenda. Ejus animus a chriſtianis moribus & cogitatis alieniſſimus nimis jam notus eſt, quam ut aſſentatores inveniat. Edi-

tionem opuſculorum tuorum nova cura adornatam avidiſſimi exſpectamus ; rogo ut 4 exempla ſimulac in lucem ſunt edita, ad me mittas. Amicos ſcio horum quoque cupidiſſimos eſſe , pretium grati ſolventes. Ornamentis & tabulis ea inſtructa impenſe gaudeo ; ita enim animus humanus apud multos comparatus eſt, ut ſplendor operis ad legendum alliciat ; longe plurimis hinc proderit. Foſſilia quædam ad D. Hænel proxima die Saturni mitto Baſileam cum literis ; gratias ago, quod hujus Viri amicitiam mihi procuraveris. Careo Herono & Gilberto, ſi commutare cuperes , grati eſſent. Multum enim hisce ſtudiis phyſicis vacare jubeor, & animus nunc eſt in parandis machinis pro experimentis phyſico mechanicis. Diſcipulorum numerus multum creſcit, & mihi fere fit oneroſus : utcunque voluptatem in formandis ad cognitionem veri juventutis animis capio ; ſed hæc plerumque in ſcholis privatis fiunt, in publicis ob diverſa ingenia vix ſemper utilia cuique docere licet. Et quamvis ſæpenumero tibi ingratam patriam contigiſſe doleam , quæ meritis tuis digna præmia non concedit, te tamen hominum credo feliciſſimum , qui virtute & forti animo omnes longiſſime ſuperas. Botanica noſtra opinione tua longe inferiora ſi tuis jungere aliquando velis, maximam nominis tui ſplendorem conciliare poteris. Delector perpetuo in hoc ſtudiorum genere, a quo tamen negotiorum ratio me detinet ; propter dubia tua meas plantas evolvere tempus non concedit : hæc tamen poſt reditum cel. Scheuchzeri

zeri minuentur. Et ne tibi prorſus a Botanica abſtinuiſſe videar ob labores in phyſicis accumulatos, proxima occaſione mittam indicem Spermatophylacii mei, quod ultra 600 plantarum plerumque exoticarum ſemina continet, ſingula ſuis ſedibus & ordine naturæ convenienter diſpoſita, ex qua multum ego & evidentiæ & utilitatis in ordinandis & cognoſcendis plantis invenio. Utinam tecum aliquando ſuper his & vitæ meæ genere pluribus coram conferre poſſem. De vitæ meæ ſcopo quæ ſcribam vix ſcio. Hactenus cuique ſtudiorum generi, prout occaſio ſeſe obtulit, ſerviendum mihi erat. In plerisque, quæ phyſicam & matheſin & medicinam attinent, cogitata ita diſpoſui, ut absque multo labore hæc doceam, quare in omnibus hisce docendis nunc verſor. Praxis medica nec a me quæritur, neque tamen negligitur: quæ a noſtra familia prærogativa habebantur in exercitio praxeos, ea poſſidet frater. Ego theoretica magis confector; eſt tamen in exigua praxi mea mihi & pharmacopœi & medici onus ſimul obeundum. Valetudo tamen non ſinit omnibus hisce vacare: quodnam vero omittendum ſit ex hisce ſtudiis, aliquando declarabit mutata vitæ ratio. Suadent parentes, ut conjugem mihi jungam, nimis tamen mihi commodum eſt vitæ meæ genus. Sed nugis tandem meis non diutius ero oneroſus. Vale & favere perge. Tiguri 25, Octob. 1732.

58.

58.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Spe dulciſſima me lactaveram, uti ex ultimis meis perſpexiſti ſine dubio, ſuperbos ex Africa reportatos Lipſiæ videndi Theſauros, doctos cum Hebenſtreitio miſcendi ſermones, opera medicorum teſſellata coemendi, verum omnia incaſſum! Hebenſtreitium domi reperire non contigit, qui cum ſociis itineris Dresdæ ſudat algetque, rationem geſtarum rerum, pecuniæ expenſæ redditurus, de cætero adeo rerum eruditarum ſteriles fuere nundinæ, ut ſteriliores ne quidem animo concipere vel fingere queat ille, qui mille poſſibilia uno intuitu ſibi repræſentare aptus natus ſit. En tibi omnes iſtas nugas, quas offendere datum fuit, quibus eo usque fruaris, rogo, mente ſedata, donec meliora ſequantur. Unicum tamen te celare nolo, quod viſum animi corporisque oculos mirifice recreavit. Muſam videlicet florentem fructusque protrudentem in horto Boſiano vidi. Aſt quam rara, ne dicam inaudita, res in noſtris terris! quam jucundum intelligentium oculis ſpectaculum! Memini te aliquando ad me ſcribere, D. Garcinum varia notatu digna de hac planta obſervaſſe. Ah quam vellem iſtas obſervationes cum noſtris conferendas mecum communicares ocyus! Tractatum quendam molitur Boſiani horti Ephorus Dominus Magi-

Magiſter Gleditſchius, autor diſſertationis de potus Caffee abuſu, vir ſolide ac eleganter doctus, ad Botanica plane natus, qui non intermittet debitas tibi perſolvere pro communicatis gratias, tuique honeſtiſſimam quam mereris, facere mentionem. En tibi nova illa, quæ hac vice tibi ſignificare potui. Tractatum de Diaphragmate tuum multi apud nos eruditi anxie deſiderant, quapropter te rogo obſecroque aliquot exemplorum pecunia redimendorum copiam mihi facias proxima quavis occaſione. Rogo etiam, ſi pace tua fieri poteſt, eodem tempore mittas exſiccatum exemplar Gentianæ officinarum ſeu majoris fl. luteo, nec non Thymelææ alpinæ linifoliæ humilis, flore purpureo odoratiſſimo T. aut, ubi adhuc majori beneficio me obſtringere tibi velis, ſemina recentia utriusque plantæ, nullibi niſi apud vos comparandæ. Veniam da amico toties precibus tibi moleſto, qui grati animi characterem illum eſſe putat, ei, cui multum debes, plurimum velle debere, omnibusque precibus a te contendit, jubeas, imperes, qua ratione tuis iterum inſervire commodis queat. Vale! eumque dilige, qui te perdite amat! Dabam Snebergæ III. Calend. Novembr. MDCCXXXII.

59.

E. KOENIG.

Quam lubentiſſime par pari rependerem, Vir Clariſſ. ſi id quod adgreſſus ſum iter botanicum vel ex parte tantum talia mihi ſuggeſſiſſet notatu digna, quæ pro docta tua & curioſa alpini itineris hiſtoria reponere poſſem; utcunque vero hæc pauca accipe. Mons ille quem nimio comitatu certo magis impeditus quam adjutus conſcendi, 12 leucis Baſilea diſtans ad confinia Alſatiæ cum Lotharingia poſitus, ut ſatis altus, ſiquidem plus quam duarum horarum ſpatio opus antequam ad cacumen perveniatur, plantarum dives, ſi quis alius, cujus ſpoliis ditatus quam maxime rediiſſem, ſi multitudo ſociorum commeatus citam nimis penuriam non effeciſſet, unicus enim dies pro luſtrando monte conceſſus eſt, plantas minus obvias quasdam ibi repertas indicabo. (C.M.Balon)

Cynogloſſum montanum virente folio, flore minore I. B.

Geum folio ſubrotundo minori, piſtillo floris rubro Tournef.

Roſa minor, rubello parvo flore, ſimplici, non ſpinoſa I. B.

Geniſta ramoſa, foliis Hyperici C. B.

Cacalia foliis cutaneis acutioribus& glabris C.B

Pulſatilla Apii folio, vernalis, flore majore C.B.

Perfoliata montana latifolia C. B.

Hie-

Hieracium Piloſella, ut videtur non ſcriptum flore ex croceo rubente, hanc nullibi reperio deſcriptam. (Hieracium 50. Stirp. helv.)

An Sedum X. Cluſii hiſtor. quoad iconem quæ quam optime quadrat, deſcriptio ibi nimis brevis eſt, non ab ullo Botanicorum quoad characteres videtur deſcripta planta. Tourneſortius quidem hoc nomen Cluſii ſynonymum facit cum Androſace alpina perenni anguſtifolia villoſa & multiflora, ſed lapſus videtur; judicabis coram inſpecta planta.

Doronicum Plantaginis folio primum C.B.P.

Viola montana lutea grandiflora H. R. Pariſ.

Meum foliis Anethi C. B.

an Lathyrus perennis major? de hoc accuratius videbo.

Biſtorta alpina maxima C. B.

Lychnis vel Ocymoides repens montanum Tournef.

Lychnis ſaxatilis alpina, pumila, glabra Tournef.

Laſerpitium majus alpinum, folio rotundiore; hujus unicum inveni exemplar.

an Gentiana rubra Offic. Frid. Hoffm.? ubique in neſcio adhuc quonam authorum ſit? (Gentiana 637. Stirp. helv.)

Vitis Idæa II. Cluſ. Hiſt. 62.

Ex harum albo ſi quæ arrident plantæ ſignifica, Vir Clariſſ. ocyus mittam, exſpecto quoque catalogum tuarum plantarum. Vale, Vir amiciſſime & excellentiſſime, & me amare perge. D. Baſil. d. 17. Septembris 1732.

60.

JOH. GESNERUS.

Literæ tuæ, quæ mihi cum codicibus Bernoullianis redditæ ſunt, tantam apud me voluptatem excitarunt, ut major eſſe minime potuerit; ut quæ teneri tui erga me amoris totæ plenæ erant. Ultima hebdomada ex Thermis redux factus ſum, atque redintegrata valetudine per DEI gratiam jam fruor, quam & tibi in ſeros annos præſtet Divinum Numen. Unice ſanitati in Thermis vacavi, nonnunquam tamen ad aliorum curandam adſcitus plus fere laboris in praxi medica ſenſi, quam Tiguri fieri ſolet. Jam ad priſtina mea & conſueta negotia ſenſim redeo, ut ſperem quam primum partem I. catalogi mei ad te mittere. Negotia vero varia a longo jam tempore mihi accumulata quod optarem ſtudio Botanico deſtinandum otium non permittunt. D. Poliatrum Muraltum juniorem præterito menſe obiiſſe, te forſan non latet. Vices poliatri jam tenet Cel. Scheuchzerus, ſtipendio vero medico auctus eſt D. Landolt, medicus omnium noſtrorum natu minimus. Vides inde, quænam ſpes præmii aut honoris animos ad ſcientiam excitet. Cel. Scheuchzerus pluribus mihi teſtatus eſt, quam præclare ſentiat de opuſculis tuis, & ſentiant præcipui inter noſtrates, te ſalutatum cupit. Nob. Wyſſius optaret, ut ſibi duodecim exemplaria inter amicos diſtribuenda pro parata pecunia mitti poſſent, quod cum prævia ſalute a te ut peterem

terem rogavit. De feliciter peracto itinere gratulor, & gratulor hujus deſcriptionem digno & ampliſſimo eruditionis æſtimatori probari. Vehementer quoque cuperem eam aliquando legere, ut veſtigia, quae vobiscum mihi terenda fuiſſent, ſequi & intueri datum foret, quae quidem maluiſſem in ſuaviſſimo conſortio veſtro premere. Norimbergenſium actorum quod vidi ultimum eſt ſpecimen XXXI. Saxifragiam quam ſpecimine XXV. deſcribis, ſemper habui pro varietate quadam ſedi III. montani Fr. Rheg. Tab. Columnæ, quam flore lacteo & luteo, & foliis vel integris vel tridentatis aliquando variantem obſervavi. (Recte). Nova exſpecto ex horto Amſteledamenſi cum plantis nonnullis. Te ſalutant parentes mei & frater. Tiguri prid. Kal. Octobr. 1732.

Hora 11. qua hæc ſcribo, Sila torrens exteriorem partem urbis noſtræ inundando multa damna intulit.

61.

JOH. FR. SCHREIBER, Reg.

SAT ſero traduntur mihi litteræ Tuæ, menſe Aprili ſcriptæ. Non ignotus enim Tibi eſſe poteſt præſens rerum mearum ſtatus. Relicta namque Lipſia, Moſcuam petii: tumque & hac viſa,

Petropolin adii, jam Rigæ vitam meam ſuſtentans. Omnia hæc TIBI ante diſceſſum meum ex Saxonia perſcripſi. Conduxerunt me ad quinquennium Medicum exercituum Livonicorum, ſtipendio annuo 1000. thalerorum, & ultra, omnia ſi computem. Sicque quotidie occaſio adeſt, morborum inquirendi cauſſas, atque detegendi nova in cadaveribus; quæ in tanta hominum multitudine deſunt nunquam. Dumque meum ſtatum ſic mutatum videas: lætabor & ego, ubi nec Tuum eumdem cum priore audiam; mutatum jam in jucundius. Petropoli Profeſſorem honorarium me receperunt: atque, ob alius defectum materiæ, prælegi ibi diſquiſitionem metaphyſicam *de corpore & motu*; quam Tibi tamen transmitto. Conventibus Academicorum adſtiti per quinque hebdomadas. Blumentroſt Præſes Acad. Scient. me expreſſe voluit Profeſſorem Phyſiologiæ, qui manerem Petropoli; ſed deprecatus ſum omnem rem. Atque mihi quidem Profeſſores illos nimium .... indulgere quandoque. Adhuc ſentio inflicta mihi ibidem eo ipſo damna. Ruyſchius, cujus mortem noſti, utique omnium ultimo reſpondit Bohlio, quem conveni ante ſemeſtre Regiomonti. Omnem, fateor, intendi laborem, ut vocetur Petropolin Anatomico-Phyſiologus. Habet quidem Petropolis Phyſiologum Weitbrecht, quem forte noviſti; advenit enim cum du Vernoi; ſed miſer eſt Phyſiologus: idque effeci præſens, ut ſchediaſma ejus *de actione muſculorum, a directione illorum pendente*, jam impreſſum & inſertum

T. III. Commentariorum tamen adhuc ejiceretur *a*). Redeo ad Bohlium; certe eſt ſat diligens. Succurrit me vidiſſe apud ipſum Manuſcriptum, quod de valvula Euſtachii compoſuerat, ſi bene memini, ſat elegans. De Ruyſchio adhuc addere volebam, me repetitis Wæsbergii precibus victum ſcribere ſuſcepiſſe elogium Viri B. Ruyſchii, quod vero Anatomica continebit. Figura Tua de nervo intercoſtali adcepta mihi eſt: utar illa, ſuo loco, tua cum venia, nomine tuo addito: ſed multum diſcrepat ab illa Petiti in Act. Pariſ. Scripſit modo a Bergen, Francofurti ad Oderam, Diſputationem de illo nervo, quam & transmiſit mihi (meo enim tempore Leidæ Medicinam tractabat,) in qua Petiti ſententiam, figuramque retinet, eoque tendit, ut nervum illum probet eſſe recurrentem ad cerebrum, natum per totum corpus, ſicque, opinor, conſenties, quantum patiamur damni a vera generalique nervorum recurrentium θεωρία, & quoad cauſſas efficientes illos, & quoad finales. Per litteras Lipſia intellexi, Waltherum Argentorato recepiſſe oſſa omnis generis. Quisnam eſt Cappelerius, quem in litteris ad latus poſuiſti Bernoullio? De foramine ovali hæc tene. Si illud figura hac ⊖ repræſentetur; vides ordinatam liberam utrimque, ſat latam, ad extrema foraminis adnatam. Boerhaavius aut Ammannum, aut Gesnerum vult Botanicum Petropolitanum; ſed quum priorem bono jam munere fungi noverim, & coram Petropoli,

a) Abſente in Tartaria SCHREIBERO, impreſſum eſt.

& per litteras operam dedi, ut Gesnerus Buxbaumio ſuccederet. Niſi igitur me ſpes fallunt, vocabitur eo: caret enim Academia Botanico. Haud dubie innotuit Tibi, Hebenſtreitium, inſignem ριζοτομον, Lipſia, auſpiciis Regis Auguſti, multis ab eodem donis beatum, migraſſe in Africam, hiſtoriæ naturalis ſpecimina, Rege digna, quæſiturum. Atque ſane lautior ejus ſors eſt, quam fuerat Tournefortii: namque Auguſtus & Ludovicum M. ſuperare vult munificentia. Abiturіens Lipſia reliquit definitiones plantarum impreſſas, quas & jam recepi. De meis ſtudiis parum habeo, quod addam; niſi quod ſim occupatiſſimus. De elogio Ruyſchii jam mentionem feci. Phyſiologiæ Libb. II. priores Tibi certiſſime miſi. Alterum Tomum urget Bibliopola, crediderim illum poſt annum editum iri. Nimia adcuratio nil nocet: & ſcis, quid requirat a me methodus. Tum & laborandum mihi pro Academia Petropolitana; quae a me exſpectat Phyſiologicum quiddam. Forte de nervo intercoſtali agam, de θεωρια ejus, atque recurrentibus. Seligo enim tale thema, quod Phyſiologiæ meæ non eſt neceſſum, ut inſeratur. Munera Tua plantarum avidus exſpecto: eadem poteris mittere Halam Saxonum ad Rengerianum bibliopolium. Quodcumque a me edetur, mittam illico. Sed quid cum Tract. Tua Diaphragmatis: illam nunc non videbo, ubi Lipſiam cum Livonia mutavi. Sive illam editam, ſive ineditam mittas, gaudebo. Ineditam, ne cures, mea opera edetur,

tur, ubicumque volueris. Vale, animula mea. Rigæ 1731. d. 16. Dec. ſt. n.

Gmelinum tandem quoque cognoſco: eſt eruditus Vir: ſed, ut mihi videtur, nimis cum reliquis indulget .... Doleo ſortem hominis bene formati & corpus & mentem. Sed inter nos!

62.

JOH. GESNERUS.

Poëmata tua cum Bellonii egregio opuſculo lætus accepi: illa D. Wyſſio in agro per autumnum agenti tradi curavi; hoc pro repetito Tui erga me amoris & munificentiæ ſigno mihi exſtitit; optarem, ut pari officio debito meo reſpondere valerem. En partem primam Catalogi herbarum ſiccarum mearum, quæ complectit plantas ſimplices cum apetalis. Exoticæ atramento viridi notatæ ſunt, reliquæ indigenæ ſunt; paucæ aſteriſcis notatæ in Helvetia quidem ab auctoribus naſci traduntur, has vero nunquam vidi. In fungis enumerandis præter paucos, qui conſpectum meum ſubiere, Bauhinianas obſervationes ſecutus ſum. Non paucæ vero ſuperſunt plantæ, in quibus nondum mihi satisfacio. Videbis quædam in methodo immutata, quæ ſi cum ratione facta ſint necne a Te edocebor. Eo Catalogo maturius opus haberem; alteram ejus partem, quamprimum per otium plantas aggredi licebit, ad Te mittam, ut helveticas quibus cares,

ſignare poſſis; maxime vero optarem coram & de plantis & de pluribus aliis rebus Tecum agere. Tenax propoſiti ſum proxima ætate Te videndi & alloquendi, qua vero ratione fieri queat adhuc incertus. Cum cariſſimo amico D. Uſterio (Mercatore quidem, quem vero animi ſimilitudo intimum meum fecit amicum) conſilium agito de itinere per Bernam, Taurinum, Genuam, Liburnum, Piſas, Florentiam, Bononiam, Venetias, Rhætiamque inſtituendum cum matheſeos tum imprimis ſtudii botanici gratia. Renituntur vero Parentes & diſſuadent, propter teneram valetudinem & impenſas. Sin vero longius hocce iter impedire poterunt, curabo ſaltem, ut quantum in me eſt brevius alpinum juxta lineas a Te ductas inſtituam. Omnia hic ſilent & Muſæ torpeſcunt. Vale & mihi favere perge. Tiguri d. 14. Octobr. 1732.

63.

J. GESNERUS.

DUplicem epiſtolam tuam iterata ſemper voluptate legi. Tibi qualemcunque in plantis laborem meum non diſplicere unicum fere eſt, quod ad excolendum hoc ſtudium me porro incitat, etſi induſtria ac acumine Te adæquare minime ſperare auſim. Alteram catalogi partem lentus conficio, deſtitutus catalogo veteri plantarum mearum, quem Cl. Stæhelinus ultra biennium me licet monente retinet. Quas notaſti plantas ſedulo

quando

quando otium nactus fuero, pro Te ſeponam: ſunt tamen nonnullæ, quibus ipſe deſtituor, & quas aſteriſco in catalogo notavi. En ſpecimen Tabularum Horti Elthamenſis, quæ cum ampla deſcriptione Londini publicantur; plures harum Tabularum cum plantis bene multis a D. Houstoun in Bahama lectis hisce diebus ad me miſit D. Gronovius. Schreiberum & mei memorem eſſe, & in augenda fortuna mea ſolicitum vehementer gaudeo: ſcio vero Tuam commendationem omnia apud eum valere; eum meis verbis perhumaniter ſalutes rogo. Optima quæque ab ipſo exſpectarem Petroburgi commoraturus: & ſane profeſſio botanica hoc tempore magis quam omni alio arrideret, cum viam promotionis meæ difficillimam ſentiam. Obſtacula movet Frater Med. Doctor, in patria ambire vix licet prius quam promotus ſit. Profeſſionem vero Petropolitanam quod attinet forte non amplius vacua erit, ante annum enim & quod excedit de ea ambienda omnem fere animum abjeci. Si vero quædam certa intelliges de hac re a D. Schreibero ut mecum communices, etiam atque etiam rogo. Firmiſſime mihi conſtitutum eſt, anno proximo V. D. Tecum iter alpinum ſuſcipere; de italico vero adhuc incertus ſum. De opuſculo tuo vis ut ad Te ſcribam. Credi vix poteſt quantam apud noſtrates omnes, qui literis ſunt imbuti, Tui exiſtimationem auxerit, elogia poſſem a Viris Celeberrimis, Profeſſoribus Theologiæ, Politicis, Cel. Scheuchzero prolata ad Te ſcribere, niſi oblatas laudes deteſtari ſcirem. De proſcrip-

tione falſus rumor eſt: quid vero hujus rei ſit habe: In Collegio quorundam Theologorum lectus libellus viſus eſt quædam Theologiam naturalem (dixerunt naturaliſmum) ſpectantia nimis libere enuntiata continere e. gr. *uns iſt der Seelen ruh &c.* quod intellectum voluerant de animi quiete & indolentia corporis ex ſententia Stoicorum; fuerunt quidem & inter Theologos, qui hoc & nonnulla alia in optimam partem interpretati ſunt, dignis Te laudibus extollentes. Cum tamen nonnulli exiſtimarent, poſſe quædam ab inſciis male interpretari, D. Profeſſori Biblico demandatum eſt, ut Typographo, qui tum diſtribuebat exempla, indicaret, ne impoſterum tam libere venderet; interea vero alius Bibliopola absque ullo diſcrimine quamplurima exempla minime contradicentibus Theologis vendidit. Diu eſt ex quo Cel. Prof. Bodmerus (qui librum hunc divinis pene laudibus extollit & admiratur) dignus harum rerum æſtimator plurima exempla ad Celeberrimos in hoc genere Viros in Germania miſit, horum judicium experturus, quod non poſſe non Tibi honorificum eſſe credit. Pluribus apud me & D. Wyſſium tuam amicitiam expetit, niſi moleſtum Tibi foret, de hisce rebus Teeum per epiſtolas ageret. Aſſeverare auſim eum hominem eſſe tua amicitia minime indignum. Nuper ex anglico in vernaculam tranſtulit Miltoni paradiſum amiſſam, & aliis ſcriptis apud nos celebris eſt. Ros ſolis duplici in differentia apud nos habetur, folio ſubrotundo & oblongo. Rapunculum hoc tempore difficulter in plantarum

rum mearum confuſione invenio, proxime cum aliis nonnullis mittam. Tiguri 3. Nov. 1732.

Fratri meo V. D. M. his diebus in literis a Principe Naſſovio-Dilleburgenſi Profeſſio theologica Herbornæ oblata eſt: Recuſavit vero, cum dilecta ſponſa ſua iter facere negaverit.

D. Prof. Bodmerus ſcire cuperet, qualis ſit ille *May*, de quo loqueris in ſecunda pagina Satyræ IX. - - - - *den wie May mein ſtern nicht ſchuf zum Dichten.* (Dudum obiit vir infelix.)

64.

CH. FRID. HÆNEL.

EXſpectatiſſimas Tuas d. XVIII. Octobr. ad me ſcriptas accepi febre catharrali, mali moris, ita affectus, ferme penitus confectus, ut vix cohæream, vel animam traham. Dabis igitur veniam, ſi hac vice ſtylo laconico utar in reſpondendo, vel etiam nonnulla ſilentio præteream. Quod ad faſciculum Diſſertationum Baſileenſium atque tornatiſſima tua Poëmata continentem attinet, iſtum utique per Gœſchelium recte, licet tardiuſcule curatum eſſe ſcias velim, literas vero ille mihi tradidit nullas, ſeque pariter nullas accepiſſe aliquoties a me hanc in rem interrogatus non ſolum reſpondit, ſed & certiſſimum me eſſe juſſit. Quid igitur de literis factum ſit ignoro. Eſt alias Gœſchelius vir honeſtus, agnatus & compater meus, cujus fidei omnia commit-

tere queas, atque etiam plantas Cl. Schreibero & mihi deſtinatas. Illas Schreiberi quamprimum obtinuero ad Rengerum Bibliopolam Halenſem curabo, meas vero Herbario, quod vocant, vivo mox inferam. Scire cupis: an hoc ſtudii genere delecter? Reſpondeo ingenue: me in Academiis nullam partem medicinæ magis ſupine & negligenter tractaſſe, quam quidem hanc, aſt! ab aliquot annis ingentem cupidinem animum meum inceſſiſſe, huic me ſtudio intimius immergendi, atque hinc factum, ut non ſolum plerosque botanicos libros mihi comparaverim, crebrioresque excurſiones fecerim, ſed & hortum adornaverim, in quo hoc anno circa mille plantas colui. Certe! majori me beneficio haud facile obſtrinxeris, quam ubi earum, quas veſtra fert tellus, plantarum copiam mihi feceris. Adde, ſi fieri poteſt, etiam ſemina, horto meo committenda. Num aliquam a Te inire gratiam queam foſſilibus quibusdam transmittendis ſcire percupio? In noſtra Saxonia non ſolum omnia metallorum genera, auro nec excepto, reperiuntur & parantur, ſed & antimonium, cinabaris, cobaltum, Bismuthum, Zinckum, lapis calaminaris &c. lapides pretioſi, Jaſpides diverſorum colorum, Hyacynthus, Amethyſtus, Berillus, Opalus, Topazius, Carneolus, Granatus &c. ut nihil dicam de ſexcentis aliis. Nam & Vitriolum, & Alumen & ſulphur & nitrum in inſigni apud nos parantur quantitate. Unicum addo: Succinum foſſile cum illo Borruſſico omni modo conveniens reperiri magna utique apud nos in copia.

pia. Nunc quoque Salinas illas Halæ ſuperantes bonitate multum Saxonia mea poſſidet. Specimen iſtius mineræ ferri, quod adeo dives eſt, nec non cryſtalli vel pondus aliquot librarum habuerit, cujus mentionem facis, optarim habere. Eſcheri Tigurini Regi noſtro nonnullas pilis fartas dono dedere, quas anno abhinc Dresdæ inter ſtupendos & vere regios Regis theſauros vidi. Schnebergæ nonis Novembris M DCC XXXII.

65.

JOH. GESNERUS.

Die 18. hujus exſpectatum opus J. Bauhini mihi traditum eſt; plurimum tuo labori & induſtriæ tuæ debeo, quod tam gratum quam utile opus pro me curare volueris exiguo hoc pretio. Effeciſti ſane ut ſtudium meum in Botanicis redintegraretur, quod moleſtum erat proſequi neceſſario hoc libro deſtitutus. Pecuniam quam ſolviſti ſummæ hic pro Te expenſæ detraho. Propoſitum meum de Profeſſione Petropolitana Tibi probari gaudeo; quod me D. Schreibero commendaris, feciſti gratiſſimum, qui pro more tuo amicorum commoda promovere ſoles. Hoc officium cum aliis bene multis a Te mihi præſtitis dum vivo gratus adgnoſcam. Hisce diebus mihi retulit Bodmerus, celebres quosdam Germaniæ Poëtas judicia de libello tuo ſecum communicaſſe illumque tanti fieri, ut optimi quique Poëtæ, hujus authorem ſe profiteri non tantum non

dubi-

dubitarent, ſed quoque vehementer cuperent. En paucas plantulas ex iis, quas petiiſti, aliis hoc tempore carere non licet. Gramina & apetalas reliquas demum examinabo, ut quæ petis ad Te mitti queant. Vale & me amare perge. Tiguri d. 19. Nov. 1732.

P. S. Hoc tempore ab Agnato meo literas accipio, quibus iter anglicum deſcribit, multa laudat de Sherardo & Dillenio, quorum amicitiam mihi conciliaſſe ſperat. De Bauhiniani Pinacis editione ſcribit, Dillenium in eo augendo & emendando totum eſſe, pauca vero circa methodi emendationem, aut generum conſtitutionem exſpectanda eſſe.

D. Gaubius Lector Leidenſis ad me literas dedit, quibus varii generis metalla & corpora metallis affinia in Helvetia nata a me petit. Doleo agri noſtri ſterilitatem, qui pauca metalla profert. Veſter forte fœcundior erit hujusmodi productis, quæ ſi ad Te perveniant Tibi commendatum habeas etiam atque etiam rogo. En Tabulam aſtronomicam, quam D. Cruquius Cel. Mathematicus Leidæ degens ad me miſit.

66.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

DE Diſſertatione Heiſteriana quid ſentias, ut ingenue mihi aperias, iterum iterumque precibus a Te contendo. Plantas promiſſas quam impatienter

tienter expectem, dici vix potest. Semina quædam vel vestratia, vel etiam exotica addas per amicitiam nostram Te obsecro atque obtestor. Quodsi mineras & fossilia colligas, fidem meam obstringo, me omnis omnino generis Tibi missurum esse. Snebergæ x. Calend. Decembris MDCCXXXII.

67.

JOH. GESNERUS.

LEctis literis tuis statim ad Chalcographum, cui epistola tua inscripta erat, me conferre animus erat: cum vero intellexerim, eum apud socerum quatuor a Tiguro horis remotum degere aliis rebus intentum, cum D. Lochmanno perito pariter sculptore locutus sum, ut ad opus incitarem & de pretio transigerem. Cum vero fere unicus sit, qui hisce rebus hic operam navet, adeo se occupatum ajebat, ut sibi impossibile sit opus ante Kalendas Januarii aggredi, nec rationibus instanti mihi cedere voluit; promisit vero ad medium Januarii opus absolutum iri; quod cum longius quam res tua postulabat protrahi videbatur, cum illo antea pactum nolui inire, quam a Te juberer. Doleo & in leviculis hisce sterilem hactenus meam operam fuisse: jubebis vero quid Tibi placeat. De diligentia mea in dirigendo & incitando sculptore ne dubites. Si vero vis, ut absenti Herrlibergero opus committatur impera. Utcunque opto ut feliciter omnia cedant; neque dilatandum est Te diligenti hujus fabricam & usum

uſum exponendo cœteros facile ſuperaturum, & aliis qui in hoc genere quicquam moliuntur normæ loco futurum: quibus partæ per virtutem gloriæ tuæ maximus cumulus accedet. Et hæc vel ex inſpecta figura & probato in his ſtudio tuo conjicio. Gaudeo impreſſionem in Helvetia faciendam, ne tam inſigni opere diutius deſtituemur. Vale & me ama. Tiguri 29. Novembris 1732.

68.

JOH. GESNERUS.

CUm heri Sculptor Iconem diaphragmatis ſculpendam peteret, ipſe eum adii, ut & de pretio & emendatione eorum, quæ notaſti, cum eo agerem: aperte faſſus eſt, quod etſi omnem operam, quæ a ſculptore pendet, impendere cuperet, vix tamen ſperare ſe poſſe eam ornatam atque ex voto tuo produturam, niſi prius a perito pictore teneriore & umbris inſtructa figura exhibeatur, quod a ſe fieri poſſe negavit. Non cunctatur itaque ne ſplendori operis tui rudiore icone aliquid decederet, peritiſſimum pictorem noſtrum D. Fueslinum (qui omnes Cel. Scheuchzero icones eas quoque, quæ operi Biblico deſtinatæ ſunt, parat) conveniebam, ut pingendæ tabulæ opus in ſe ſuſciperet, (nec enim amplius æri incidit) atque ſecundum tabulam tuam atque accuratas ejus delineationes novam componeret, legibus artis pictoriæ convenientem; quæ antequam ſculptori commit-

committeretur, Tibi inſpicienda mitti poſſet. Annuit quodammodo petito, ſi in cadavere brutorum Diaphragmatis inſpiciendi occaſio ſibi fieri poſſet, reliqua ipſa figura tua ſibi oſtendet. Exſpectandus eſt ab ejus peritia quam in Tabula tua expetis nitor, dignusque opere tuo ſplendor. Cæterum hæc ex proprio conſilio agenti non in malam interpreteris partem rogo. Correctiones annotationum Clauderianarum in Carmina tua cum venia D. Bodmero oſtendam, ut intelligat, nulla niſi cum vero conſilio in Scripto tuo occurrere: ego vero de his judicare non valeo, ut qui hæc ignorem cum ignorantiſſimis. Appulit his diebus filius noſtri Scheuchzeri, qui peritus pictor & ſculptor dicitur, apparatum vero Inſtrumentorum huic operi neceſſariorum demum exſpectat. Præterita die lunæ incendium partis meridionalis noſocomii noſtri circa mediam fere noctem incipiens, univerſam urbem noſtram in ſummum conjecit terrorem. Eo homines periere (grave dictu) XXIV. duo, qui vitam ſaltu ſervare contendebant fregère jugulum & cervicem: reliqui XXII. mediis in flammis interiere. Tiguri 18. Decemb. 1732.

69.

JOH. GESNERUS.

UT accepi literas tuas, quæ quidem ſerius quam debebant ex internuntii cunctatione ad me pervenerunt, Lochmannum adii, qui omnem in perſi-

perficienda Tabula induſtriam pollicetur, ad medium Januarium eandem abſolvere ſpondet. De pretio vero hactenus nil determinavit, cum ante ſequentem hebdomadam ſculpturam inchoare non poſſit. Ita tamen hanc rem agam ac ſi mea eſſet de cunctis Te certiorem facturus, itaque ſi quædam ſuperſunt de ſculpenda Tabula monenda fac ut ſciam. En copiam epiſtolæ ſibi miſſæ, quam Bodmerus legendam mihi tradidit, ut ſi dignam tuis oculis exiſtimarem, ſuo nomine eam ad Te mitterem. Itaque ſi quædam invenies, quæ placent, humanitati D. Bodmeri tribuas velim: ſi vero minus forte juſta quædam legeris, meam accuſabis imprudentiam: neque tamen minus me amabis & valebis. Tiguri Dec. 1732.

70.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

AB iſto tempore iterum quædam in lucem prodiere lectu non omnino indigna, maxime Werlhoffii ſcriptum de Febribus intermittentibus ſoporoſis & apoplecticis, quorum copiam Tibi proxima quavis occaſione faciam. Hyems præter modum clemens & mitis occaſionem mihi dedit plures omnino muſcos & lichenes colligendi, quos omnes ac ſingulos ea Tibi lege mittam, ut quidquid illorum Tibi ad palatum fuerit, Tuum facias, reliquam vero rudem & indigeſtam molem in methodicam & ſyſtematicam formam redigas. Enimvero candide ac ſincere

fas

fas eſt fateri me uti in graminum, ita quoque in hujus generis plantarum hiſtoria adhucdum admodum hoſpitem & peregrinum eſſe. Sane! methodus Dilleniana plures animo ſcrupulos injicit quam eximit, plures nodos nectit ac ſolvit. Qui vero autores hac in re cum ſpe fructus legi poſſunt? Quam Tibi legem ſcripſeris in diſponendis his plantis magna ſciendi cupiditate flagro. Schreiberus ad literas meas nihil omnino reſponſi dedit, quas dubio procul bene accepit. Dabam Snebergæ MDCCXXXIII. XII. Calend. Martii.

Lichen, quem mitto, deſcribitur in nova editione Floræ Jenenſis Ruppii pag. 297. ſequentem in modum: Eſt Lichen terreſtris, pinetorum, rigidus, foliorum Eryngii æmulus, baſi purpuraſcente, ſubſtantia ad fuſcum vergente. Quia cum ex propria obſervatione recenſuit, nec alium autorem laudavit, hinc Buxbaumius ejus tanquam novi Iconem exhibuit Cent. I. Tab. II. Fig. I. Apud nos ſæpius reperitur.

71.

JOH. JAC. SCHEUCHZER.

QUam dudum debeo Tibi *βροντολογιαν* nunc mitto, comite Cataclyſmographia, & Luo pecorum. Volupe fuit, videre paſſim in Commercio Norimbergenſium Literario Medico inſignes tuos in re botanica Helvetica labores, quibus ut porro inſudes, vel pro amore Patriæ ro-

go; excurſiones mihi ulteriores prohibent tum ſanitas vacillans, tum cumulatiſſima ex collato nuper Archiatratu, Canonicatu, & profeſſione phyſices ac matheſeos negotia. Quamobrem in poſterum abs Te cum primis erudiri volo; poſcens, pro ea, quæ mihi tecum eſt, libertate, Saxifragiæ alpinæ habitu Androſaces villoſæ exemplar, ut id conferre poſſim cum meis alpinis. Fac interim valeas & me porro ama. Tiguri $\frac{7}{17}$ Febr.

72.

JOH. GESNERUS.

PRoprius & aliorum morbus me ad Te ſæpius ſcribere conantem impedivit. Ecce tandem delineationem Diaphragmatis a Dno. Füſslino concinnatam, quam ad normam tuam concinnavit, poſtquam Diaphragmatis inſpiciendi copiam in porcello ipſi feceram. Si quæ mutanda ſuperſunt, ea facile emendabit pictor æque ac ſculptor. Cæterum & ex voto tuo facta ſit opto: in œſophago pingendo peccaſſe videtur, ob temporis vero brevitatem mutare ipſi non licuit. Sumtus nondum ſcio.

Quæ in epiſtola tua mei conſolandi cauſa addidiſti, pergrata fuerunt, ex quibus non leve gaudium percepi, aliquale etiam ſolatium, neque tamen melioris ſortis ulla ſpes. Cœterum humanitatem Viri illius non ſatis laudare queo, etſi geſta

gesta ejus me multum ludant. Nuper sectionem Epileptici administrare licuit, cujus cerebrum sphacelosam corruptionem exhibuit, ad medullam cerebri pertingentem. Concessit Cl. Scheuchzerus diaphragmatis inspiciendi copiam, sed Directores Nosocomii prohibuerunt. D. Ehrhard Memmingensis, Herbariorum vivorum auctor, nuper humanissimas literas ad me dedit cum plantarum fasciculo; sed quæ in Botanicis requireretur ἀκριβεια, in denominandis plantis eum destituit. De Itinere alpino hæc habe: me studio botanico utpote novi tædii pleno causa fere abdixisse; si ad suscipiendum iter adducor, unice me permovet tuus amor, desiderium Tecum de rebus meis agendis, & propriæ valetudinis cura. Certi vero determinare nil licet. Plura negotia, quibus hoc tempore interpellor, breviorem me esse jubent; alia addam in proxima epistola. Tiguri 25. Febr. 1733. ocyssime.

73.

JOH. GESNERUS.

Literas tuas cum eruditissima super Diaphragmate Commentatiuncula lætus evolvi. Lugeo sanitatem tuam non satis firmam, ut cito convalescas serio opto. In Tractatu tuo utrum stupendam, quam ubique præ se fert, eruditionem multiplicemque lectionem, utrum ad naturæ normam examussitatam descriptionem partis, quæ ob varios flexus describi fere negat, magis ad-

mirarer, multum dubitavi; ſaltem eſt mihi, & ut ſpero, omnibus, qui ſimilia tractare amant, exemplum ἀκρίβειας in anatomicis; ex quo non obſcure conjeci, ſimilem Tibi cæteras anatomes & medicinæ partes ſcriptis tuis & adverſariis inſerendi rationem eſſe. Proin multum Tibi debeo, quod Eruditis hoc opuſculum conceſſeris, mecum vero tam liberaliter communicaveris. Scheuchzero ſuum exemplum cum epiſtola tua mittam. Paucula quæ ex ejus epiſtola addis authorem produnt. Sub prelo ſudat Catalogus Scriptorum Helvetiæ ab ipſo paratus. Simile opus, jam in hiſtoria animalium molitur; pinacem nempe univerſalem πολυγλοττον, quo præter nomina ſpecies animalium cunctas cum obſervationibus addet; eum in modum, quo ſpecimen de ejus Lexico minerali extat in Ephemeridibus. Cæterum ne ſplendori operis tui aliquid decedat, artificem qui Tabulam ſculpit admoneo; quæ emendata voluiſti, ut præceperas emendavi: quæ vero in ſchedula de convexitate verſus abdomen ſubjunxeras, cum non recte intelligebam, temere mutare non auſus ſum. Tempus quo opus abſolvet, determinare noluit, ſpatio tamen 2. vel ad maximum 3. hebdomadum fieri exiſtimo.

De machina ſua plura ad me ſcripſit amiciſſimus Stehelinus, cui ut & exteris amicis Botanicen mecum excolentibus fere per trimeſtre ſpatium non reſpondi; ægre enim cum Botanicis non ago de rebus botanicis; tamen vix ad idem ſtudium adducor, ex quo mentem hominum noſtrorum

ſtrorum habeo perſpectam: nam quis artem, quæ nonniſi magno pecuniæ & temporis diſpendio perficitur, excolere in patria, ubi vel unius hominis authoritas tantum valet, alterius fortunæ officere, nonniſi ab homine fieri puto, qui rei familiaris nullam prorſus habet rationem: hæc vero poſcit, ut praxi diligentiori opera vacem, quamvis & ab hac revocet frequentior auditorum numerus, qui jam ea, quæ lubentiſſime egiſſem, agere non permittit: ultra 6. enim per diem horæ unice diſcipulis impendendæ ſunt. Relaxandi vero animi cauſa, & ut tædium fugam, jam Muſices elementa addiſco, ab homine noſtrate in hoc genere in theoria & praxi verſatiſſimo, magni ſane acuminis, nec minoris apud nos exiſtimationis. Quantum vero vellem, ut poëma aliquod Tibi reſtaret in ſcriniis tuis, ad cujus ductum ipſi liceret ſonos jungere. Non quod Tibi divina poëti tua ad cantilenas inanes abuti velle videri debeam, cum ipſe artifex, de quo loquor, non talia curet, ſed ſonis forte non indignis carmine elegantiori inſtrueret. Ignoſce vero hæc homini Muſicæ jam dedito.

D. Nicolai obitum non absque horrore intellexi. Exteri noſtrum Bodmerum elogiis de opuſculo tuo poëtico fere cumulant. Tiguri 9. Martii 1733.

74.

J. FR. SCHREIBER.

DOleo, me reſponſiones Tibi, Vir amiciſſime, tam diu debuiſſe. Nil juvat rei adferre cauſſas: operam potius daturus, ut in colenda amicitia Tibi in poſterum videar diligentior. Res meæ ſane mutatæ ſunt valdopere. Fere enim miles factus ſum. Medicus enim mereor apud Ruſſorum exercitum, qui in Livonia hæret. Stipendium numerare potes mille uncialium. Grates ſint Numini, illum rebus meis conceſſiſſe ſtatum, in quo nefas eſt, de cibo & potu eſſe ſollicitum. Firmum potius requirit animum, ne inter lautitias Generalium Virorum molleſcas. Talia fata plurimum eripiunt temporis litteris. Ne me vero plane deſidem cenſeas, a me actorum lege catalogum. Medicinæ edidi Tom. II. qui vero recudetur cum altero, ſed limatior, auctior, atque ab erroribus nonnullis aliquantum magis immunis. Ubi Moſcuam adveni, Illuſt. Societ. Petropolit. Præſes, *Laurentius* BLUMENTROST, me voluit Academiæ ſocium: quum vero illud officium recuſaſſem, varias ob cauſſas, ac præcipue, ob tenuitatis meæ conſcientiam, me tamen honorarium voluit Profeſſorem: atque talem, ſuos in conventus me introduxerunt Bernoulli atque Schumacherus; alter, nomine Academiæ; alter, Præſidis nomine. Prælegi tunc extemporaneum Manuſcriptum, ſed Cosmologicum; titulo: *Conſideratio corporis ac motus &c.* impreſſum

impreſſum apud Societatem; quod Wolfio bilem moviſſe videtur: quum perſuaſum eſſe me oportet, me ab illo haud amplius amari. Idem illud ſcriptum mihi hic expreſſit *Additiones ad conſiderationem corporis ac motus*, Rigæ a. 1732. impreſſas, ubi me explicui diſtinctius, & reſpondi dubiis Krafftianis. Tandem me eo adduxit Waesbergius, ut ederem deſcriptionem vitæ & meritorum F. Ruyſchii, quam quoque ſat jejune abſolvi. Hæc ultima admodum videtur diſplicuiſſe Bohlio Regiomonti. Hæc ſcriptula omnia ad Te mitterem lubentiſſime, niſi de occaſione deſperarem. Sed vitam Ruyſchianam ipſe non poſſideo. Dedi quoque ad Societatem Petropolitanam quasdam obſervationes anatomico-practicas: e. gr. de ſitu duodeni: de vulneribus capitis, per abſorptionem ſanguinis extravaſati curari quæ poſſunt: circa quæ propoſitiones quasdam determinatas cudi: de hepate in varios lobos fiſſo, uti in brutis obſervatum &c. Jam occaſione quadam me adcingam alii ſcriptioni; de *hieroglyphicis Medicis*.

Academiæ Petropolit. Commentariorum Tomus III. prodiit; & quartus eſt ſub prelo. Cætera nova a me non exſpecta: quum nunc ſis me propior doctorum choro. Illud narrare adhuc debeo, me gaudere occaſione fœcunda, luſtrandi cadavera humana, atque tot, quot placet: hoc enim a ſolo meo nutu pendet. Sed ego (non enim omnia poſſumus omnes) malui ſemper, datis uti Anatomicis, quam ipſa ſuppeditare da-

ta. Ægre tamen fero, me neſcire artem deal-bandi oſſa, ut & illam, quam Galli vocant, *démonter la tête*. Fac me ejus participem, Veſali! Pro transmiſſis Botanicis patriis gratias ago: exſpecto & in poſterum ejusmodi. Ego, æſtate ſequente, colligam ſpecimina hiſtoriæ naturalis Livonicæ. Ego contra & horum Te faciam participem. Quum enim contingit, iter facere per Livoniam: in animum induxi ſcriptionem, poſt luſtra, edendam: *de aere, aquis & locis Livonicis*. Eſt intactum argumentum: Livonici enim Medici hactenus prorſus ſervierunt corpori. Rigæ A. C. N. CIↃ IↃCC XXXIII. D. XIIX. Martii ſt. v.

75.

JOH. GESNERUS.

HUmaniſſimas tuas lætus evolvi. Quæ picturam attinent, vereor ut rite emendata ſint, cum Sculptor Tabulam pæne ad umbilicum deduxiſſet, cum ipſi literas tuas monſtravi. Accedunt itaque Tabulæ impreſſæ, quæ tam gratæ Tibi ſint opto, quam ſeriò pictori & ſculptori inculcavi induſtriam. Cel. Bodmerus cum de edito opuſculo tuo anatomico certior factus erat, non requievit uſque dum ipſi ejus exemplum in Italiam mittendum conceſſerim. Offert translationem Miltoni ex anglico in vernaculam a ſe factam, niſi ea jam ſis inſtructus. Totus eſt in edendis ſcriptoribus rerum helveticarum: en

ejus

ejus ſpecimen; cui addo epiſtolam a D. Claudero ad ipſum ſcriptam, quæ Te & opuſculum tuum attinent. Multum laudat tuas emendationes & apologiam, quas in ſuperioribus epiſtolis ad me ſcripſiſti ſuper annotata Cl. Clauderi. Ex quo intellexit inſulſam quandam *a*) ſatyram opuſculo tuo oppoſitam Bernæ divulgari; rogavit ut a Te ejus exemplum per paucos dies peterem: plurimum & humaniſſime Te ſalutat. Quod opuſculum tuum poëticum novis acceſſionibus augeas ſerio gaudeo, ex eo ſane uberrimos in uſu vitæ fructus capere licet, utcunque tento quæ memoria jam teneo iterato conatu in vita applicare. Dicerem vero niſi pulcherrima eſſent, quod meditaris de quiete animi omnia eſſe victurum, fieri enim non poteſt, quin egregium hoc caput elegantiſſimum ſit futurum, quando a manu tua proficiſcitur. Quæ petii Muſicam attinentia iterum petere non audeo, ſpondeo vero, quod nec divulgari aut inconcinnis ſonis veſtire ea paterer.

De Botanica tandem, de qua primum reſpondere erat. Eam minime odio proſequor, verum difficulter adducor ad priores in ea labores: non quod integre animum ab ea abjecerim, ſed quod non obſcure ex conditionibus, quibus in Patria vivere neceſſe eſt, conjiciam, tempus aliis ſtudiis potius impendendum eſſe: non ſane quod de opum collectione nimium ſim ſollicitus, ut qui has virtute longe inferiores putem; ſed quod vitæ genus, quod jam fere in docendis Matheſeos & Medicinæ partibus occupatus hæc ſuadeat.

a) DIPPELII.

Vide tamen quid literæ tuæ poſſint: his lectis non cunctatus ad plantas meas, quæ fere ultra trimeſtre ſpatium jacebant, redeo; catalogum & ſynopſin elaboraturus. Muſci tui pergrati erunt. Velim addas duo exempla opuſculi tui poëtici. Vale & me ama. Tiguri 24. Martii 1733.

P. S. Nec ſculptor nec pictor pretium adhuc poſcebant, ubi reſcivero ad te ſcribam: mittam quoque tabulam æneam, quæ nondum purgata eſt.

76.

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER,

Accepi, & legi doctiſſimam Tuam de Diaphragmate Diſſertationem cum attentione & fructu, & pro donario hocce maximas quas debeo, habeo grates. Id unicum deſiderans, ut muſculorum nobilem hanc partem conſtituentium vires ad calculum revocaſſes, & uſum partis caſibus variis medicis illuſtraſſes. Haud enim dubito, quin pleuritici hepatisque affectus, inflammatorii inprimis diaphragma trahant in conſenſum. Attendam & ego in luſtratione cadaverum, mihi ſatis frequenti, vel ſpontanea in Noſocomio, vel ex Superiorum mandato. Ego ipſe ſimile quid paſſus periculoſiſſima pleuritide ſimul & obſtructione hepatis decumbens. Caſum, quem æger ex ipſo lecto dictavi, alicubi leges in Miſcellaneis Kanoldi. Mitto hac occaſione primum

mum operis, quod ſub prelo gemit, folium, ut cum aliis communices. Vale, Amice optime, & porro me ama. Tiguri $\frac{29}{33}$ Mart.

77.

JOH. GESNERUS.

Humaniſſimas tuas lubentiſſime evolvi; ex iis id intellexi, quod nunquam ſperare fuiſſem auſus, ut tuis per totum orbem celeberrimis ſcriptis aliquando celebrarer; neſcius ſum plane qua ratione tot erga me merita tua munerare queam; neque enim Tibi ſufficiebat optimis quibusque ſtudiis animum meum imbuere, atque languentem ad eadem tacita quadam vi excitare, verum etiam tam luculenter famæ meæ conſulere jam cogitas. Cel. Bodmerus mittit ad Te partem I. Paradiſi amiſſi plurima cum ſalute; addidit correctiones Lipſia ſibi perſcriptas tuam cum ſuper poëmate tum translatione ſententiam ſciſcitaturus, ne dicam tuas literas & commercium literarium extorſurus. Quod ſi gratum apud vos hoc opuſculum fore exiſtimares, perlibenter Bibliopolæ exemplarium numerum mitteret. Plantis iterum luſtrandis accingor, plantas quæſitum ivi, ſed neſcio quo fato ne unicam attentione dignam reperire datum erat. D. D. Garcin, diligentiſſimum & experientia inſigni inſtructum Botanicum, apud me plurimum extulerunt Cel. de Juſſieu & Stehelinus. Hiſtoriam itineris & obſer-

obſervatorum in India parare dicit. Si primus in Patriam anatomen introduceres, publica authoritate ſuffultam, tibi non poſſet non eſſe maxime glorioſum, aliis vero ipſisque poſteris utiliſſimum. De ægra, cujus hiſtoriam ad me ſcribis, quæ tuis cogitatis addam vix habeo: mobilitas doloris ſenſusque frigidi vaſorum lymphaticorum rupturam quæ a vomitu vehementiori in ſuperioribus ſæpenumero contingit indicare videtur, reſorptioni deſtinata medicamenta intenderem, niſi ſucceſſus optatus ſequeretur. Sæpius in Noſocomio noſtro his doloribus fonticuli in capite maxime ad bregma aut ſuturam lamboideam excitati inſignem opem attulerunt: ad hos aliquando accedendum exiſtimarem, niſi lenioribus dolor cederet. Ipſi enim hi fonticuli terebrationis vices feliciſſime explent calvariam penetrando, quod præterito anno in ægra Orphanotrophii noſtri, quæ per plures annos fonticulum eum levamine in bregmate geſtabat, experti ſumus. Tiguri 6. Aprilis 1733.

78.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Si vales bene eſt, ego valeo. Literæ tuæ XI. Calendarum Martii ad me exaratæ recte fuerunt perlatæ, ſpero autem fore, ut & binas meas cum adjunctis mineris ac diſſertatiunculis bene acce-

acceperis. Judicium tuum de Heiſtero omne apud me tulit punctum. Neque enim iſti mihi probantur, qui in condenda plantarum methodo unius ſaltem partis habent rationem, verum illi ſolum laudem mereri mihi videntur, qui ad florem fructumque ſimul attendentes animum habitum totius plantæ non negligunt, quod Rajum, Sherardum & Boerhaavium feciſſe notum eſt. Tetrapetalam, rotundifoliam Thoram jam e numero Ranunculorum proſcripſere Ruppius & Buxbaumius, quorum hac in re veſtigia gnaviter premere decebat Heiſterum. Quid vero ſentis de modo Heiſteriano Lychnides a ſe invicem diſtinguendi, quem in Catalogo tertio nuper tibi miſſo ad finem communicavit? Aut quomodo ab invicem diſtinguis Lychnidem Muſcipulam & Viſcariam? circa quas non una eademque omnium Botanicorum eſt ſententia. Caſparus Boſius Botanices Profeſſor deſignatus, doctum & politum edidit Programma de Calyce Tournef. quo ad Orationem auſpicalem audiendam convocavit viros doctos, quod proxima occaſione accipies. Iſte vero paucis poſtea hebdomadibus in ipſo ætatis flore humanis fuit ereptus rebus, cujus mortem pariter ac illam chariſſimi mihi Nicolai doleo acerbe lugeoque. Dillenium hortum Elthamenſem ſplendidiſſimum in lucem edidiſſe, non opus erit ut te faciam certiorem. Dabam Snebergæ pridie Calendarum Maji anno MDCCXXXIII.

79.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Literas Tuas quinto Maji ſcriptas in thermis Carolinis commorans accepi eo plane tempore, quo D. Schreiberus epiſtola ad me data me certiorem fecit ſe valere, ac plantas a te miſſas cum literis recte ſibi traditas eſſe. Iſte additiones in lucem edidit ad Tract. de corpore & motu, nunc Diſſertationem parat de hieroglyphicis Medicis, tomum vero ſecundum Medicinæ phyſico mathematicæ ad aliquod tempus ſupprimet multa ſcilicet politurus, limaturus, aſſuturus, exaſciaturus affabre, opus ut teſſellatum evadat. De ſitu duodeni & hepate in lobos diviſo, quod Veſalio nunquam viſum ſcribit, cum Societate Petropolitana obſervationes quasdam Commentariis inſerendas communicavit. Sed de hac in lobos diviſione legi merentur Epiſtolæ anatomicæ Morgagni contra Blancum ſcriptæ.

Orchis * illa, quam in commercio Noricorum Literario adcuratiſſime deſcripſiſti, etiam hic locorum copioſe reperitur, a me jam pridem pro nondum deſcripta habita, cujus aliquot exemplaria addam reliquis. Agmen plantarum Alpium indigenarum ubi miſeris terrorem non incutiet, manus oculosque ad cœlum tollere facies, ſane jucundiſſimum oculis meis ſpectaculum creatis,

* Pſeudorchis *Mich.*

tis. Vera ſcribo. Nihil omnino eſt, quod tædia ex praxi medica ſæpius nata delinire queat, ſi dulciſſimum Botanices ſtudium excipias. Quos apud vos graſſatos morbos ſcribis, eos & hic ſæviiſſe ſcias, ægris & medicis magnos luctus dantes. Exanthemata purpurea in noſtris terris ſexcenties pleuriticis erupiſſe memini, pluries cum εὐφορίᾳ ægroti. Nec eſt cur cauſeris vel calorem lecti hypocauſtive, vel alexipharmacorum uſum imprudentem, quæ dudum ex praxi mea proſcripſi diluentibus aquoſis, acidulatis, nitroſis, collutionibus oris, naſi, injectionibus clysmatum emollientium, refrigerantium, balneis extremorum, frictionibus totius corporis &c. &c. unice contentus. Valeant hic chemica & Morboniam abeant! Reſinam Jalappæ ſolutam ubi dare placuerit, eam amygdalis intritam in vitello ovi ſolvendam curo, addendo aquam & ſyrupum cinamomi, neque juris pinguis uſum niſi poſt horam præterlapſam concedo, licet probe ſciam, eam longe facilius præcipitem dari in ſpiritu vini ſolutam, quam vitello ovi. Anatomicis neque apud nos occaſio favet, ob plebis inſcitæ ſuperſtitionem, chirurgicis ſic ſatis. Trepanum iterum applicui puero metallicolæ ſedecim annorum, horrendam cranii fracturam paſſo, cum ſumma ſpe fructus: Hydropici ventrem acu tricuſpide aperui, ſcrotum cum femoribus ſcarificandum curavi, is vero nunc penitus cum valetudine in gratiam rediit. Menſis adhuc vix ullus præteriit, quin ad parturientem fuerim accerſitus, quas dextra enchireſi, quod

præ-

præfiſcine dictum eſto, omnes liberavi. Sic chirurgiam maſculam, omnino exulem, dummodo unquam hic commorata fuerit, poſtliminio revocavi. Laudant plurimi, vituperant pauciſſimi, nonniſi medici, harum rerum turpiter ignari. Archagathum ſecantem, urentem clamant, virum obſtetricem, poſt Paulum Æginetam, decantant. Verum calumnientur, dummodo imitari neſciant! Hæc ad neminem niſi ad amicum ſcripturus eram, quem omnino æqui bonique conſulturum eſſe confido. Vale! Dabam in Thermis Carolinis IVto Calendarum Junii A. C. MDCCXXXIII.

An glandulæ bronchiales nigræ Verheyenii, potius Borrichii, per tuſſim rejici queant, hæreo anceps? quod, niſi me omnia fallunt, non in parte interna, ſed externa tracheæ & bronchiorum ſitæ ſint. Quem uſum eis Vercellonius aſſignaverit noſti. Noſti forſan & illud: Clar. Harderum articulo 2. diſſertationis de viſcerum uſu & ſtructura harum inventionem ſibi vindicare.

Schulzius noſter edita diſſertatione, ut ſolet, docta, ſervi Medici apud Græcos & Romanos conditionem eruit, duabus aliis operoſe aſſertum ivit, ligaturam funiculi umbilicalis omnino non eſſe neceſſariam ad cohibendam hæmorrhagiam etiam in homine, aſt quanti momenti res in medicina forenſi! Dignæ ſunt quæ a te legantur, meum erit earum tibi facere copiam. Iterum vale!

80.

JOH. GESNERUS.

Quam insignem ex literis tuis humanissimis voluptatem ceperim, dici vix potest, gratissimo namque de Tuo ad nos itinere nihil nobis exoptatius aut fructuosius contingere posset. Et singulis jam momentis inhio, quo Te amplectar, tuisque dulcibus fruar colloquiis, quam multa enim tecum mihi agenda sint, non obscure ex rerum mearum statu conjicis. Rogo vero, iterumque rogo, res tuas ita disponas, ut saltem per hebdomadam te frui nobis licitum sit, & tecum de rebus botanicis & studiorum meorum ratione conferre, utinam voti compos reddar! Fac itaque, ut quamprimum nostris oris Aroviæ propior sis sciam, atque ad nos tui amantissimos venias. D. D. animum ... mei forte causa experiris, quod te inter amicos meos utilissimum noscat: clam enim & parenti & fratri meo insidiatur; meos quoque conatus fere cunctos suffodit, etsi mihi faveat aut favere velit videri: Cæterum scio te neque assentiatiunculas neque notulas ejus multum curare, ut qui hæc diu jam antegressus es. Inde vero ejus fastum, quem tam eleganter delineasti, cognoscis. Sed ego non facile fero hæc de opere tuo judicia, in quo forsan rapsodiam ex omnis generis scriptoribus desideravit, in qua omnia ὑστεροπρωτερα, qualem in scriptis suis invenire licet: quasi non sufficerit generalia principia pro explicandis phænomenis, in quibus actio diaphragmatis concurrit

rit ſuppeditaſſe: hac ipſa cautela quam prudens operi tuo adhibuiſti, neglecta omnia inter ſe miſcentur & confuſa fiunt quæcumque: ut non inepte tractatum tuum normam vocem deſcriptionis anatomicæ, in acquirendis diſtincta partium cognitione & principiis ratiociniorum in phyſiologia & praxi. Quam inepte muſculorum vires calculo determinatas poſcit! quaſi non facillimum ſit, in aſſumta qualibet hypotheſi ſtatus diaphragmatis juxta determinatam a te muſculi hujus deſcriptionem ex Hermannianis meditationibus ſimile quid præſtare, ſed cui hæc uſui? cum in omni ſtatu corporis pro ætate, actione &c. multum varient; in his ſane ſtulta gloria. Verum ad Botanica accedo. Ranunculi tui eodem mihi nomine veniunt. Quam Silao adfinem plantam nuncias, ſub Phellandrii nomine ſervo, a Silao quantum ex ſicca planta perſpicio, corolla foliorum umbellæ ſubſtratorum, & foliorum inciſuris crebrioribus & brevioribus differt. Iniquam ſatyram legi, in qua præter invidiam, inſcitiam, ſcommata, frigus nil reperi. Nova editio poëmatum tuorum tanto gratior erit futura, quod & inter amicos tuos ibi ſim legendus, quo quidem honore me indignum fere judico, maxime cum in hoc genere ſtudiorum tyro exiſtam. Vale & me ama. Tiguri 15. Maji 1733.

81.

JOH. GESNERUS.

Cum harum latores D. Ott & Muralt cariſſimi meorum diſcipulorum, meique amantiſſimi ad exteros iter pararent, commoda hac occaſione mittendi ad Te opus Bocconianum cum tabula ænea Diaphragmatis uti cogitans, reſponſionem paululum diſtuli. Et cum æque bene ipſis ac mihi cupiam, atque ignorarem, ex cujus alloquio plura quam ex tuo diſcerent, ad te hiſce literis aditum ipſis parare auſus ſum. Merentur ſane ob egregiam indolem & virtutem non fucatam, ut horum conamina foveamus, tanto magis, quod ex rarioribus ſint inter Politicos literis operam navantes. Me Mathematica docentem incitata diligentia audierunt. D. Muralt practica, D. Ottius theoretica imprimis conſectabatur; in hoc imprimis ingenium docile & diſcendi cupidum miratus ſum: in Muſica excellit, atque in Philoſophia recentiori tantum profecit, ut ex ſermonibus tuis uberrimos fructus capere poſſit. Hic Genevam, ille Lugdunum cogitat. Horum parentibus honoratiſſimis ob plurima teſtatæ benevolentiæ ſigna plurimum debeo. Hos itaque ſi auxilio vel conſilio juvare poteris, me plurimum devincies, atque tuis in me benefactis magnum cumulum addes.

Non adducor facile ad committendum aliquid publicæ luci, cum pauca habeam, unde

proficui quid ad orbem eruditum proficiſci queat; atque probe norim, quam ſit mihi curta ſuppellex; neque fere vitæ ratio patitur, ſtudiis ex voto operam dare, ut qui vivo in patria, qua conatibus meis ii etiam renituntur, per quos maxime foveri decebat; atque ad ea docenda cogor, quæ nonniſi trivialia ſunt, & per quæ altiora vix attinguntur; neque enim vel unicum habeo inter complures diſcipulos, qui Algebram, Botanicen, Anatomen &c. audire non recuſet; vulgatiſſimis tantum inhiant & deproperando res ingurgitare cupiunt, quæ nonniſi attenta reflexione addiſcuntur. Cæterum abunde ex his intelligo, quam ſollicitus ſis non tantum de fortuna, ſed & honoribus meis, & quantum ſollicita prudentia hæc urgeas ea, de quibus ad Schreiberum noſtrum ſcripſiſti, atque promiſſa carmina abunde loquuntur. Mihi vehementer dolet, quod non habeam, quibus hæc tua in me merita rependam. D. Eſcherus im Seydenhof ex munificentia Regis defuncti Poloniæ omnium foſſilium Saxonicorum & plerorumque Polonicorum collectionem proximis diebus exſpectat; quorum catalogum his diebus monſtravit. Per eum comparare licebit, quicquid rari in horto Marchionis Durlacenſis Carlsruh colitur. Nuper horti catalogum impreſſum vidi, qui rariſſimas quasque africanas necdum deſcriptas plantas continet, videntur vero hæc curæ hominis in Botanicis non multum exercitati commiſſa eſſe. Ill. Marchio peregrinationi botanicæ africanæ Med. ſtudioſum adjunxit, qui rariſſimas mittit ex Afri-

ca plantas. Hortum Elthamenſem proximis diebus exſpecto. Hac hebdomada D. Trew Norimberga ad me literas mittit humaniſſimas, & ad commercium literarium invitat. Doleo ſpem te hac æſtate videndi fere evanuiſſe; quam plurimis enim in rebus tuo conſilio egeo, neque ſane recuſo Altorfum aut vicinum aliquem montem adire, ad quem botanicam excurſionem inſtituis, dummodo tuo alloquio frui liceat. Tecum quoque multiſiliquas a gymnopolyſpermis & nonnullis polyangiis non ſeparo. In plantis, quæ juxta vaſcula ordinandæ ſunt ſeminalia, hunc ſervo ordinem. Sunt nempe ovario poſt florem unico, gemello, quaterno, vel multiplici: quæ multiplex habent, ſunt vel ovario monoſpermo, ut omnes gymnopolyſpermæ; vel polyſpermo ut multiſiliquæ, & non paucæ ex polyangiis; quæ omnes rurſus ovarium habent varium, ſiccum vel molle. Quæ ovario ſunt unico, idem habent vel monangion vel polyangion, ſive ſemina vel ſemen uni vel duabus, vel pluribus diſtinctis placentis adnaſcentia, aut vaſcula ſepto intermedio diviſa in tria loculamenta. Hinc monangiis adjungo, quæ unicam placentam habent, cui ſemina adnaſcuntur. Diangias voco, quæ vel duas placentas, vel in duo loculamenta diſtincta diviſa ſunt. Hæ iterum omnes ſunt vel monoſpermæ (ad quæ refero plures Gymnomonoſpermas) vel polyſpermæ. Ovarium in omnibus eſt vel molle vel ſiccum. Et huic ordini in conſcribendo indice plantarum utcunque me adſtringo, nec invita plantarum fabrica,

neque vero per otium licet tantum huic ſtudio laboris ut optarem impendere. Vale & mihi favere perge. Tiguri prid. Non. Jun. MDCCXXXIII

82.

JOH. GESNERUS.

Præterita Lunæ die inter 3 & 4 noctis horam maximo ſuorum & civium & amicorum luctu obiit Cel. noſter Scheuchzerus, poſtquam per quatuordecim dies febri decubuit continua remittente. Vacat ab obitu ejus Profeſſio phyſica & locus Canonici, cum Profeſſione mathematica; priora nunc ambit frater ejus Johannes Medicus, præter morem legum noſtrarum; ſunt tamen plures, qui . . . ducti ejus partes tuentur: pro mathematica cathedra melior ſpes mihi quam olim apparet: me ergo jam conquirendis amicis ac fautoribus occupatum facile conjicis. Nolui vero hæc te ignorare. Tiguri 24. Junii 1733.

P. S. Pro plurimis in D. Ott & Muralt collatis beneficiis parentes eorum mecum plurimum gratias agunt.

83.

JOH. GESNERUS.

Quantum ab obitu Cel. noſtri Scheuchzeri rerum mearum ſtatus mutatus ſit, dicere vix poſſum;

poſſum; atque in omnibus ſummi Rectoris omnipotentiam atque ſingularem in me providentiam quam ſuſpicio perſpexi, &, quæ olim in literis ad me ſcripſiſti, effectu comprobata video; Deum nempe ſubito inventurum, quod mihi ſufficiat. D. Joh. Scheuchzerus defuncti frater Med. Doctor Canonici & Phyſici titulum meruit; in me delata eſt Profeſſio ordinaria mathematica, quam ante obitum D. Muralt D. Scheuchzerus per plures annos tuebatur. Ita mihi videor, in eo quod ſemper amavi, ſtudio philoſophico & mathematico vitam poſſe conſumere, vacuus a plerisque curis, quæ olim me tenebant ſolicitum. Quam mirifice res hæc geſta ſit, vix literis confidere audeo. Suffragia mihi data ſunt IX. Hagenbuchio IV. In omnibus ſane luculentiſſime opem divinam expertus ſum: homines enim, qui mihi ignotiſſimi, non ſolum in meas partes iverunt, ſed mei cauſam apud electores & curatores Gymnaſii tuebantur. Ipſe D. Scheuchzerus, quod ne ſperare licebat, me apud omnes Curatores commendabat, & ab ejus familiaritate plurima bona præſtolor. Laudare quoque poſſum nob. D. Wyſſii, communis noſtri amici, in me ingenuitatem, qui nec rogatus apud patronos ſuos meum commodum promovit. Immo vero fautores & amicos etiam inter primarios urbis noſtræ tot expertus ſum, quot ſuſpicari nunquam auſus fuiſſem. Heri munus docendæ matheſeos publicum jam aggreſſus ſum; & quamplurima in me devolvi negotia jam videntur, propter neceſſariam abſentiam D. Scheuch-

zeri, qui res ſuas Badæ componit. Cæterum amorem ſtudioſorum erga me non ſatis laudare poſſum. Ignoſce quod in rebus meis recenſendis paulo ſim liberalior; dabis hæc firmiſſimæ perſuaſioni de tua in me voluntate. Tiguri 27. Junii 1733.

84.

JOH. GESNERUS.

Exoptatiſſimas tuas ſumma cum voluptate perlegi, tenerum vero, quem literis & opere ſæpiſſime teſtatus es, tuum erga me amorem egregio carmine luculentiſſime * confirmatum videre quantæ mihi fuerit oblectationi, dicere vix poſſum. Tanto vero majores Tibi gratias debeo, quod his carminibus me amicorum tuorum ordini adſcriptum immortalitatem nominis conſequi poſſe mihi videar. Laudes quas mihi impertis, potius tuæ in me voluntati quam meritis meis tribuo. Videntur jam negotia mea paululum accumulari, ſuperatis tamen initiis facilia erunt & parabitur otium. Propter abſentiam Cel. Scheuchzeri, Phyſices Profeſſoris, muneris ejus vices agere jubeor in docenda phyſica, Bada tamen adveniet ad proximum Septembrem. Profeſſionem auſpicari animus eſt oratione inaugurali de præclaris Helvetiorum meritis in Matheſin, ubi ſimul uſum Matheſeos exemplis docere locus dabitur. Eſt tamen animus ad Botanicen redire feriis

* *Mein Gesner, die Natur erwacht, &c.*

feriis canicularibus, & cum Scherbio, qui patriam repetiit, per octiduum montes proximos Suitenſium & Lucernenſium adire, quam vero vellem tecum huic ſtudio vacare, & tuo conſilio frui! Nihil mihi datur niſi pro felici itineris ſucceſſu feria vota. In Valeſia aliquando ſpeciem Euphraſiæ vel Pedicularis viſcidæ [S. H. n. 306.] in monte Leiterberg tecum inveni, inde nunquam viſam, nec non Anchuſæ & Heſperidum atque Anonidum varias ſpecies, denique rariſſima gramina; horum quodcunque ſit, ſi pro me colligere velles, gratiſſimum foret. Ego in plantis pro te ſeponendis tardus ſum: ſed carmine tuo cauſam meæ ſollicitudinis & tarditatis adeo diſtincte cognoviſſe teſtatus es, ut excuſatione mihi opus non ſit. Curabo ut liberior jam animo & curis diligentiorem his operam dem. Hortus Elthamenſis hic appulit, rariores exoticas maximam partem continens. Centaurii majoris tres habeo ſpecies, 1. majus, folio Helenii incano, 2. idem, folio anguſtiore: Tertium folio anguſtiori ſerrato, Scheuchz. iter alpin. II. 132. * perlibenter tua viderem. Vale & me ama. Tiguri 6. Julii 1733.

P. S. Triſtis hic nuntius Leida appulit, D. Abrahamum Gronovium melancholia minime vulgariter laborare.

* Centaurium, Hiſt. ſtirp. helv. n. 160.

85.

JOH. GESNERUS.

HOc Dippelio nec impudentior nec profanior homo dari poterit, & perſuaſiſſimum eſt mihi, poſtquam ex libris ejus genium cognovi. Ψευδολογος hujus libellus inter pſeudopietiſtas quosdam vagatur, qui in meas manus deferendum curarunt ad legendum. Dici non poteſt hominis rabies & furor inſanus, ſed tangunt pleraque auctorem carminis critici. Ubi pauciſſimis verbis ad tua carmina accedit, easdem fere in Te, quas in Wolfium & Leibnitium calumnias effudit. Cæterum Religionem chriſtianam ubique graviſſimis convitiis impetit: nec non ſimilia de Ampliſſimo veſtro Magiſtratu ſcribit: ut digniorem exiſtimem libellum, qui carnificis manu comburatur, quam ut ejus in publicum fiat mentio. Nolo vero his ingratis rebus diutius inhærere.

In alpinis plantis fere jam novus ſum, cum diu recentes examinare non licuerit. Spero tamen pleniori otio hiſce operam dare. Ordinavi præterita hebdomade muſcos, lichenes & ſimpliciores plantas meas, quas ut ordine contemplari & in volumen jungere liceat, chartæ regali partim aciculis affixi, partim glutine agglutinavi, ſingulam ſingulæ plagulæ. Ab hoc vero labore me jam vocant labores academici plurimum aucti. Poſtquam enim D. D. Scheuchzero Badæ diutius commo-

commorandi venia conceſſa, totum ab Ampliſſimo Senatu & venerando Collegio Canonicorum in me devolvitur officium Profeſſoris phyſici, ad usque ejus reditum. Jubeor quoque compendium matheſeos puræ in uſum auditorum conſcribere. Phyſicæ autem compendium a defuncto D. Scheuchzero conſcriptum, quod norma hactenus prælectionum in auditorio fuit, tale mihi videtur, quod ordine vera phyſices elementa exponere vix admittat. Decet itaque in proprios & auditorum uſus aliam docendi rationem ingredi, ut totus jam ſim in hoc argumento. Utinam tuo conſilio in his adjuvarer! Poſtquam Cel. Scheuchzerus rurſus acceſſerit, in animo habet, compendium phyſicum in auditorum uſum concinnare. Sane meliora omnia jam apparent, & ſpes optima affulget, ut perſuaſum mihi ex ejus amicitia fructus capturum non ſpernendos. Saltem cum me in ejus locum ſubſtitui per id tempus petierit, locum fecit ſpeciminibus pluribus publicis æque ac privatis, quæ lubens ſuſcipio. Tiguri Calend. Aug. 1733.

86.

JOH. GESNERUS.

REdux ab itinere alpino Tuas cum Schreiberianis ſumma cum voluptate evolvi. Mihi gratiſſima eſt hujus viri amicitia, quæ Te interveniente optime coli poſſe certiſſima mihi ſpes eſt.

Miror

Miror quod nihil de profeſſione Petropolitana ſcripſerit, quam tum jam obtinuiſſe dicebatur. D. Amman, Medicus Scaphuſienſis, poſt D. Scheuchzerum cuſtos Muſei Sloaniani, Londino profectus dicitur, occupaturus munus Botanici Imperatricis Ruſſici. Iter tuum longe meo exoptatius Tibi contigit & fructuoſius. Mihi ob tempeſtatem pluvioſam alpium cacumina adire vix conceſſum erat. Montem Fractum & Regium autem perquiſivimus. In illo rariſſimas offendi plantas antea non viſas, Papaver luteum Coriandri folio Tournef. Adianthum offic. Rutam ſylveſtrem ſimilesque. Muſcum ſquamoſum Linariæ f. majorem & criſpum Tournef. florentem deprehendi, eſt vero ex hypnorum genere. D. Cappeler, Medicus Lucernenſis, qui alter Scheuchzerus, oſtendit deſcriptionem Montis Fracti, in qua plures affert obſervationes raras, ſi quidem veræ ſint: v. gr. in ſylvis Montis Fracti nullas abietes novas ſuccreſcere; reſpirationem in ſummitate ob effluvia huc non adſcendentia eſſe liberiorem ſimul & citatiorem, & quæ hujus generis ſunt alia. Hiſtoriæ naturali penitus fere valedixit, occupationibus practicis vacans. Oratio mea inauguralis erit de præclaro Matheſeos in vita uſu: quando auſpicaturus ſim munus ignoro, ob incertam adhuc D. Scheuchzeri Profeſſoris phyſici Tiguri ſedem. Forte Badæ adhuc per annum commorabitur, & ejus officia in me devolventur, unde labor inſigniter auctus. Cæterum ad ordinandas plantas lentus redeo, ex quibus mihi olim viſæ voluptatis veſtigia ſenſim colligere videor.

Mittam

Mittam ad Te faſciculum ſimulac paululum emerſero ex oceano plantarum, quas per longum tempus maxima in confuſione habui. Centauria majora pauca habeo, ante aliquot annos in monte Albula & Speluga lecta. Si ex rarioribus muſcis tuis quosdam ad me mittere poſſes, rem faceres gratiſſimam. Hortum Elthamenſem evolvi, qui plurima notatu digna continet, pauca quidem de noſtratibus: ubique vero author oſtendit, quantus ſit Botanicus, quodque univerſali plantarum pinaci conſcribendo par ſit, cum ubique obſervationes condat generales de conſtituenda methodo, generibus, de conjiciendis locis plantarum; in evolvendis vero Botanicorum ſcriptis, qua accuratione, diligentia & judicio id fecerit, mirari ſatis non poteſt, cum unicuique plantæ junctam ſeriem chronologicam ſcriptorum ſua vindicet ſynonyma, & accuratiſſimam ejus hiſtoriam proponat. Nonnulla nova genera conſtituit, ſubinde notans authores Botanicos, imprimis Buxbaumium. Tiguri præterita hebdomade appulit Richeus J. U. D. Hamburg. vir ſagaciſſimus, filius D. Richei, qui author dicitur ſcripti Moralis *der Patriot.* Medicus Erfortienſis Herbaria condit ſecundum methodum olim a me propoſitam; qua plantarum folia typographicis machinis ſolent exprimi. Nuper Tiguri me conveniebat D. Kœnig, filius D. Profeſſoris Bernenſis, qui apud Bernoullium matheſi ſublimiori vacat, in quo ſtudiorum ſatis exercitatus mihi viſus eſt. D. Fries, Tigurinus a Thermis Leucenſibus redux, tuo nomine mihi humaniſſimam reddidit ſalutem. A-

junt

junt Te adverſarium nactum eſſe Dippelium fanaticum illum, qui more ſolito cum bile & ſaliva tua ſcripta exagitare conatus iis in locis, ubi ejus ſectam vivide depinxiſti. Tiguri 2c. Aug. 1733.

P. S. Ultimo ad id reſpondeo, ad quod primum oportebat reſpondere. Quantum in me eſt me omni contentione laboraturum, ut propoſitum Tecum iter alpinum perficiam. Vale.

87.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Maximopere me exhilaravit elegantiſſimum illud plantarum munus, nihilque magis in votis habeo, quam ut eadem me ſubinde liberalitate mactatum velis, cum plurimæ inter eas reperiantur, quas in terris noſtris penitus deſideres. Semina ob cæli aſperitatem niviumque copiam raro apud vos maturitatem aſſequi, facile inducor ad credendum, idque eo facilius, quo idem ſæpius hic locorum contigiſſe memini. Suppetent tamen ſemper quædam mittenda, quibus meam ſitim explere poteris. Muſcis adhucdum, paucis exceptis, ferme deſtituor, omnemque ſpem in tua munificentia repono, illud ſancte promittens, me id unice curaturum eſſe, ut quidquid plantarum noſtra terra alit gignitve, hoc anno a me accipias. Totus in eo ſum, ut Catalogum earum, quas

hic

hic locorum reperi, concinnem, quem non tam cito confecero, ac Tibi miſero. In præſentiarum catalogum accipis iſtarum, quæ ex veſtratibus mihi notis apud nos incaſſum quæruntur, cui alium comitem dedi eas enumerantem, quæ noſtris cum veſtris terris communes exiſtunt. Rarioribus præterito anno repertis annumero Lichenem folio eryngii, Petaſititem alpinum, quem noſtrates Tuſſilaginem alpinam flore purpureo vocant, Pyrolam monanthemon odore Liliorum convallium Jungermanni, Lunariam folio rutaceo, Spicant Tragi, Filiculam petræam corniculatam, Trientalem Cordi & Rivini, Parnaſſiam, Circæam, Ranunculum Apenninum aconiti folio altiſſimum flore albo, Orchidem flore minimo, Orchidem ſpiralem albam, Coronopum Ruellii, Polygalam flore cœruleo, albo & ex utroque mixto, Polygaloidem folio buxi, Lycopodium folio Sabinæ & Juniperi, Hedypnoën Ruppii &c. Si qua ex his ad palatum tuum ſit, ejus rei certiorem ut me facias rogo obſecroque. Elegantiſſimæ ſunt obſervationes, quarum in humaniſſimis Tuis mentionem injeciſti, quibus certo certius evincis, plurimas plantarum ad alias ſpecies claſſesque eſſe transferendas. Ita vero in immenſum creſcit ſtudium botanicum! Hebenſtreitium noſtrum nuper ducentas plantas easque novas cum triginta piſcium exuviis chartæ agglutinatis Dresdam miſiſſe ex literis Heucheri ad me exaratis percepi. Impatienter expecto Prodromum Hiſtoriæ plantarum Helvetiæ a Te & Cl. Gesnero edendæ. Opus Stæhelini de vaſis aereis animalium

lium atque plantarum diuturna mora eruditorum animos admodum ſuſpenſos detinet. Ego aliquoties animum ad ſcribendum appuli, ſed ægrotorum querelis, & pluribus itineribus inſtituendis, miſere diſtractus multa afficio, conficio nihil. Spero tamen tandem aliquando quidquam in lucem proditurum eſſe. Sat cito, ſi ſat bene! Sæpius Tuam ac Gesneri ſortem terque quaterque beatam prædicavi, qui ſociatis viribus præclariſſima quævis perpetratis facinora, meam dolens vicem, quæ facit, ut ab omni ferme eruditorum, maxime Medicorum conſortio remotus, illiteratam vitam vivam. Aſt valeant querelæ! Edidit nuper Sigesbeckius quidam novum Syſtema Cosmicum, omnia adhuc nota falſi arguens, ſolem inter terram & martem collocans. Scriptum nondum vidi, quamprimum vero ejus mihi copia facta fuerit, illud Tecum communicabo. Ecquid autem arridet idea Solis, quam nobis in Chemia exhibuit divinus Boerhaavius? Animus erat de calore Thermarum quædam ad Te differere, utque ſcrupulos quosdam, qui animum pungunt, eximeres, rogare, quæ anguſtiis chartæ & temporis incluſus nunc ſileo. Dabam Snebergæ MDCCXXXIII. pridie Iduum Januarii.

Brevis deſignatio plantarum hic locorum reperiundarum.

Anagallis flore luteo.
Trientalis Cordi.

Clau-

Glaucoïdes maritima.
Plantaginella.
Erica ſpuria ſive Tetralix.
Vaccinium altiſſimum foliis ſubalbidis.
Ribes alpinus.
Circæa.
Aliſma Matthioli.
Sanguiſorba major & minor montana.
Thalictrum montanum.
Chryſoſplenium.
Braſſica alpina perennis.
Cardamine ſylvat. hirſuta cordifolia,
Alyſſum fol. Veronicæ montanum.
Unifolium.
Paris.
Oxycoccus.
Chriſtophoriana.
Linoſyris Rivini.
Ranunculus alpin. Aconiti fol. flore albo.
Quinquefolium fol. argenteo.
Pentaphylloides paluſtre rubrum.
Caryophyllata paluſtris flore nutante.
Alſine montana latifolia.
Arenaria campeſtris flore purpuraſcente.
Rorella.
Tunica ſylv. multiflora ſupina.
Portulaca ſpuria aquatica.
Hypericum minus ſupinum glabrum.
Otites Riv.
Veſicaria Riv.
Acetoſella vulgat. & flore luteo.
Sedum paluſtre hirſutum purpur.

Fabaria.
Gruinalis montana hæmatodes.
Padus folio deciduo.
Cratægus.
Aucuparia.
Veratrum flore ferrugineo *a*).
Berberis.
Pulſatilla.
Filipendula.
Nymphæa alba & lutea.
Chryſanthemum arvenſe folio glauco.
Leucanthemum ſylvaticum tanaceti folio.
Ptarmica vulgaris.
Arnica ſive Doronicum Germanicum.
Carduus tomentoſus.
Petaſites minor alp. folio anguloſo craſſo.
Elichryſum annuum flore conglobato ſaxatile.
Hieracium Narbonenſe caule aphyllo.
- - - fruticoſum latifolium.
- - - - - - - anguſtifolium.
Sonchus quartus flore cœruleo.
Chondrilla cœrulea.
- - - ſonchifol. flore luteo-palleſcente.
- - - - - - - flore purpureo.
Hyoſeris latifol. I. Hieracium VIII. Cluſ.
Globularia vulg.
Echioïdes flore cæruleo albo & purpureo.
Marrubium album.
Orobanche caryophyllum redolens.
Antirrhinum arvenſe majus.
Veronica aquatica ſcutellata.

Digi-

a) An vere.

Digitalis lutea.
Ariſarum Riv. (Calla)
Belladonna majori flore & folio.
Polygaloïdes.
Trifolium montanum purpureum majus.
Cytiſus latifolius montanus.
Trifolium ſpica oblonga.
Orobus ſylvaticus.
- - - - - - foliis oblongis.
Geniſta juncea.
- - - tinctoria.
- - - ſpartium minus Germ.
Coronilla flore vario.
Split radice rotunda, cava & non cava.
Impatiens Riv.
Aſtragalus luteus procumbens perennis.
Eſula folio amygdali.
- - - paluſtris Riv.
Imperatoria.
Meum.
Oenanthe aquatica.
Pimpinella ſaxifraga major altera.
- - - - - - - minor.
- - - - - - - - - radice nigra.
Fraxinella.
Pyrola rotundifolia.
- - - folio mucronato.
- - - monanthos Jungerm.
Helleborine ſylvatica radice repente.
Ophrys bifolia.
Orchis militaris minor.
- - odore hirci.

Satyrium Riv.
Palmata anguſtifolia non maculoſa foliis odoratis.
- - - alpina ſpicata flore albo viridi.
- - - flore viridi petalo inferiori inſtar ophryos biſecto.
Acorum legitimum.
Juglans.
Carpinus.
Populus alba.
Chenopod. fol. laciniat. coma purpuraſcente.
- - - Betæ folio.
Pinaſtella Ruppii.
Filicula montana folio vario.
- - - - ſaxatilis corniculata.
Spicant Tragi ſive Lonchitis altera J. B.
Lunaria racemoſa.
- - - - fol. rutaceo.
Lycopodium offic.
- - - - - foliis juniperinis.
- - - - - Sabinæ facie.
Equiſetum ſylvaticum ſetis tenuiſſimis *a*).

88.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Ego hoc anno, quod profiſcine dixerim, admodum aſſiduus fui in colligendis plantis, quas inter apud nos omnino raræ nominari merentur Orobanche Caryophyllum redolens, Orobanche ſpuria

a) Omiſimus vulgares & ubique provenientes.

ſpuria ſive Corallorhiza Mentzelii, Plantaginella, Glaux maritima, Alſinella muſcoſo flore Dillenii. Equiſetum illud paluſtre longioribus ſetis C. B. P. Ephedra nonnullis dictum, etiam Halæ & Jenæ reperitur, unde transmiſſum obtineo illud, optarim tamen vehementer exemplar Tuæ plantæ habere, quo cum meo comparare poſſem. Licet in literis tuis ſcribas, Te forſan vere ſaltem proximo plantas in meos uſus conquiſitas miſſurum eſſe, confido tamen Te meis precibus victum & coactum eas mihi non amplius eſſe inviſurum, cum, quam iſtas exſpectem impatienter, dici vix ac ne vix quidem queat. Gesnero Clariſſimo plurimam meo nomine impertias ſalutem rogo iterumque rogo. Eum non tam diligo quam amo, quem in paucis Tibi charum, & Virum profunde ac ſolide doctum novi. Dabam Snebergæ x. Calend. Septembr. MDCCXXXIII.

89.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Octiduum eſt, ex quo literas ad Te exaratas Gœſchelio noſtrati commiſi, mox uti ſpero Tibi tradendas. Ab iſto tempore accepi ſcriptum Douglaſſii de Peritonæo ab Heiſtero Filio latina civitate donatum, notis quibusdam non tam ornatum, quam deformatum deturpatumque. Acceſſit commentatio Boſiana de calyce Tournefortii & Schulziana quædam, quorum quidem nonnul-

lorum Te jam participem feci antea. Rogo igitur iſta, quæ Tibi inſervire nequeunt, in jura Cl. Gesneri cum plurima mea ſalute tranſire jubeas. Ad palatum fuerit Boſianum ſcriptum? cura ut ſciam. Oratio de iis, quæ plus ingenii quam veri in botanico ſtudio demonſtrant, brevi lucem aſpiciet, quam proxima quavis occaſione Tecum communicabo. Non licuit per negotia Catalogum omnium ac ſingularum hic reperiundarum, ſaltem a me repertarum, plantarum conſignare, en tamen iſtum earum, quas partim in proprios, partim, & maximam partem, in alienos uſus hoc anno congeſſi. Vix mihi perſuadeo unam alteramve a Te deſideratis annumerandam eſſe, quidquid tamen deſideraveris, illud ſine mora habebis. Vale, & quod adhuc feciſti, me ama! Dabam Snebergæ pridie Calendarum Septembris MDCCXXXIII.

90.

JO. JACOBUS BODMER.

A quo tempore primum ex poëmatiis tuis fruge optima undiquaque plenis cognoſcere Te cœpi, eo erga Te fui animo, quo erga virum ornatiſſimum & ſapientiſſimum eſſe me par eſt. Itaque epiſtola tua humaniſſima perlecta gaviſus ſum meam erga Te voluntatem, utut in re exili, Tibi ſignificandi occaſionem ſemel obtuliſſe. Dominum fratrem equidem tuum de opuſculo illo

illo Lipſiam mittendo cogitare ſerio, eo lubentius intellexi, quod & avide ibi exſpectari, & niſi copia ejus fieret, eſſe ſciam qui de iteranda, vel vobis inconſultis, editione cogitent. Sed cui librariorum tuto tradi poſſint exempla, anceps animi hæreo, novi enim hoc genus hominum, & magno meo diſpendio ab iis cavere mihi didici. Doctiſſimus quidem Kappius, in Academia Lipſienſi Profeſſor Oratoriæ, petenti mihi, ut aliquem mihi monſtraret, cui paradiſum Miltoni, opuſcula amœniora Gotthardi Heideggeri, il Paragone tra la poeſia tragica degli franceſi et degli italiani, aliaque ſumtibus meis prelo ſubjecta vendenda committerem, Michaelem Blochberger nominavit. Sed is quidem, ne quid diſſimulem, ſpem de ejus ſtudio factam non ab omni parte adimplevit. Et hæc cauſa eſt, cur has curas librarias pro tempore abjecerim, repetendas tamen, ubi nepos quidam meus, adoleſcens ingenuus & literarum non rudis, qui nunc artis librariæ cognoſcendæ cauſa apud Gallos & Belgas peregrinatur, redux factus fuerit. Quod ſi tamen Domino fratri placeat Michaeli Blochberger concredere centum illa exempla, commendatorias, ſi jubes, ad eum adornabo. Si jactura facienda ſit, erit leviuſcula & quæ tolerari poſſit. Quid, ſi a Domino Gotſchedio Profeſſore honorario, harum deliciarum impenſe curioſo, requiram, num ipſe forte vendendorum curam ſuſcipere velit? Profecto me piget tædetque nondum Saxonibus cognitum eſſe, quo opere Helvetii, qui Barbari illis vocamur, eos vincamus. Dippelii error in-

fauſtis ſane avibus accidit; novimus enim hominis intemperantiam. Tu igitur ſi hac de re in Novis Lipſienſibus monere quid velis, mihi ſcribe. Kappius enim, qui Novorum editionem curat, mihi conjunctiſſimus, nobis non deerit. Eſt etiam (ſi tanti putes) Hamburgi amicus, qui ibi quoque cœpto nuper diario literario intexere curabit, quæ jufferis. Amiciſſimus D. Gesner ſpem mihi fecerat, fore ut hoc autumno ad nos inviſeres, id ſi fiet, plures hic reperies tui ſtudioſos, quos ſcilicet generoſa illa atque ſolida tua in cogitando libertas Tibi adjunxit; in quibus me non poſtremum habe, & ita vale. Tiguri Helvetiorum die 29. Aug. 1733.

91.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Euphedram omni charactere ab Equiſetis eſſe diſtinctam ex Raji methodo emendata, qui illam polygonum bacciferum Tournefortii exiſtere & cum Rubo Idæo charactere convenire ſcribit, ſed nimis fero, didici. Hæc vero planta omnino rariſſimis apud nos accenſetur. Magno me beneficio mactaveris, ſi mittendis plantis ſynonyma nomina ex variis autoribus addideris, Autores etiam, in quibus Icones earum reperiuntur. Dippelium, peſtem illam humani generis peſtilentiſſimam injurias in Te evomuiſſe nondum comperire potui, quæ reſciſcere poſſum, ut ſcias faciam.

Cave

Cave autem, rogo iterumque rogo, cum homine ſceleratiſſimo in arenam deſcendas, ſed generoſo contemptu maledicentiam furciferi exanima. Dabam Snebergæ vto Cal. Octobr. MDCCXXXIII.

92.

EM. KÖNIG.

Teſtimonium, quod quidem ſignificantius virtuti tuæ debebatur, ut ſpero accepiſti, ſi non arridet, parati ſumus pro lubitu tuo tradere tale, quod magis ad rem facere forte poſſet, nam feſtinanter rem illam & inter alia negotia renunciationi forenſi dicata, expedivimus. Jam de reliquis in binis cariſſimis tuis litteris contentis, Tecum colloqui liceat; Stæhelium communem noſtrum amicum quod concernit, eſt ille a me de ſuo veterno, in quem delapſus eſſe videtur, blandè objurgatus, reſponſum tuli, negotia varia academica (eſt Decurio hodie Philoſophorum ordinis) practica, domeſtica, ipſum impedire, ne Tibi & aliis amicis oſtendere hactenus potuerit, ſe docta commercia, quæ præſertim Tecum, quem ut ſemper fecit, inſtar ſummi & digniſſimi amici habet, interceſſerant, minime refugere, hujusque rei teſtimonium produxit librum manuſcriptum, multis picturis locupletem, qui egregias ſane obſervationes *a*) de ovis, eorum

 ductibus,

a) Inter chartas TREWIANAS eſt.

ductibus, vasis, incubatu &c. analogisque in brutis vasis præsertim aereis, pertractat, legeratque epistolicum tractatum præludium totius operis fere continentem, quem Tibi consecratum propediem missurus sit; inter alia utilissima nova observata, clarum nomen tuum veneraturus, particulas non semel non sub unica circumstantia, vel tempore, sed centies visas, in albumine contentas, *spirales*, (quæ a primo tempore incubationis usque ad ultimum, sub quo evanescit albumen, tanquam elastra evoluta continuo majus spatium affectant, & pro ea ratione qua albumen evanescit, h. e. in nutrimentum pulli abit majores fiunt) HALLERIANAS aut Hallerias vocare voluit, cum dulce hoc & gratum nomen, statim ac de existentia harum particularum securus fuisset, mentem subivisset. Rogavit porro, ut antequam ipse scriberet, nondum perfecta & absoluta epistola bene longa Tibi significarem, memoria tui sibi nihil gratius esse, librosque apud Batavos pro Te emptos, adhucdum Amstelodami asservari, a Dno. J. J. Wetstenio, Diacono quondam Leonhardino, nunc Clar. Clerici vices subeunte Amstelodami, de quo hic memorare lubet, illum suffragiorum vincentium numero, ad specimina pro Professione vacante Rhetorica edenda, admissum fuisse, non dubitabis & Stehelium & me ab ipsius partibus stetisse. O quam cuperem aliquando vobiscum, Gesnerum quoque intelligo, alpes percurrere; dabit, ut spero, Deus hoc otium. Nova litteraria pauciſſima habemus, his diebus apud Bischoffium vidi & emi Collegium

casuale

caſuale magnum Stahlii a diſcipulo quodam germanice redditum, juſta diligentia; quidquid de animæ intentionibus dicat author, tamen remedia ſelecta multiplici experientia ſua comprobata, profert. Video ſane hypotheſin Stahlio non nocere: experimenta circa remediorum vires facienti, eſt aliquid in corpore, quod ſuperfluum, quod incongruum removere geſtit, nec Stahlius nec mechanici illud unquam explicaverunt. Huc pertinet vis magna conſenſus partium. Neurologia aliquid lucis fundit non ſufficere videtur: de his plura, nam magni intereſt, hæc contemplari. Medicamentorum vulgo laudatorum examen ad experientiæ trutinam ſiſtit (idem codex) & quod magni facio, totam ſcientiam practicam Stahlii continet, quam nimis obſcure alias in ſcriptis Stahlianis propoſitam, nonniſi cum reluctatione ſumma quis perlegeret: fateor me cum magno fructu hoc opus perlegere. Dabam Baſileæ d. 9. Decembr. 1733.

93.

JOH. GESNERUS.

Gratiſſimum fuit ab occupato homine tandem literas accipere; de tua amicitia non dubitans metuebam, ne mali ominis aliquid ſubſit. Nunc vero lætor eam cauſam a ſcriptione Te impediiſſe, quæ ut certiſſime mihi perſuadere poſſum, aditum ad honores acceptos reditusque parabit,

rabit, quos recuſando omnium judicio male ageres, cum locus ſit quo conditione tua longe plurimis uſui eſſe poſſis. Et quamquam difficile Tibi non poſſit non accidere petere munus, quod ſalus publica & conditio tua Tibi præ omnibus aliis vindicaret, in hoc tamen mos Reipublicæ Tibi obſervandus, qualem nec maximi quique Viri ſequi dedecori duxerint. Quibus non machinis blanditiisque munus Bibliothecarii Cæſarei prenſavit ſummus Leibnitius? Accedit quod ampliſſimus Tibi locus ſit cognitionis animorum veſtratium, unde Tibi plurima & oblectatio & uſus plurimus. Tandem ſtudiis detento nimium homini aliquod otium & valetudinis firmitudinem parat; ſicque efficit, ut amici diutius Te fruantur, & orbi erudito longo tempore præſis; hoc imprimis voveo & ſerio opto ſub exitum hujus anni, qui cum novi anni auſpiciis & plurimis annorum luſtris Tibi auſpicatiſſimus contingat ex animo precor. Non poſſum non ad negotium tuum redire. Scis idem mihi nec ſine ſucceſſu fuiſſe ſubeundum, etſi apud multo pauciores, decertandum autem fuit cum pluribus. Sibi vero gratulabitur orbis eruditus eam occaſionem aliquid ex ſcientiæ tuæ penu depromptum videre editum in lucem. Materiam ceraceam raro adhibui, ſemper vero primum paratam ex Ichtyocolla in Spiritu ſoluta, decoctione præmiſſa, addita cinnabari vel alio pigmento: atque ne rediret, materiem injeci æcaceam ex ſevo ovino, oleo therebinthinæ & cera paratam replentem majora vaſa. D. D. Condoidy Petropoli

tropoli quasdam ad me misit orationes & dissertationem propriam *de morbis ætatum* cum splendidissima Imperatricis icone. Dabam penult. Decembr. 1733.

JOH. RUDOLPHUS ZUINGERUS

Phil. & Medicinæ Doctor, Pract. Prof. Fac. Med. h. t. DECANUS,

Lectori salutem.

NOS Decanus & Professores Collegii Medici Universitatis Basileensis, lubentissime testamur, Virum Clarissimum & Experientissimum ALBERTUM HALLERUM Medicinæ Doctorem Bernensem, præterquam quod sublimis ac acerrimi ingenii sui insignes notas dederit, inter alia, maximos suos quos in re anatomica fecerat progressus nobis ostendisse, cum summa industria & labore indefesso, magno auditorum suorum commodo & utilitate, in Theatro nostro anatomico, mensibus hybernis 1728. & 1729. quatuor cadavera humana dissecasset, exque indultu Excellentissimi MIEGII p. m. Anatomes Professoris &c. Rectoris Magnifici, a se præparata publice cum summo applausu demonstrasset. Cujus rei gnaviter examinatæ luculentum & utilissimum testimonium est, apud nostrates bene multos Medicos reservatus tanquam parvus quidam thesaurus, liber manuscriptus anatomicus, continens Demonstrationes LXXI. paucis exceptis ab ipso

ipſo habitas omnes, quas harum author ipſe conſcripſit, ubi ſumma cum ſolertia, partium corporis humani fere omnium, ſitus, nexus, decurſus &c. exhibetur. Gaudemus itaque impenſe nos occaſionem eſſe nactos, virtuti & doctrinæ laudatiſſimi hujus Viri juſta perſolvendi; id quod ſicut ea qua par eſt ſinceritate, juſto ac honeſtiſſimo accedente ejus petito, facimus, ita ardenter optamus, ut in Helvetorum commune bonum, excellentiſſimum hoc ingenium tanta ſcientia excultum, opportunitate ea, qua data uberrimi fructus inde reportari poſſent, nunquam deſtituatur. In cujus rei fidem ſigillum Facultatis noſtræ heic appoſitum. Datum Baſileæ die 5to Decembris A°. 1733.

Viro Ampliſſimo Experientiſſimoque DOMINO HALLERO

Medicinæ Doctori Celeberrimo

Regia Societas Literaria & Scientiarum Upſalienſis S. P. D.

INſignis tua eruditio, Vir Experientiſſime, non uno documento nobis innotuit. Nam præter id quod ex eorum ore hauſimus, quibus Te coram frui licuit, ſcripta Tua, quæ ad nos allata magna cum voluptate legimus, ut eorum admirationem, ita reliquorum etiam, quæ Te meditari novimus, impenſius excitaverunt deſiderium. Nos autem, ut Tua merita quodammodo participemus, inprimis vero, ut noſtrum in Te ſtudium

dium voluntatemque plane ſingularem declaremus, indulgente illuſtriſſimo Regiæ Societatis Literariæ & Scientiarum Præſide, Celſiſſimo Comite Regis Regnique Sueciæ Senatore, Domino ARWIDO HORN, noſtrum Tibi ſodalitium deferendum, Teque prædictæ Societatis membrum recipiendum concordibus ſuffragiis cenſuimus.

Hac ratione, Vir ampliſſime, Nos qui tanto locorum intervallo disjungimur, hoc ſortis vitium animorum eo propiori conjunctione compenſemus, & novum hoc qua antea uniti ſumus, Literarum ſtudiorumque affinitati vinculum ſuperaddamus. Ita etiam eo confidentius ſingula quæ a nobis obſervata fuerint, quæque notatu digna natura heic produxerit, Tecum communicabimus, idem genus officii a Te, quod Tuo non fiat incommodo, efflagitantes.

Societatis noſtræ inſtituta, ut Tibi perſcribamus, non neceſſum ducimus, quum ſingula, cum id genus aliis habeamus communia. Veritatem ſequimur: errores & præjudicia profligamus: invicem nos amamus. Te ut easdem Tibi leges dudum præſcripſiſſe novimus, ita etiam nobis favere ne deſinas. Vale.

Ampliſſimi Nominis Tui

Dab. Upſaliæ d. $\frac{4}{15}$. Dec. 1733. ſtudioſiſſimi

Olof Rudbeck.
Georg. Wallin.
Matthias Aſp.
Nicolaus Roſen.
Olavus Celſius.
S. Klingenſtierna.
Johann. Ihre.

94.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Opus Stæhelinianum tandem aliquando videndi inſigni flagro cupiditate, ita encomiis tuis ſalivam mihi moviſti. Laudem quidem meretur juſta tardatio, atque magis ſemper ad palatum eruditorum ſunt illa opera, quæ admorſos ſapiunt ungues, quam quæ adhucdum cruda in forum protruduntur: verum cum vita brevis ſpes vetet inchoare longas, calcar addas, quæſo, Viro optimo, ne dum in ſeros annos polit fœtum, æternis iſte tandem obruatur tenebris. Judicium tuum de Commentatione Boſiana apprime placet. Eſt nimirum luſus in verbis, dum cum Tournefortio calycem tumidum vocat id, cui alii nomen ovarii vel embryonis imponunt. Interim neutiquam id ſibi ſumſerat, ut omnia pertractaret, quæ de calyce tam in genere, quam in ſpecie dici poſſunt, ſed id ſaltem evincere volebat, contra Julium Pontederam, aſſumta definitione Tournefortiana calycis tanquam vera, calycis nomen utique competere illi ovarii parti in quibusdam plantis, cui Pontedera illud denegabat. Quæ de duplici calyce folioſo mones in diverſis plantis, ea non intacta miſit, ſed diſtinctiſſime tradidit autor. De cætero hæc materia nondum ita exhauſta mihi videtur, ut nihil relictum ſit noſtræ induſtriæ, niſi Magnolus, quem videre nondum contigit, palmam reliquis præripuerit. Helianthemum calyce triphyllo inſtructum eſſe ſcribis. . . .

bis. . . . auſim tamen affirmare pentaphyllum eum eſſe, tribus nempe majoribus duobusque minoribus foliis coloris ex luteo-rubelli præſentibus. Sæpe difficillimum eſt judicatu, ſitne monophyllus calyx an polyphyllus? Nec regulæ a Cl. Vaillantio in ſermone de ſtructura florum dicto hic omnes ſcrupulos eximunt. Hepaticæ nonnulli calycem triphyllum tribuunt, qui ſaltem eſt monophyllus, & in tria ſegmenta tantum non ſemper diviſus. Populaginem mox ſubſtituit Trollio Cl. Boerhaavius, qui ultimus calycem habet pentapetalum, cum Populaginis flos ſit nudus. Aſſeclæ Rivini diſtinctionem in flore quærunt, Trollio florem polypetalon, Populagini pentapetalon tribuentes. Verum ſexcenties Trollium pentapetalon & Caltham polypetalon reperi, & ſic iſta nota vanitatis arguitur. Violas, Helianthema, Euphraſiam, Pinguiculam, Orobanchen, Parnaſſiam non ſolum Ruppius in editione altera Floræ Jenenſis, ſed & Hebenſtreitius in Deſcript. Plant. Monangiis adjudicarunt, quales ego ſemper etiam tales inveni, ut merito aliquid humani paſſus videatur divinus alias Boerhaavius. Vale! dabam Snebergæ x. Calend. Martii MDCCXXXIV.

95.

JOH. GESNERUS.

Adeo diuturnum mihi videbatur vixque ferendum ſilentium Tuum, ut niſi negotiis totus

immerſus difficulter mihi temperaſſem nova a Te literis ſciſcitari. Tandem acceſſerunt acceptatiſſimæ Tuæ, e quibus gratiora de promotione tua intelligere exoptaſſem, ut tamen mihi firmiſſima ſpes ſit, præclara tua facta non poſſe non optima quæque conſequi, & certus ſum meliora Tibi & Orbi Literario ſervari. Anatomicos labores præmium non poteſt non ſequi, id interea Tibi debemus, quod in Patriam, dicam etiam in Helvetiam primus, exemplo Morgagni anatomen introduxeris, quod ut glorioſum ita dignum tuis meritis. Opuſculum poëticum novis curis & acceſſionibus locupletatum avidiſſime exſpecto; quæ ſunt ea, quæ Baſileæ ad tua Carmina imprimi dicuntur? En conditiones operis, quod Frater edere in animo habet, ſi pro eruditione tua ejus conamina juvaris, maximopere Tibi eum devinceres. En ſpecimen ſubitum, quod intra pauciſſimos dies mihi erat conſcribendum, quodque tenuitatem ingenii ubique præ ſe fert: id præterita ſeptimana DEO annuente defendi: ſaltem conatus ſum uſus matheſeos in phyſica ad vitam applicanda exhibere; matheſin non edoctis obſcurus videor in iis rebus, quas evidentiſſimas reddere volui determinando. In elaboranda Oratione nunc ſum, quæ præcipua matheſeos in vita momenta exponet. Redibit Cel. D. Scheuchzerus poſt feſtum Paſchatis, ego ponam faſces Lectoris phyſici mihi iterum amicisque reddendus. De Botanica excolenda animum nondum integre abjeci. Tiguri ocyſſime 2. Mart. 1734.

96.

96.

JOH. GESNERUS.

Etſi miratus fere ſim, Te Cathedram Humaniorum Literarum ambire *a*), deſii tamen mirari cum cognoviſſem, Te hæc veluti per ludum literarium ſine ſtudiorum medicorum detrimento docere poſſe. Fautores ex animo opto, & tanto ardentius, quod hæc via ſit ad Cathedram anatomicam, quæ ſane Illuſtriſſimæ Reipublicæ veſtræ digniſſima foret, imprimis tuis auſpiciis inchoanda. Et hic ſimile conſilium agitant Chirurgi noſtrates, Magiſtratu non invito; ſed metuo ne animorum diſſenſio fructum hujus inſtituti deſtruat. Tiguri 14. Aprilis 1734.

97.

JOH. GESNERUS.

Solutus onere phyſico diligentior ero in Botanicis, ut Tecum cœptum opus aliquando abſolvi poſſit; quamquam difficultates adſint plurimæ. Hæredes Scheuchzeriani Herbarium, quod plantis ultra 3000. conſtat, chartæ nitidiſſimæ belgicæ per ſchedas adglutinatis pro 24. Ludov. aureis offerunt. Obſervandum quod non omnia gramina in eo contineantur, cum horum 600. circiter a Cel. Fratre, horum collectore, repetantur. Kalend. Maji 1734.

a) Non ambii, & declinavi, ſpeciminibus tamen legitimis me ſubjeci.

P. S. Quæ circa Cathedram Litterarum humaniorum aguntur?

98.

JOH. GESNERUS.

Humaniſſimæ tuæ cum egregia Tabula ænea eo ipſo tempore, quo feriis Synodalibus negotiis pauliſper ſolutus Botanicis incumbebam, mihi pervenerunt, nec mediocrem ad ſtudium, quod revera ſemper mihi voluptas fuit, ſtimulum addiderunt; nam etſi difficultatem operis tanto magis, quo diutius a ſtudio botanico tædia quædam & negotia me ſepararunt, perſenſiſſem, nihil tamen erit, quod non aſſiduitate & uſu ſuperari poſſit, maxime ſi prudentia tua gubernentur. Perlibenter itaque a Te intelligerem, quæ meæ in hoc opere partes, quæ officia ſint futura: ſed ne quid diſſimulem, fatendum mihi eſt, plantas plerasque meas novo ſtudio perveſtigandas me neceſſarium ducere, cum multæ in his occurrant, quarum nomina non addita ſunt, quædam etiam, quæ in primis annis, quo ſtudio medico operam navavi, collectæ ſunt, quarum ab eo tempore copiam habere non licuit, & de quibus hinc inde dubitare poſſum, an rite decerptæ ſint. Denique plurimæ ſunt hinc inde authoribus commemoratæ in Helvetia naſcentes, & dubiæ plures non viſæ; quæ cunctæ accuratius examinandæ eſſent: quo vero ordine, quibus limitibus hæc omnia contineantur vel ex ſpecimine

in

in uno aliquo genere exhibito, vel coram a Te edoceri mihi gratiſſimum erit. Atque utinam aliquando Tecum plantas ſiccas meas evolvere poſſem, ut una difficultatibus liceret occurrere! Dein ex inſpecto herbario tuo vel ejus indice plurimus mihi naſcetur uſus. Mihi digerendæ reſtant plantæ flore compoſito & flore polypetalo, ad quem laborem per intervalla redeo, ut quæ reſtant in Catalogo meo tandem ſuppleantur: quæ tamen ante iter noſtrum alpinum abſolvi poſſe ſpero: hoc Tecum ſuſcipere jucundiſſima mihi prorſus oblectatio erit, DEUS largiatur vires & firmam valetudinem! Mecum erit unicus diſcipulus, qui hoc ſtudium impenſe amat, & plane ad nutum meum. Diem quo Tecum ſim, vehementer exſpecto, nam innumera Tecum agenda mihi eſſent, illud vero maximum, ut coram Tibi teſter, quantum tuæ amicitiæ debeam. Ambitus tui proſperum eventum ex animo opto, nam & hoc plurimum ad perficiendum opus botanicum conferret. Mea fortuna tenuis nimis eſt, quam ut impenſas nimias in hoc ſtudium facerem; neque etiam pluribus, quam ad ſummum 21. dies ab urbe abeſſe mihi liceret, itaque itinera mea non facile nimium extenderem. Vale & me amare perge. Tiguri 12. Maji 1734.

99.

JOH. GESNERUS.

Humaniſſimas tuas brevi ſequebatur Oratio tua a Cel. Bodmero tradita undiquaque erudita,

oſtendens quantum etiam ſis in ſtudio tantum a medicina remoto. Sed gratulor arti medicæ, cui Te potius dicatum vis, quam ſtudio humaniorum Literarum, in quibus vel docendis temporis non parum conſumitur. Itineri me accingam, quam primum fieri poterit, non ante 16. Julii, Te Brientii aut Unterſeeæ conventurus, ut per Valeſiam & Gotthardum Rhætiam petam, & per Curiam ad noſtros redeam: ea enim pars alpium minus hactenus perluſtrata plantarum rariſſimarum feraciſſima eſt. Eſt & ibi nob. de Salicibus plantarum & earum natura curioſus indagator, a quo nonnulla proficua noſtro ſtudio ſpero. Intervalla locorum Tibi nota ſunt, ſi ſignificabis tempus, quo Te Brientii aut Unterſeeæ alloqui poſſim, recta Tigurum eo proficiſcar, ut opportuno tempore adſim; cuperem autem Tecum, Vir amiciſſime & doctiſſime, itineris partem multo maximam perficere, nam præterquam quod plurima inter nos agenda ſint de ſtudio communi botanico, tot Tibi proponenda atque a Te diſcenda mihi ſunt, ut dubitem an majus tempus confabulationi an plantarum perquiſitioni dem lubentius. Niſi grave fuerit, ad me quamprimum de itinere Tibi conſtitutum eſt reſcribe, cum non pauca mihi ante ordinanda ſint, quam iter aggredi licebit. De herbario Scheuchzeriano nil mihi conſtitit præter ea, quæ jam Tibi nota ſunt. Pretium addit ſumtus, quos impendit plantas chartæ ſplendidæ majori Belgicæ agglutinando. Plantæ helveticæ occurrunt bene multæ, a ſe & fratre collectæ, atque a diſcipulis

pulis communicatæ; exoticæ ſunt plurimæ, etiam tales, quæ cum Helveticis noſtris non parum commune habent, quales ſunt Italicæ a D. Micheli communicatæ. Si catalogum inſpicere lubet, forte concedet non difficulter. Forſan operæ pretium eſſet inſpicere ipſum herbarium, & ſi adcideret de pretio tranſigere, optarem ſaltem, ut id efficere poſſet, ut Te aliquando apud nos videremus: lubentiſſime ſi per Tigurum Bernam repetero animus foret, meum iter ad nutum tuum conformabo. Vale & exoptatiſſimis literis tuis me brevi exhilara. Dabam Tiguri 22. Jun. 1734.

100.

JOH. GESNERUS.

Iter ad nutum tuum componam, erit tamen mihi temporis aliqua ratio habenda. Ad quæſita tua de locorum intervallis inexpertus reſpondere non poſſum, niſi ea quæ ex Scheuchzeri tabula geographica cognoſcere potes. Meum iter anno 1726. per Rhætiam ſuſceptum Curia Clavennam tendebat per montem Albulam Septimum & Acidulas S. Mauritii Spelucam montem, Fontes Rheni poſteriores, pagum Vaez, indeque Ilantium, unde per Rhæticum montem Glaronam reverti ſpatio unius ſeptimanæ, quibus omnibus in locis rariſſimæ nec inde hactenus viſæ plantæ occurrebant. Erat quidem animus ex Avicula monte ad Gotthardum proficiſci, ſed non dabatur, qui ſine terrore juvenili tum animo incuſſo

iter monſtraret. Poterunt vero hic Tiguri & in itinere cuncta facile conſilio tuo dirigi, lubens 14. dies itineri ad Unterſeeam concedam. Servus mihi eſt probus, qui vero in hoc itinerum genere nunquam periculum fecit; ſpero eum facile onera noſtra geſturum, præcipue ſi accumulatæ plantæ non nimiæ ſunt. Pauca induſia mecum ſumam, reliquum charta erit, quæ jam, qualem & Tu præfers, compoſita eſt. Juvenis optimus D. Hachard ſocius erit itineris, qui patris hoſpitio & mea informatione in medicis utitur. Badæ in diruta arce, dein ad muros antiquos Thermarum nec non in ſylva, quæ verſus Mellingen ducit, præcipuas inveni plantas. Poſui hac hebdomada munus Lectoris phyſici. Nunc reliqua mea ita componam, ut Te toto frui poſſim, & opto, ut quam diutiſſime nobiſcum ſis. Vale & me quod facis ama. Tiguri 3. Jul. 1734.

101.

JOH. GESNERUS.

Summa erat Tui apud omnes, quibus adventum tuum lætus indicavi, exſpectatio; ſed triſtes eheu nuntii accedunt, qui non tantum Tui hoc anno videndi omnem ſpem præſcindunt, ſed & nuntiant, Te graviſſimo morbo conflictatum in ſummo vitæ diſcrimine verſari, quod me, qui in amicitia tua omnem fere vitæ dulcedinem pono, tanto dolore affecit, ut & lacrymas expreſſerit; me levavit paulum altera epiſtola, qua

Te

Te morbi impetum ſuperaſſe nuntias. Det Deus, ut concuſſa Tibi ſanitas brevi redeat, & diu amicis & Reipublicæ Literariæ ſerveris. Utcunque ſpero, eam felicitatem mihi aliquando poſſe concedi, ut Tecum ſim in itinere; hac vice omnia ad Te excipiendum & tuo ſuavi conſortio frui parata erant; exſpectabant plantulæ ſiccæ meæ & noſtri in Botanicis labores, ut a Te evolverentur, atque ſi quid dignum Te, Tibique foret gratum in iis, haberes. Perduxi ad finem partes duas poſteriores catalogi mei & ſpermatophylacii; atque univerſam meam ſupellectilem herbariam, ut mihi nunc potiſſimum conſtet, in quibus hæſitem, aut quæ clarius cognoſcam. Verum adduci non poſſum ad ſuſcipiendum hac æſtate iter, cum mihi Tui abſentia triſte deſiderium perpetuo revocaret in mentem: diligentius vero inquiram in plantas urbi noſtræ vicinas, & ne prorſus ab itinere abſtinuiſſe videar, Thermas petam Badenſes, plantas montis Legerii perveſtigaturus. Mittam etiam ad Te, quæ in Herbario noſtro ſuperſunt. Nuper diſcipulus Leida redux Lectiones Boerhaavianas recentiſſimas attulit ſuper morbis nervorum, in quibus varia eruditio & quædam non inutilia; eum bene ſemper valuiſſe ajebat. Communem amicum noſtrum D. Gillerum vomitu ſanguineo graviter correptum fuiſſe ajunt. Dolerem ſane optimi amici fata & valetudinem ſummopere. DEUS T. O. M. eum ſanitati reſtituat; & Tibi quoque ſit medicus, qui in noſtri ſolatium priſtinum Tibi vigorem in longam ætatem reddat. Tu vero ſi me amas,

Te cura diligenter, & nimia animi in ſtudiis contentione vires non conſume, quo diutius tua amicitia ſuaviſſima fruamur. Tiguri 16. Jul. 1734. ocyſſime.

102.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Reduci facto ex Thermis Carolinis, in quibus ſolidas novem ſeptimanas ſum commoratus, redditæ fuere literæ Tuæ expectatiſſimæ, jam tertio Maji exaratæ, cum locupletiſſimo muſcorum, lichenum &c. munere, adjectis etiam humanitate pleniſſimis Cl. Gesneri literis, ſcriptis, Naturalibus. Gratiſſima, uti facili conjectura conſequeris, fuere omnia atque ſingula, pro quibus vero ideo me Tibi obſtrictiſſimum profiteor, quod ad commercium literarium cum doctiſſimo Gesnero inſtituendum viam mihi ſtraveris. Nihil nunc magis habeo in votis, quam ut occaſionem nanciſcar æs illud alienum, quo Tibi devinctus ſum, quantocyus expungendi, licet ferme vix videam, qua id ratione commode fieri queat. Quas præterito autumno a me flagitaſti plantas, eas vix unica excepta, collegi omnes, atque, quantumpote, nitide conſervavi, proxima quavis occaſione illas ad Te transmiſſurus. De tuo vero Prodromo & Opere botanico, quod mecum anxie expectant plurimi, qui meritis tuis juſtum ſtatuere pretium norunt, quid tandem fiet? Iterum Te amice moneo, ne ſpes inchoes longas,

id

id enim quo minus faciamus, vitæ brevitas vetat. Dabam Snebergæ Calendis ipſis Auguſti 1734.

103.

JOH. JAC. HUBER.

Mirabaris, Vir Celeberrime, quid eſſet, quod Tibi tam diu litteras mittere intermiſiſſem; nec alia fuit cauſa, niſi quod ſemper dubius hæſitaſſem, quid inciperem, vel quo me conferrem: hinc de rebus incertis ac indeterminatis ſæpius vel plura conſcribere Tibi, Vir Cel. nauſeoſum potius quam gratum fore æſtimavi; quod ideo diuturnum meum ſilentium in malam partem accipere nolis, enixe rogo: ſi nova vel alia quædam Tibi ſcribenda habuiſſem, ſane epiſtolarum intermiſſio non tam diu duraſſet. Jam Tibi, Vir Cel. ſtudiorum ac inſtitutorum meorum rationem reddam: Varia agitans conſilia, tandem ante aliquot hebdomadas in eo erat, ut iter Pariſinum poſteaque Batavum inirem, a quo me avocavit Celebr. Profeſſor König, qui, Rectoris munere atque onere ſuſcepto, Noſodochii noſtri curam mihi pro ſemianno obtulit, quam ſtatim amplexus ſum, nec cum exiguo uſu gero; ita ut nunc fere unice Praxi incumbam, quaſi primario meo ſtudio, elapſo tamen hoc brevi ſpatio iter Pariſinum vel Batavum certo exequar. Novi nil ſcio, niſi quod nuper infantem in Noſocomio mortuum in ædibus noſtris cultro anatomico ſubjeci, in quo miram circa ductus bilarios, cyſtidemque

demque felleam varietatem deprehendi; 1°. quoad veſiculam felleam, illa ſtatim duplex adparebat, una majore & ordinariæ magnitudinis, altera una tertia parte minore, quæ ſibi invicem ita annexæ erant, ut in unum collum abirent, duplicem tamen ſaccum conſtituentes, ex quo collo duo ductus diſtincti in ductum communem ſecedebant; 2°. Ductus hepaticus etiam duplex conſpiciebatur, ex utraque hepatis parte linea fere ad axin ſibi oppoſita concurrentes in communem, debito dein modo in duodenum ſe exonerantem; ut itaque ductus choledochus ſive communis (qui ordinario ex unico hepatico unicoque cyſtico conflatur) in hoc ſubjecto bilem a duobus ductibus cyſticis totidemque hepaticis acciperet, quod rarum, Tibique, Vir celeberrime, communicandum putavi. Vale & cura ut & familia tua valeat. Dabam Baſileæ D. 4. Sept. 1734.

104.

JOH. GESNERUS.

Præter morem ad humaniſſimas Tuas ſcribere prætermitto, & quamvis minime diffitear aliquam culpam in me cadere, ſæpiſſime tamen ab hoc officio tam grato negotia me vel invitum impedierunt. Nam & maximam æſtatis partem in Thermis agebam Badenſibus, in quibus præter diu obſervatas ibi plantas ne unicam novam offendi; dein plurimum temporis in mutandis ædibus conſumſi, quas nunc multo ampliores & com-

commodiores inhabito; eſt & ibi hortus ſatis amplus, ex quo plurima noſtra inſtituto Botanico ſervientia mihi promitto; in eo nunc ordinando aliquam operam pono. Etiam experimentis phyſicis & Chemicis locum accommodabo. Cæterum abſentia Excell. Scheuchzeri, cujus vices eo abſente in me cadunt, aliquam temporis partem abſtulit. Id vero ſcriptionis defectum aliquo modo apud me compenſavit, quod & ex humaniſſimis litteris tuis, & ore D. Fiſcheri atque Zellwegeri incolumitatem tuam & proſperos rerum ſucceſſus intellexerim. Quod nunc Anatomicis vaces audio, ex hoc plurimum emolumenti ad rem medicam jure omnes exſpectant, qui Te noſcunt & accurationem atque peritiam in hoc ſtudiorum genere. De noſtro Theatro anatomico nunc fere omnia ſilent, & ſi aliquando erigeretur ex Chirurgorum deſtinationibus contineretur & res ageretur tota. Fratri gratiſſimum erit Catalogum Numiſmato phylacii Bernenſis inſpicere, Tibi pro ſingulari humanitate plurimas gratias agit. Nummum, cujus feciſti mentionem in Banduri collectionibus invenit. Proximis diebus ſpecimen edet operis de Nummis Regum Macedoniæ. Sed video, quantum novæ operæ Tibi impoſitum ſit in cura Bibliothecæ publicæ, utinam hæc nihil ſtudiis medicis detrahat, imprimis vero botanicis & anatomicis. In ſchedis, quae apud vos die Veneris prodeunt, duæ occurrunt in laudes vitæ montanæ, quo authore? Tabulas tuas botanicas, de quibus non mediocria mihi promitto, aliquando inſpicerem lubentiſſi-

me,

me, nam ex iis, quæ ad methodum Boerhaavii concinnaſti, plurimum fructus cepi; optandum eſſet, ut hujusmodi typis pulchris exſcriberetur. Similem rem aliquando ſum aggreſſus, dum plantas herbarii mei ſecundum leges combinationis compoſui in ſpecimine primo Catalogi, quod ad Te miſi: reliquas eodem modo abſolvi. Plurima vero reſtitabant dubia de plantarum quarundam votis imperfectis; præcipue in marinarum genere. Et mihi ſemper viſum eſt, leges methodi per ſuas rationes adſtruendas eſſe, & juxta has per univerſam ſtirpium ſyntaxin procedendum, in qua concinnanda ex legibus combinationis ſupremæ claſſes emergerent, tales fere quales a Vaillantio aliisque, qui errores Raji & Tournefortii indicarent, exhibitæ ſunt. Multa cum D. Fiſchero, viro methodi gnaro, ſed in Botanicis inexercitato, ſuper hac re conferebam. Simleri Helvetici exemplum miſiſſem, niſi exiſtimaſſem id nimis ſero adventurum; nam abſentia ab urbe impediit, quo minus prompte hæc curarem: nomen Fueslini præ ſe fert, cum D. Bodmerus, qui conſcripſit opus, nollet ſimul author eſſe & editor. Mittam proxime, niſi eo ſis inſtructus. Vale a nobis omnibus plurimum ſalutatus; ignoſce quæſo intermiſſioni literarum: curabo, ut impoſterum tarditatem frequentiori ſcriptione compenſem. Vale. Tiguri 13. Octobr. MDCCXXXIV.

105.

105.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Botanicis hac æſtate tantum temporis ſacrare non potui, ac quidem optaſſem, bona tamen fortuna in quasdam aliud quaſi agens incidi hactenus hic ignotas, nempe in Empetrum Tournefortii, Ledum Rorismarini folio, Centunculum Dillenii & Graminifoliam Raji, quæ vobis dubio procul ſunt vulgatiſſimæ. Illas, quas præterita hieme a me efflagitaſti, proxima occaſione a me accipies. Propoſitum a Te Problema botanicum ſolutionem meretur, vix vero alio, quam a Te factum video, modo ſolvi poterit, & ſic utique Veronicarum quædam ſpecies, maxime illa Veronicæ Cymbalariæ vel hederæ folio, niſi fallor, a genere Veronicarum reſecari, & liliculoſis addi debebunt. Illud autem facere ubinam tentavit Rajus? Apud nos nunc frequentiores ſunt catarrhi, febres catarrhales, etiam malignioris indolis petechizantes cum purpureis etiam exanthematibus. Proſunt venæſectiones tempeſtive adminiſtratæ, magnus diluentium & nitroſorum etiam acidorum uſus, collutiones oris, clyſmi, veſicatoria, ſub finem alexipharmaca blandiora. Paroxyſmum hyſtericum ſternutatione ſublatum & ego pluries vidi, ita enim convulſione vehementiori minor interdum tollitur, & morbus novo morbo inducto plus vice ſimplici curatur. Oculos minaces, pruritum narium,

paucas

paucas ex naribus ſtillas, urinam tenuem & paucam phrenitidem indicare poſt Hippocratem me ante hos octo dies par ægrotorum docuere, rem licet ſæpius jam viſam. Splendidum ſcriptorum de re ruſtica opus, cui & illud Vegetii de Mulo-Medicina jungitur, curante Gesnero, proximis quatuor menſibus Lipſiæ prodibit. Tractatum tuum de Diaphragmate nuper curatius legenti dubia ſequentia fuere enata: *a)* cur Diaphragma non ea ſuperficie delineaveris, qua Thoracem ſpectat, quam a nemine niſi a Cowpero in Myotomia, & ex parte a Lanciſio Tab. IX. & XV. Fig. IV. delineatam novi? *b)* cur alam mediam portionis tendineæ diaphragmatis maximam deſcripſeris & delineaveris, cum dextra tantum non ſemper maxima reperiatur? vide Cowperum l. c. fere retices, de quibus id unum addo: mihi vas lymphaticum viſum fuiſſe a ſuperficie convexa lobi dextri hepatis veniens, pergens verſus ligamentum hepatis dextrum, quod lobum hepatis dextrum alæ diaphragmatis dextræ annectit, verſus diaphragma, unde ulterius cum parva vena ſocia iter proſequebatur verſus parvam glandulam, ex qua emergens tandem ductui Thoracico lympham advehebat. Qua ratione tam pleurra quam peritonæum diaphragma inveſtiant, ſiles. Id vero laxe fit in parte muſculoſa, arcte in tendinea, non ſine ratione ſufficienti. Quæ Tua de meis cogitatis mens ſit, fac ut ſciam. De cætero vale & me ama. Dabam Snebergæ d. 9. Novembr. 1734.

Porro

Porro & id addi potuiſſe puto : Tendineam iſtam portionem in cadaveribus ratione magnitudinis & figuræ mirifice variam eſſe, ut plurimum tamen folium tuſſilaginis referre. Foramen pro vena cava non ſatis diſtincte delineatum videtur. Foramen pro œſophago in parte ſuperna fibris carneis ex mea obſervatione cingitur *, Tu ibi tendineas exhibes. Cur vero adeo nihil fere dicis de rationibus, cur foramina iſta hanc, non vero aliam habeant ſtructuram, & cur aorta per interſtitium tendinum diaphragmatis eat? de qua re legi meretur Lanciſius in aureo de Corde libro. Diaphragma non abſolute ad reſpirationem requiri concedo, enim vero aves, ranas &c. ſine eo reſpirare videmus, e re ita fuiſſet rationes addere, cur quadrupeda & homo eo gaudeant, & cur tam ratione ſtructuræ, quam connexionis, cum pericardio, etiam in his ſit diverſum?

106.

JOH. GESNERUS.

Dus. Taylor & hic operationes & demonſtrationes de oculorum morbis exhibuit. & quamquam multa ſint & diverſa de eo homine judicia, non tamen poſſum eum hominem theoria optima & exercitatione artis præſtantiſſimum non laudare.

*) Hæc omnia pertinent ad iconem anno 1733. editam, a Cl. HUBERO delineatam. Ei in operum minorum collectione alia ſubſtituta eſt, ROLLINI penicillo expreſſa.

dare. Vidi cataractam deponere, ſumma facilitate ſine dolore, ſine dilaceratione ligamentorum ciliarium, quod ſe obtinere dicit ea directione acus, qua tantum capſulam, in qua lens cryſtallina hæret, aperit, eamque premendo deprimit; is vero homo viſum non recuperavit, multa obſtabant, imprimis vero operatio in eodem oculo jam olim inſtituta. In generoſo homine & valetudinario amauroſin frictionis ſpecie, quam imitando muſculos oculi & dein verſatili inſtrumento utendo adminiſtravit, ita ſanavit, ut distinguere valeat pleraque, etſi nondum diſtincte legat. In juvene corneam integre opacam ſecando vaſa, quæ corneam irrigabant, & ejus obſtructa loca ſanavit. Tiguro Solodurum profectus Baſileam repetiit, nec prius ſe diſceſſurum affirmat, quam de Geneventibus & Neocomenſibus ultus ſit. De Botanicis & Hiſtoria naturali nunc non ſine dolore ad Te ſcribo, propter obitum ſummi & unici in hoc genere Mæcenatis mei D. Eſcheri in Seidenhof, qui ante octiduum febri Eryſipelacea obiit ætatis 35. ſummo omnium bonorum mœrore; in eo homine eximia virtus & incomparabile de omnibus bene merendi ſtudium erat; indefeſſus in hiſtoriæ naturalis theſauris comparandis, in inſtruenda bibliotheca plurimos ſumtus impendebat meosque conatus omni ſtudio fovebat. Tiguri prid. Kalend. Nov. 1734.

107.

JOH. GESNERUS.

Exanthematica febri impeditus nec ad humaniſſimas Tuas reſpondere, nec quem hac ſeptimana ad Te miſi faſciculum licuit comitari. A Theatro veſtro anatomico nonniſi utiliſſima quæque exſpectanda ſunt. Noſtrum ubique languet, & Chirurgorum tempori ſerviendum erit, & demonſtratores nonniſi medici Chirurgorum cenſui adſcripti. Conſtituerunt ſibi ſingula ſeptimana duas exhibere demonſtrationes anatomico-chirurgicas cum Oſteologia initium facturi. Ego inſtitutionibus & demonſtrationibus domeſticis operam meam ſervo. Vale & me amare perge; raptim Tiguri 15. Decembr. 1734.

108.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Literas Tuas XIV. Octobris ad me exaratas ſaltem ante hos octo dies accepi. Synopſin veſtram ſtirpium helveticarum omnes boni & rei herbariæ ſtudioſi mecum videre optant, quapropter iterum iterumque rogo, ne in ea jam ſatis polita, diutius lambenda & perpolienda, nimium temporis teratis. Incidi nuper in Manuſcriptum, cui titulus eſt: *Joannis Muralti Paradiſus Helvetiæ*, an

proſtet iſte liber cum ignariſſimis ſcio, id vero ut me edoceas rogo *a*). Relationem tuam de Ophthalmico Taylori nondum vidi, hinc gratiſſima fuere, quæ literis tuis mandaſti. Modus cataractam removendi inciſa ſaltem, non vero remota cryſtallini capſula, ipſi communis videtur cum Doctore Petit, quem non ſolum in Hiſtoria A. R. S. ſed & in peculiari Epiſtola ante quinque annos cum orbe erudito communicatum voluit. Venæ ſectio corneæ pariter ac ſcarificatio ejus Ophthalmicis Pariſienſibus jam a pluribus annis familiaris eſt, licet ratione inſtrumentorum & modi non bene inter ſe conveniant. Quem vero in finem lentem cryſtallinam per anteriora eximit? num ut deformitati medeatur. Huic vero depreſſio lentis ſufficere videtur. Vulnus corneæ num ita ſanat, ut major difformitas evitetur, neque viſus lædatur, & quibus auxiliis? Apertura coalitæ pupillæ cui bono inſervit? cum ea præſente utplurimum tota oculi œconomia peſſumdata ſit. Ego nuper ſic ſatis felix fui in ſanando vulnere corneæ totius, & quidem e diametro pupillæ, cum totius albugineæ chemoſi facto, ſine ulla cicatrice viſusque vitio, quod vel ideo mirum, cum vulnus lapillo licet tantiſper acuto, contundente tamen inflictum eſſet, atque homo antea pluries vehementiſſimis ophthalmiis cephalalgiisque eſſet tentatus. Hic vero operam ſuam locarunt venarum ſectiones repetitæ, alvum blande laxantia, ſubducentia, pediluvia, largus nitroſorum uſus, balnea oculorum

a) Proſtat

rum in decoctis leniſſime reſolventibus, emollientibus, balſamum ex ſucco Symphyti, oleo ovorum & momento balſami de Mecca, tandem ad poliendam cicatricem alcohol ſacchari, gummi arabici & ſuccini, diæta tenuis e vegetabilium regno, abſtinentia a luce plenaria. A refrigerantibus tantum non ſemper noxiis in his morbis, & deformem præterea cicatricem creantibus, nec non a ligatura ſæpe cataractarum cauſa omnino abſtinui. Veſter vero ophthalmicus quid hic fecerit? Num etiam ſetaceo ophthalmico utitur Wolhouſio, & qui de ejus ſunt hæreſi familiari? Dabam Snebergæ pridie Calend. Januarii MDCCXXXIV.

109.

EMANUEL KOENIG.

Morbos quod attinet Epidemicos, non quidem Baſileæ (nam ſancte obteſtor nulli ſunt, qui peculiarem attentionem mereantur) graſſantes, de ea re Præſides Collegii ſanitatis quod vocant, quasdam enarrationes Profeſſoribus Medicinæ penſitandas communicarunt, quas ex Alſatia, & Spira urbe acceperant. Ex iis nobis conſtitit, in Alſatiæ iis locis præſertim, ubi milites in hybernis locati ſunt, purpuram albam partim, partim febres dictas malignas petechizantes, cum variis ſymptomatibus ſtipatas, regnare; inter quas Purpura ferox ſævit, reliquæ febres non item, nam quinque aut ſex reconvaleſcentes in una domo habitantes offendit, non militum, ſed civium,

qui hac de cauſa exploratorem nuper egit ex juſſu Magiſtratus Med. Cand. Spörlinus, Colmaria urbs vero ex frequenti his morbis correptorum clade famoſa eſt; de morbis Argentinam affligentibus dici poteſt veriſſime, quod eorum fama creſcat eundo; noſtrates mercatores certe nundinas circa vertentis anni initia inviſentes, incolumes redierunt omnes. At Spiræ triſte ludit drama Morbona, is morbus homines a 20. ad 40. annum, reliquis fere intactis, præſertim vero milites, febre maligna cum & ſine petechiis rapit; hisque ſæpe oriuntur parotides, quæ ſi ſuppurantur, in ſalvo res eſt, ſi ſecus, necant, hæmorrhagiæ item ſymptomaticæ cum inſigni inflatione faciei, quæ lethales: alii abſceſſibus ad inguina, axillas, ſed criticis 11. 14. die, a morbo liberantur; id quod falſum rumorem peperit, quaſi morbus ille eſſet vere peſtilentialis. Collegium noſtrum medicum ex ea omni, quam ſuper hac re potuit, conquirere morbi hiſtoria, ad magiſtratum ſequentia detulit concluſa. Commercium inter homines non eſſe abrumpendum, detritas & laceras lacinias ex lana & lino, pro contectione papiri in urbem non recipiendas. Non eum eſſe gradum contagii, quod ſubtilitate ſua ad inficiendum tam promptum ſit, ut a ſani hominis veſtimentis ad alium locum transferri poſſit: ægros ex Alſatia adventantes ſedulo examinandos &c. &c. Dabam Baſil. d. 4. Febr. 1735.

P. S. Hac hora rumor increbeſcit denuo exaſperari morbos Argentoratenſium.

110.

II©.

JOH. GESNERUS.

Attulit amicus Monti prodromum plantarum agri Bononienſis, non inelegans ſcriptum, præcipue in graminibus, quod tamen accuratione Scheuchzeriano cedit. Me autem vernum tempus ad plantarum ſtudium revocabit; in diſponendis plantis non multum a tua diſcedit mea methodus, neque ego capſulas ſeminales uniſiliquarum & monangiarum atque diangiarum nonnullarum a ſiliquis diverſas habeo. Circa generum determinationem mihi ſemper hæret aqua, cum incerti ſint limites, ab Authoribus hactenus definiti. Pergratum erit tuas inſpicere Tabulas botanicas. Ero autem proxime plenior in reſpondendo ſuper Botanicis, nunc anatomicis diſſectionibus & negotiis diſtentus. Vale & me amare perge. Raptiſſime, Tiguri 9. Febr. 1735.

III.

JOH. GESNERUS.

Etſi frequenter ad Te ſcribere cogitabam, etiam ſæpenumero calamum arripiens ab inſtituto impeditus, demum reſpondeo ad binas humaniſſimas Tuas, quarum ultima, quæ Tua eſt humanitas, reſponſionem meam antevertiſti, & in qua non niſi gratiſſima mihi nuncias, cum de auſpicatiſſi-

mis demonſtrationum anatomicarum primordiis; tum de felici ſucceſſu rerum botanicarum, & ampla ſpe perficiendi intra definitum tempus plantarum ſynopſin; quorum utrumque utrum Tibi glorioſius an mihi gratius exiſtere poſſit, multum dubito. Quæ enim vel in initiis diſſectionum utiliſſima pro arte medica adſtruxeris, neminem latere poſſunt, qui horum momenta perpenderit. Quantum vero incrementis ſtudii botanici delector, Tibi non poterit ignotum eſſe, cui conſtat, quantum in hoc ſtudio ſemper oblectamentum poſuerim. Id doleo, tam parum mihi temporis ſupereſſe, ut per hebdomadam vix paucæ horæ mihi meisque ſtudiis relinquantur. Conabor tamen, quantum in me eſt, temporis non exiguam partem huic ſtudio deſtinare. Mihi tempus Feriarum liberum conceditur, quod totum huic ſtudio devovi. Iter per ea loca inſtituam, quæ Tibi omnium commodiſſima & idonea inſtituto noſtro videbuntur; utinam brevi hoc tempus adſit, quo Tecum de his ſingulis coram diſſeram. Quæ de methodo cogitem, alias ad Te ſcripſi, quædam cum rationibus adſtruxi. Multa quidem immutabo ex tuo conſilio, maxime ubi plantarum recentium examen inſtituere licebit. Pictor, qui plantas recentes rariores cum notis characteriſticis pingendis in ſe vult ſuſcipere, pro hiſtoria naturali avium helveticarum quosdam iconiſmos mihi paravit, non ineptos. Digitalem purpuream cum aliis rariſſimis plantis alpinis memini a ſtudioſis Baſilienſibus ex agro Mülhuſino allatam fuiſſe, dum Baſileæ commorabar; optarem

rem & hic habere plantarum obſervatorem; ſed nimis ubique rari ſunt. Vale & excuſa quæſo ſilentium meum. Iterum vale & me ut ſolet ama. Raptim Tiguri 20. Mart. 1735.

112.

JOH. GESNERUS.

Impeditus acceſſu lumbaginis rheumaticæ, quæ etiam dum me aliquantum tenet, ad humaniſſimas Tuas reſponſionem diſtuli, in eis muneris in Te collati mentionem cum voluptate intellexi, atque majori quod ſpes ſit obtinendæ Profeſſionis phyſicæ vel medicæ, quod me ſperare jubet & eruditio tua & exiſtimatio, quam etiam ex praxi medica, quam Magnatibus adminiſtras, colligo. Ex praxi etſi impedimenta metuam rei botanicæ, Tibi tamen plurima utilia prævideo, multa etiam bona in rem medicam, ſi praxeos exercitio Vir vacet, ea accuratione & acumine eam exercens, quam rebus tuis adhibes. Plantas, quas numero & raritate exiguas ad Te mittere mihi licuit, non ingratas fuiſſe, humanitatis tuæ mihi plenum eſt indicium, reliquas mittam cum panno, ſi ex transmiſſis arrideat quidam, in iis adjectum filum notat panni latitudinem. Agglutinatæ plantæ, quibus cœruleum folium ſubjicitur, omnes ſunt Ehrhardianæ, & forte in iis magis integræ, quas transmiſi, quam in cæteris; chartæ enim parvitas majoribus plantis minime ſufficit. Permul-

tas raras collegi inde nusquam visas, dum puer anno 1726. per hæc loca iter facerem. Differentiam inter Filicem & Filiculam nullam habeo, quæ ex magnitudine petitur, nulla est; quæ ex magnitudine & foliorum divisione simul, & quæ ex his solis filicibus exoticis tota subruitur: an & vasculorum posita quædam determinatio restet ignoro, nam, ut fatear, inspectioni plantarum per longum tempus, quam decet, accurationem adhibere minime potui, tum ob negotia, tum valetudinem non satis firmam, quæ temporibus pluviosis & humidis excursiones in agrum mihi prorsus interdixit. Discipulorum etiam pro studio botanico nec is ardor, qui eos in re herbaria peritos efficeret, & idoneos ad adferendas mihi plantas. Tiguri, 13. Maji 1735.

113.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Mittam ego, quamprimum per tempus & occasionem licebit, plantas desideratas, Graminifoliam, Centunculum Dillenii, rariores quidem apud nos, Empetrum flore nigro, Ledum Rorismarini folio perquam vulgare.

Venio nunc ad literas tuas, quas octavo Januarii & 13. Februarii ad me scripsisti, nonnisi ab aliquot septimanis mihi traditas, ad quas ob temporis angustias paucis respondeo.

Igitur

Igitur quod ad dubia a me mota attinet, illis nunc ſatisfactum fateor. Alam tamen diaphragmatis mediam vel nuperrime in homine morte repentina extincto maximam, dextram majorem ſiniſtra, ſiniſtram omnium minimam reperi. Ita vero natura in his rebus ludit, vel ſi cum Poëta loqui licet, jocatur. Obſervationes illæ botanicæ, quas mecum communicatas voluiſti, omne apud me punctum tulere, nihilque magis opto, quam ut Synopſis veſtra Helvetica quantocyus prodeat. Ita vero quælibet hactenus notarum methodorum ſuis laborat nævis. Methodus Riviniana vitio diviſionis nimiæ, dum e. gr. Gerania, plantas bulboſas, aſperifolias merito conjungendas ſeparant, Rajana vero compoſitionis nimiæ ſemper mihi viſa eſt laborare, qua in re, quod Te mecum ſentientem habeam, in ſinu gaudeo.

Variolæ apud nos nunc graſſantur, ſed admodum benignæ, methodo ſi placida tractentur, cæteri morbi nulli. Clyſteres in paroxyſmo hyſterico noxios eſſe, poſt Sydenhamium decies mihi lectum non minus obſervavi. Caſcarilla, Millefolio, Caſtoreo & Galbano cum fructu uſus ſum ad debellandum morbum, ita ut raro opus fuerit opium, quod neutiquam cum Stahlio pro impoſtore habeo, in auxilium vocare. Pace tua dixero, Te Stahlianis injuriam inferre ſcribendo, iſtos aloëticis & purgantibus hic pugnare ſolere. Nulla forſan hæreſis medica eſt, quæ magis ab uſu dictorum remediorum abhorret, quam Stahliana, omnem ſpem collocans in Millefolium,

Nitrum

Nitrum & Cinnabarim. Ajes forſan: atqui ubique Pilulas ſuas crepant! Reſpondeo, in paroxyſmo illis nunquam iſtos uti, & Pilulas iſtas vix vigeſimam partem extracti aloëtici gummoſi continere, conflatas maximam partem ex extractis amaris & variis gummatibus. Quod avara nimis manu Nitrum ægrotis propinent, facile largior, qua in re uti in plerisque aliis ab iſtis ſum alieniſſimus, qui ſæpe ad drachmas tres illud ægrotis febre acuta laborantibus intra 24. horas dedi. Motus non animæ, ſed naturæ ſane intellectæ ſollicite obſervandos eſſe, poſt Boerhaavium in Oratione de Honore Medici ſervitute omnes genuini artis Filii fatebuntur. Semper vero aliquid explicandum, iſto pariter fatente, reſtat, quod mechanice explicari non poteſt. Cinnabari pro tingendis pulveribus utor, cui nullam niſi anthelminticam vim tribuo, quæ vix ingredi vaſa videtur: infantibus ab aniculis in pulvere Michaëlis ſexcenties propinata per anum erumpit, quod fæces inſpectæ docent: id vero plane, ut credam, experimenta varia in brutis inſtituta fidem mihi faciunt. Peſte & nonnullis epidemicis exceptis, Venæſectionem, Nitrum & aquam in omnibus acutis proficua eſſe concedo. Verus ſcorbutus, fabula Plebis & Medicaſtrorum, apud nos exulat penitus, qui aëre ſereno, montano, effluviis balſamicis Pinaſtri, Abietum &c. fœto, aqua pura curſu exercitata fruimur, morbosque labore frangimus. Neque, quod mirum! intermittentes unquam apud nos endemiæ vel epidemicæ viſæ ſunt. Verum vale & mihi fave! XII. Calend. Junii MDCCXXXV.

114.

114.

JOH. GESNERUS.

Vide quam varia Itineris noſtri ſors ſit. Sextam hebdomadem lecto decumbo, febri ex purpura in rheumatismum continuata, ſuperveniente Hepatitide vera inflammatoria, cujus etiam veſtigia in fœda faciei flavedine ſuperſunt; nunc mihi qui Te ſummo deſiderio Tiguri expectavi, Iter ad Te videtur ſanitatis gratia ſuſcipiendum. Nam languori viſcerum abdominalium horumque infarctui non incongruæ videntur Leucenſes Thermæ, quas proxima hebdomade adire animus eſt, niſi id vetet tempeſtas adverſa, aut morbi in deterius (quod Deus avertat) mutatio. Per Lucernam, montem Brunig, Gemmiumque iter faciam, in reditu Te Bernæ viſurus, tuoque ſuaviſſimo mihique utiliſſimo alloquio conſortioque fruiturus; quod ſane ad firmandam valetudinem omnium optimum mihi habetur. Forte id tempus Tibi num tot graviſſimis negotiis occupato commodius erit mecum adeundi Tigurum. Tiguri d. 27. Junii 1735.

115.

JOH. GESNERUS.

Cogitanti mihi ex Thermis Leucenſibus redire in patriam, nihil mihi prius fuit, quam id tempus ſeligere, quo Te Bernæ poſſem commode

de convenire. Societati Tigurinæ, quæ mecum 9. Jul. in Thermis Leucenſibus appulit, diſceſſus dies 2. Auguſti conſtitutus eſt, & in eis proxima via quidam patriam repetent, mihi per Bernam iter inſtituere animus eſt, ut ſuaviſſima illa fruar voluptate, qua Tecum unum vel alterum diem poſſim tranſigere. Sin vero circa hoc tempus negotia quædam Te ab urbe abeſſe juberent, proxima via redirem in patriam; quamobrem hiſce humaniſſime Te rogatum cupio, ut quamprimum Tibi licebit me certiorem facias, utrum eo tempore Bernæ ſis commoraturus nec ne, ut eis, quæ huic vel illi itineri faciundo neceſſaria ſunt, cito poſſim proſpicere. Thermis utor externe atque interne, in reconvaleſcentiæ ſtatu jam conſtitutus; ſingulares effectus earum nondum in me expertus ſum: forte uſus continuatus plura manifeſtabit. Cæterum in otio & luxu vitam hic tranſigere jubent & locus & ſocietas; animus eſt experimenta capere circa Thermarum naturam; Botanica tracto, quantum tempus & vires corporis permittunt. In Gemmio elegantem Anonidem flore magno rubro ſpecioſo, latis ſerratis foliis inveni, nuſquam antea viſam *. De his vero & pluribus aliis proxime Tecum coram me acturum confido. Vale & pro tuo in me amore fac ut citò reſponſionem obtineam. Iterum vale. Ex Thermis Leucenſibus ocyſſime 16. Jul. 1735.

116.

* Anonis 357. Stirp. Helvetic.

116.

JOH. GESNERUS.

Revertenti mihi Tigurum recordatio Tuæ amicitiæ, humanitatis magnitudinisque beneficiorum a Te & honoratiſſima Conjuge in me collatorum ſuaviſſimum & perpetuum fuit oblectamentum. Ea ſane tanta fuerunt tamque multiplicia, ut me iis rependendis nunquam parem fore prævideam, etſi grato animo non ſim defuturus. Literas accepi a D. de Juſſieu, quibus pro Sereniſſ. Gallico Principe quædam ex Muſeo Diluviano per me coemi poſcit. Tiguri 16. Auguſti 1735.

117.

CH. FRID. HÆNEL.

Mediam veris, mediamve æſtatis partem in Thermis Carolinis tranſegi. Inde vero factum eſt, ut neque ad literas tuas d. 24. Maji primoque Junii ſcriptas reſponderim, nec pro miſſis muneribus decentes Tibi perſolverim gratias. Utrumque condonabis homini negotiis mirum quantum diſtricto, de cujus grato animo alias Tibi jam ſatis conſtare puto. Interim candide teſtor, gratiſſima mihi fuiſſe omnia iſta, quibus me mactatum voluiſti, cumque me in tuo ære eſſe norim, omnes nervos eo intendam, ut æs illud alienum quantocyus expungam. Magnoli characteres, de

quorum

quorum exiſtentia Tu cum Fiſcherō Regiomontano dubitaſti, nuper ab Hebenſtreitio commodatos accepi, quos Filius anno 1720. Monſpelii in 4to. edidit. Parum bonæ frugis in illis reperi, qui tamen magno venduntur pretio & difficillime comparantur, cum Filius ſero nimis ſentiens, quam immaturum minusque politum in lucem protruſerit fœtum, magnam eorum partem ipſe coemerit, atque ad æternas tenebras damnaverit. Munera iſta, quibus Illuſtris Respublica Te, quo digniorem orbis non vidit, præfecit, quam diutiſſime ſalvus & incolumis ornes, ex ipſa animi mente precor, non vane auguratus, fructus uberrimos & in rem literariam, & medicam, maxime vero anatomicam redundaturos eſſe. Geſtit animus Tabulas tuas angiologicas, nec non illas, quas publica auctoritate prodituras eſſe ſcribis, videre, amice tamen monere liceat, ſis quoque memor hiſtoriæ ductuum ſalivalium, necnon Synopſeos ſtirpium Helveticarum. Scribis in literis tuis: reperta fuit in corde (fœtus bicipitis) una auris, unde confirmatur Winsloi ſententia. Eſtne vero illa, quod in fœtu uterque ventriculus ſanguinem accipiat, uterque propellat? quam ſententiam pridem fovit Caſparus Bartholinus Thomæ filius, in ſpecimine adminiſtrationum anatomicarum pag. 28. addens rationem: quod via admodum ſit longa. Thermas Fabarienſes aquam eſſe puriſſimam, absque minerarum contagio ſponte calentem ais, quam opinionem Hoffmannus Halenſis etiam de Tœplicenſibus Thermis tuetur: optarim ego tamen

ſcire,

ſcire, unde calor oriatur? Certe Tœplicenſes calidæ adhuc puriſſimæ leviſſimæque apparent, pro ratione vero gradus amiſſi caloris graviores evadunt, neque a conſortio pyritæ liberæ ſunt, quem calorem creare hactenus perſuaſus fui. Cum in terris noſtris fere nemo unus reperiatur, qui oculorum morbis manú mederi vel ſciat, vel velit, ego neceſſitate quaſi coactus illud oneris in me ſuſcepi, cumque famoſus Taylor per totum orbem multis novis hypotheſibus & operationibus clarus ebuccinatus fuerit; a Te iterum iterumque peto eam a me ineas gratiam, atque quamprimum per negotia licuerit, paulo prolixius mecum communices, quæ de ipſo Tibi innotuerunt. Inſtrumenta e. gr. acum bicrurem, ſcarificatorium argenteum &c. quæ ipſi familiaria fuerunt, ubi addere poſſes, inſigni me Tibi beneficio obſtrictum habiturus eſſem. Snebergæ pridie Calend. Septembr. MDCCXXXV.

118.

JOH. GESNERUS.

Venæ ſectio, quam cavendorum a plethora morborum cauſa inſtitui, & labores academici, proprii & alieni, ut & practici a ſcribendo me hucusque detinuerunt; ego vero humanitate tua & officiorum in me multitudine a Te perpetuo vincor. Ex gratiſſimis tuis de reſtituta valetudine Nob. Steigeri Filiæ *a*) lubentiſſime intellexi;

a) Graviſſimis variolis laborantis, de qua in *Opuſc. pathol.* agitur.

tellexi, de qua & Tibi & honoratiſſimo Parenti gratulor. Equidem Tecum Sloaniano operi, quod nonniſi exotica continet, herbarium Scheuchzerianum præferrem, de quo ut ad Te certius referrem, hæredes Cel. Scheuchzeri adii, & de pretio atque ipſa operis ratione diligentius inquiſivi. Pretium ſtatuunt 50. Thalerorum, & quamvis de eo difficulter ſe receſſuros affirmaverint, intellexi tamen eos collectionem hanc herbariam lubentiſſime fore vendituros; continet ea circiter herbarum ſpecimina 3000. non male ſervata, ſingula folio chartæ imperialis candidæ denſæque adglutinata, & capſulis ligneis XVI. (quæ Tibi nulli uſui erunt futuræ) aſſervata; Plantæ omnes ordine alphabetico ſecundum indicem ſunt diſpoſitæ, & in iis præferrem, quæ ipſi a Petiverio, Sloanio, Michelio, Sherardo ſunt communicatæ atque a fratre ſuo collectæ; Helveticæ bene multæ occurrunt optime conſervatæ, vel ab ipſo collectæ, vel hinc inde ab amicis aut diſcipulis ipſi communicatæ, ex quibus ſaltem cognoſcere licet, quantum in his profecerit, cum non ſynonyma in catalogo addita ſint. Muſcos & Lichenes paucos habet, eosdem etiam diverſa facie & ætate prodeuntes diverſis & ſpuriis nominibus notatos; ſunt quidem nonnulli ſibi ſoli obſervati. Tua vero in his collectio hanc longiſſime ſuperat. Circa gramina monendum, ea conſimili ratione ſervata fuiſſe ad 500. usque, ubi ſua & Fratris conjunxit; jam univerſam hanc collectionem repetit Cl. Frater, nec recuſant hæredes; & tantum ſuperfluæ circiter 250. exque demum

demum chartæ adfigendæ reſtant. In univerſa hac collectione, ut conjicio, vix 200. obtinebis plantas helveticas, quas non jam ſerves vel facili opera poſſis legere, ut publicæ Bibliothecæ magis quam Tibi ſervire mihi videntur, cum exoticas non ames. Nollem tamen id extra Helvetiam diſtribui, antequam cum mea collectione contuliſſem. Si vero arrident, quodcunque pretium offer, & me in curandis negotiis tuis nequaquam negligentem deprehendes. Illud obtulerunt D. de Juſſieu nuper a me petente pretium & deſcriptionem Muſei Scheuchzeriani, quod Celſiſſ. Dux Aurelianenſis coemere in animo habeat; univerſam collectionem Mineralium, Petrefactorum, marinorum vegetabilium pro 3000. florenis obtulerunt; nullum vero hactenus reſponſum. Millefolium & Filiculam, de quibus ſcribis, nuſquam vidi, verum Algam illam, quam ſemper pro Alga in tabulis aquam fontanam ducentibus habui; ligneo eſt caule & copioſis ſemipellucidis fuſcis & fragilibus ramoſis in comam congeſtis ramulis. Confervam manſu arenoſam non aliam habeo, niſi Lutetianam Vaill. T. IV. f. 5. depictam atque paluſtrem bombycinam. Subito a plantis me revocarunt negotia. Capillarium diſtributio perplacet. Equiſetum his perpetuo adjunxi, quod pulvis ſeminalis viridis, qui in capſulis flores apetalos referentibus ſervatur, cum pulvere apetalorum ita conveniat, ut organa genitalia diſtincta exhibeat; hinc poſtOsmundam collocavi. Tithymalum apetalis junxi. Difficile vero ſemper erit determinare, a quanam

parte diviſionum norma ſit ſumenda floribus, an capſulis. Secundum capſulas diſtribuo plantas monopetalas, deinde polypetalas, ita ut diviſio præcedat in flores monopetalos & polypetalos. Arbores intermiſceo, cum multa ſint genera, quæ arboreſcunt & ſimul herbacea ſunt; ut Malvæ quædam, Goſſypia &c. & indicæ plantæ pleræque in hoc dubiæ; & cum in omni methodo, ubi multa concurrunt determinantia, exceptiones neceſſario formandæ ſint, & poſſibiles combinationes non prodeant, malo eam methodum eligere, quæ in plantis hactenus cognitis quam pauciſſimas exceptiones habet, deinde ſubjungere Tabulas, in quibus plantæ ſecundum flores, capſulas, & habitum ſunt diſtributæ. Hommelius humaniſſime me hic conveniebat, nec non D. Chriſtianus cum filio inſtitutiones medicas apud me audituro, ſed hoſpitium non invenit; optimus homo videtur. Ejus parens multa de liquore ſuo Alcaheſt referebat, excerpta nulla vidi, cum eo adii Graviſſ. Nobiliſſimumque D. Anchiœconomum Blaarerum, qui de Te multos ſermones miſcebat & ipſi coram teſtatus eſt, quanti Te tuaque ſcripta faceret. Vale cum Tuis, & me amare perge. Tiguri 12. Sept. 1735.

119.

JOH. GESNERUS.

Binas eruditiſſimas epiſtolas tuas ſumma cum voluptate legi atque dubitavi, utrum in iis ſtupendum obſervationum botanicarum numerum,

an

an accurationem an judicium ingeniumque determinandi claſſibus generibusque adhibitum magis admirarer. Ego ſane nil habeo quod addam, aut mutem, ut qui longe impari ſucceſſu eandem rem tentare poſſem, maxime poſtquam ab aliquo tempore ab hoc ſtudio remotus ſum. Mihi vero ſemper gratulabor, tua in his perſpicacitate dirigi me poſſe. Ex plantis, quibus deſtitutum Te ſcribis, vix ullam invenio in Herbario, qua carere nunc poſſim; operam vero dabo, ut quæ circa Tigurum leguntur, comparare non prætermittam; reliquas in itinere Tecum collecturos nos eſſe confido. Spero enim, quando otio meo ero reſtitutus, uberiorem epiſtolam botanicam ad Te mittere, quæ jam ſterilis ad Te accedit. Sedimentum Fontis Leucenſis IV. ex fonte eſt, quem Cupreum vocant *das Kupferwaſſer*, quod ejus potus efficacior ſit, & vomitum ſæpe vel alvi fluxum copioſiorem producat. Eſt ad dextram, ubi ſcaturiginem *gülle* dictam accedis: cujus tres diſtinctos fontes eſſe non ignoras, ſiniſterior, quæ parum uſibus adhibetur; media frequentiſſimi uſus *gülle* proprie dicta, & dexterior, quæ *fons cupreus*, de quo quæris. Alia non experimenta inſtitui, ea tamen, quibus ob inſtrumentorum & apparatus penuriam eam fidem habere non poſſum, ut publicæ luci exponerem: Tuis vero ſi comparabis, forte pleniorem uſum inde elicies, quare ea ad Te ſcribere non dubito. Solutio Gallarum affuſa rutilantem ex obſcuro colorem conciliat I. omnium maxime III. qui ad nigredinem accedit, dein ordine decreſcente II. V. I. IV. Sal Tartari

colorem turbidum lacteum producit, & ponit ſedimentum, id quidem copioſius in IV. dein in II. I. V. III atque in IV. granula quædam rubra conſpicua fiunt. Poſt affuſionem ſolutionis mercurii ſublimati facta dilutio ſpiritus vitrioli nullam ſenſibilem produxit mutationem. Syrupus violarum ab omnibus dilutus fuit colore immutato. Fons Apollineus in V. ſit eſt idem cum *Heilbad*, ſi ex prioribus *Goldbrünnly* neque non bene rem memini. A tuis obſervationibus longe meliora exſpecto. De nato filio Tibi cariſſimæque conjugi tuæ animitus gratulor. Miror in operibus Plucknerianis vilitatem pretii, opportune ſane ex auctione comparantur. Ulma per D. Bartholomæum Librar. Memmingenſes plantas accerſebam, mittebat verum D. Erhard humaniſſimam epiſtolam, ex qua Herbarii auctor conjicit, tuam amicitiam ſibi imprimis utilem futuram. In plurimis enim emendatione egent ejus nomenclaturæ plantarum. Tiguri raptim d. 14. Decembris 1735.

120.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Peculiaris eſt methodus, qua in variolis uſus es, cum ratione tamen ſi quæ alia quam pulcherrime conſpirans, quam proxima quavis occaſione tentabo Sæpe riſi Junckerum, qui in Tabulis ſuis uſu acidorum interdicit, cum ea in alcaleſcentia, ſeu uti loqui amat, putrefactione, humorum

morum ad cœlum usque extollat, maxime vero acidum citri ubique crepet, quasi vero hic non summa adesset alcalescentia? Mihi in febre secundaria laxantia mannata in frequenti sunt usu, quæ sane egregiam sæpiuscule mihi locarunt operam, facile vero inducor ad credendum, non minoris usus tamarindinata esse, quorum virtutem non omittam explorare curatius. Apud nos toto hoc autumno undiquaque grassata est febris cum exanthematibus purpureis certissime apparituris, quidquid etiam vel in methodo, vel regimine & diæta tentares, sed certissime de petechialium vel petechizantium indole. Omnes atque singulos invasit cum dolore lateris punctorio eoque acutissimo, quem tamen nunquam sputum cruentum secutum est, ariditate faucium, quæ nisi crebrioribus collutionibus emollientibus nitratis obviam iretur, mox in pessimam anginæ siccæ speciem degenerabat, Agrypnia cum subsequente delirio. Pulsus interim erat debilissimus, licet celer & frequens, calor externus fere nullus. Plerique judicati fuere largissimo die critico erumpente sudore, nonnulli profusa diarrhœa. Absorbentia, nitrata, acida, etiam papaveracea, largissimus diluentium usus &c. usum præsentem exhibuerunt. Venæ sectio interdum proficua, ut plurimum noxia fuit deprehensa, quod sancte testari possum. Præfiscine dixero, me primum verum hujus morbi genium detexisse, & collegis meis indicasse, qui etiam omnes meam methodum sunt imitati. Ex plurimis sic servati fuerunt omnino plures, quique occubuere, de-

crepiti, viſceribus male affecti, vel miſeram vitam viventes fuerunt. Vale & a me plurimum ſalve! Dabam Snebergæ MDCCXXXVI. Nonis Januarii.

121.

JOH. GESNERUS.

Otiduum eſt, quando humaniſſimæ Tuæ ab Ornatiſſ. Dom. Spörio mihi redditæ ſunt, in quibus omnia mihi gratiſſima fuerunt præter id unicum, quod Tibi animus ſit oblatis a Gottingenſibus conditionibus cedere, & Patriam nosque Tuique amantiſſimos ad aliquod tempus a Te ſemovere; equidem credo patronos amicosque tuos, quos Bernæ habes, id ægre permiſſuros; & niſi id ſolum ſpectes, quod in Academia Gottingenſi pluribus uſui eſſe poſſis, nullas rationes video, quæ ad hoc conſilium Te permovere poſſint. Illud vero aliquam ſolatii ſpem mihi affert, quod ſcribis Te adhuc & nos inviſurum, & mecum iter alpinum inſtituturum eſſe, quod ſane ex iis rebus, quas ſemper ſumma cupiditate animi quæſivi; utinam noſtræ alpes & plantæ helveticæ, quæ Te deficiente forſan integre laterent, ab inſtituto Te deflecterent. Ego hoc tempore occupatus ſum in ordinanda muſica in mathematicum ordinem, & pervideo concordantiarum rationes & ſucceſſiones, nec non melodias veris niti demonſtrationibus mathematicis, ad pauciſſima principia reducendis; & quæ ſimul fundamentum

tum præbent non tantum Muſicæ, ſed rerum aliarum pulchritudinem æſtimandi. Illuſtris Marchio de Bonac, cui Solodorenſes, qui mecum Thermis Valeſiacis uſi ſunt, retulerunt me cum dictis aquis experimenta inſtituiſſe, a me petere juſſit horum recenſionem & deſcriptionem virium in his aquis, ut cognoſcat, utrum tuto ſibi eis proxima æſtate uti liceret: verum deſtituor obſervationibus, cum omnes ſe referant ad ſchedulas illas capſulæ, quam Bernæ Tibi donavi, incluſas. Rogo itaque, cum reſponſum urgeant, ut eam ad me mittas. Quod ſi vero tua deſcriptio, quæ tuis potiſſimum obſervationibus nititur, mitti poſſet, longe plenius voluntati Ill. Viri ſatisfaret. Vale & me amare perge. Tiguri ult. Februarii 1736.

122.

HERMANNUS BOERHAAVE.

Lætus accepi, quæ ad me dediſti: quia certum me reddunt, meritis Tuis reſpondere meliorem fortunam, hanc Tibi lautiorem faxit Deus! Nec dubito, quin cætera ex votis ſucceſſura: quum jam dotes tuæ per ſucceſſus innotuerint, ingenium, induſtria, ſapientia, & rara virtus. De honorario, quæ commemoras, quodque per cambium perſolvendum curaviſti, nihil quidquam cogitavi Optima nomina ſunt, quæ non compellata, liberant ſe. Mihi nimium Deus tribuit. Hiſtoriam mali expendi; atque inde, quæ colle-

gi, hæc habeto, quæ liberrime familiaris medicus ipſe emendabis, peregrino ſane longe ad talia aptior. Vale! Leydæ 17 $\frac{15}{3}$ 36.

123.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Ego hac hieme in Chemicis, maxime metallurgicis me exercui, cæteroquin artem faciendo tempus cum ingratis trivi. Forſan proximo autumno aliquid nugarum mearum in lucem prodibit. Diſſertatio de morbis ſcroti alio plane habitu induta, Tractatus de Herniis, quas Medici veras vocant, aliquot Decades obſervationum medicarum, quæ amicorum preces extorquent. Vale & quod facis me amare perge. Dabam Snebergæ VII. Calend. Aprilis MDCCXXXVI.

124.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Occaſione Ophthalmici veſtri Taylor & id moneo etiam Wolhouſio acum in duo crura ſecedentem jam a longo tempore in uſu fuiſſe, ubi nempe lens cryſtallina uveæ adhæſerit, veſter ne ophthalmicus hac eadem occaſione iſta utitur? Anatomica, quæ ad me ſcripſiſti, grata fuere. Azygon & numero & anaſtomoſi ſæpe ludere ipſe notavi, duplicem vidi, aliquoties cum emul-

emulgentibus communicantem id jam pridem notante Salomone Alberto. Digna eſt, quæ de illa legatur Lanciſii Epiſtola. Ego etiam pluries arteriam intercoſtalem ſuperiorem a ſubclavia oriundam reperi, aliter licet ſentiente Garengeot, interdum tamen res omnino ita reperitur, uti eam deſcripſit & depinxit, vanus in eo, quod ſe primum id obſervaſſe putet, quod jam ante iſtum memoriæ erat proditum. Jam ante undecim annos Geræ, ubi tunc Archiatri & Profeſſoris Phyſices munere fungebar, ſimilem omnino caſum vidi, quo vir ſeptuagenario proximus a longo tempore hernia umbilicali laborans, tandem ulcere correptus, ex quo omnis chylus effluebat, miſere periit. Re curatius examinata Jejunum læſum fuit repertum. Ego duos, virum fœminamque, hernia inguinali laborantes, male a chirurgis habitos, tandemque ulcus inteſtini & integumentorum paſſos, quod effluxus magnæ aſſumptorum partis clare docebat, feliciter reſtitui. Ex ulcere fœminæ viginti duo ingentis magnitudinis vermes erumpebant, quod ſæpius accidere legimus. Cl. Schobingeri diſſert. anno 1730. de Fiſtula lacrymali Baſilcæ habitam optarim habere vehementer, eſt enim, niſi me omnia fallunt, ſolida & docta *a*). Collectores Norimbergenſes ejus mentionem fecere. Dabam Sneebergæ IV. Calend. April. MDCCXXXVI.

125.

a) Exſtat in *Selectis Chirurgicis*, quæ edidi.

125.

JOH. GESNERUS.

Quæ mihi alias multo jucundiſſimæ ſunt literæ tuæ, eæ omnino non mediocri quodam me dolore afficiebant, quod de adverſa valetudine tua nuntiabant, in quibus præter optimam ſpem reconvaleſcentiæ, quam DEUS T. O. M. ex veſtro & omnium qui Te norunt & amant voto, cito largiatur, illud gratiſſimum fuit, quod in mediis doloribus, qui non gratiſſima quæque delere poſſunt, mei memineris literis plenis amore & tui in me immerentem ſtudii. Poterant eæ non parum ad me ex morbo reconvaleſcentem firmandum conferre: namque per id tempus febris catarrhalis cum inſolitioribus ſymptomatibus acceſſus paſſus ſum; non ſine quadam animi ægritudine. Et profecto noſtram ſortem doleo, quibus tam frequenter morbis conflictandum eſt tamque graviter, erigere autem me poſſunt & tuæ literæ & ſuaviſſimæ & conjunctiſſimæ inter nos amicitiæ memoria; plurima enim & ſanitatis præſidia & animi oblectamenta a noſtro itinere, cui DEUS ſucceſſus felicitatem largiatur, exſpecto. Tiguri 14. Aprilis 1736.

126.

JOH. GESNERUS.

Non queo ad Te ſcribere quam varie gaudio, ſpe, metu ſim affectus tuis literis, quæ ampliſſimo

mo ſtipendio Te non modo Gottingenſem Profeſſorem deſignatum nuntiabant, ſed & a nobis diſcedendi firmum conſilium ſignificabant. Equidem non mediocriter me conſolatum ſenſi, quod ex priſtino morbo jam valentem Te intelligerem, Tibi ſanitatem impertitam firmet T. O. M. Illud autem me male habet, quod tanto locorum intervallo disjungamur, & hiſtoria plantarum Helvetiæ Te abſente inexculta & manca jaceat, non enim ſum neſcius, quantam a Te perfectionem accepiſſet, cui adferendæ me longe imparem adgnoſco. Ex tuo autem juſſu & conſilio quæcunque aggredi non recuſabo tua adjutus opera; tuis nempe innumeris obſervationibus & pandectis inſtructus, quod fere impoſſibile videri poſſet aggredi, non difficile videbit. Tuus etiam ad nos adventus genus quoddam adjumenti, & ſolatium erit maximum. Illud etiam me maximopere conſolari debet, quod certiſſima amicitiæ tuæ exoptatiſſimæ mihi pignora dederis, quorum recentiſſimum eſt humaniſſima tua ad me epiſtola hic typis publicis exſcripta, ex qua iterum publicum cognoſcit, amicitiam inter nos non eſſe vulgarem: ego, etſi gratias referre non poſſim, eas tamen habebo ſempiternas. D. Linnæi ſyſtema naturæ Gronovius miſit, quod diſpoſitionem methodicam & characteres quadrupedum, piſcium, avium, inſectorum, foſſiliumque complectitur, intra binos menſes obtinebo. Sub prelo ſudat ejus Botanicon, quod characteres generum plantarum exhibet, quibus magnam acceſſionem generum Americanarum ſe attuliſſe

ſcribit

ſcribit D. Gronovius. Febri miliari alba laboro, quæ jam cum ſummo meo tædio ultra 14. dies nonniſi lecti calore ſuam criſin perficit. Tu vero & parta per virtutem & eruditionem gloria lætus cum Tuis fruere. Vale. Tiguri ex lecti carceribus d. 15. Maji 1736.

127.

JOH. GESNERUS.

Demum lecti vinculis ſolutus paulatim redeuntibus viribus ad mea accedo firmandæ valetudinis gratia, juſculis utens medicatis. Te vero eadem inconcuſſa gaudere impenſe lætor. Id negotii de coemendo Herbario Scheuchzeriano Fratri in mandatis dedi, qui id curans tale reſponſum ab hæredibus tulit: integram ſuppellectilem hanc Cel. D. Scheuchzerum fratrem pretio 50. Thalerorum noſtratium ſibi redemiſſe: Manuſcriptorum præter catalogum nil vendebatur. Hiſtoria ejus plantarum, quæ ſua & aliorum obſervata circa Helvetiæ plantas continet, aliquot magnis voluminibus comprehenſa, inter reliqua ſua manuſcripta ſervatur. Te jam proximis diebus excipere atque Tecum iter alpinum inſtituere jam unicum in votis eſt; tuum vero gratiſſimum & exſpectatiſſimum adventum ſi reſcirem, curarem Tibi aliquot ab urbe noſtra leucis obviam fieri. Tiguri d. penult. Maji 1736.

128.

JOH. GESNERUS.

Tuus, cariſſime Amice, jam jam inſtans diſceſſus ex patriis oris adeo difficilis & vix ferendus videtur, ut etiam qui Tibi ad præclara, quæ contendis, non modo vota, ſed & animum addere oportebat, jam conſolendus ipſe ſim. Neque enim ea viciſſitudo me quietum ſinit, ſed etiam in ſomniis exagitat atque ſollicitat. Deus T. O. M. hæc Tibi & cariſſimis Tuis feliciter & auſpicatiſſime evenire jubeat, hæc non mea modo & meorum, ſed totius civitatis imo Helvetiæ vota; concedat ſummum Numen, ut mihi, qui vel ab adoleſcentia amicitiæ tuæ jucunditate, quæ mihi præſidio ſemper & ſolatio fuit, præſens fruebar, non longo annorum intervallo grato pioque animo ejus fructus Tecum repetere atque recolere poſſim. Ego interea non intermittam, etiam abſens, amicitiæ officia excolere, quæ noſtra ſint ſtudia & quæ Helvetiæ plantæ rariores ad Te ſcribendo. Eſt mihi firmiſſimus animus DEO vitam & ſanitatem ſervante inviſas adhuc Rhæticas alpes proxima æſtate percurrendi. Erunt & plantæ, quæ noſter amor, & ſtudia noſtra omnis generis, quæ tuo conſilio imprimis creverunt, perpetua tuæ erga me amicitiæ, amoris, indulgentiæ monumenta. Plura addere dolor prohibet, Vale cum cariſſimis Tuis, me ama, DEUS T. O. M. tuas res ſecundet & Te felicem brevi in Patriam reducat. Iterum vale! Tiguri Kalendis Auguſti MDCCXXXVI.

P. S.

P. S. Si Baſileæ Cel. Bernoullium convenias, ei me meaque ſtudia pro humanitate tua commendes rogo. Proxime ad eum literas dare animus eſt de duplici tympano, quod artifex noſtras horologiis portatilibus ex ejus invento cum ſucceſſu applicavit; ut motus æquabilitas in minutis, ſecundis atque horum partibus quartis inde conſtare poſſit.

129.

JOH. GESNERUS.

Jucundiſſima memoria alloquii Tui tam firmiter animo meo inſidet, ut diſceſſus tui acerbitatem aliquantulum poſſit minuere. Id vero moleſtum mihi erat, quod expectatiſſimo & cariſſimo amico quæ cupiebam officia & tempus & locus, & varia valetudo mea, præſtare negaverint, animus tamen non defuit. Omnes qui Te norunt, tuum Tiguro abitum dolebant, mihi autem inprimis lugendi occaſionem dedit. Gratiſſimus autem nuntius erat, qui & itineris alpini felicem ſucceſſum, atque proſperum ad tuos reditum ſignificabat. Novum dediſti amiciſſimi in me animi tui ſpecimen, transmittendo rariſſimas plantas Herbarii mei inſigne augmentum. Etiam me incitaſti literis & ſtudiis tuis ad excolendum ſtudium rei herbariæ helveticæ, quam DEO valetudinem firmante non verbis ſed opere Tibi, amicorum cariſſime, exhibere conabor. Nunc uſui thermarum Valeſiacarum vaco, quas mihi ſalutares ex voto experior. Quæ mandaſti, expedire

pedire ſerio annitar, præcipue plantarum Scheuchzerianarum examen, & libros Linnæanos; ſi quæ alia habes, quæ communia noſtra ſtudia attinent, aut alia, quibus me idoneum judicas, in Helvetia per me curanda, diligentiſſimum me ſemper invenies. Nil addo poſt ſalutem plurimam a meis & amicis Tigurinis, niſi pia vota pro feliciſſimo itineris & rerum tuarum ſucceſſu, atque ut me amare pergas. Vale cum Tuis.

Dabam in prædio Beckenhofiano prope Tigurum 13. Aug. 1736.

130.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Miſerat mihi olim Gesnerus Lapidem Nephriticum, Androdamantem, Asphaltitem terram, aliamque terram nigram, Amianthum, Piſcis diluviani ſceleton in lapide fiſſili nigro, quorum omnium adhuc ſpecimina quædam ab eo flagitaveram, cumque ea adhuc valde deſiderem, pergratum facturus eris, ſi eorum me participem reddas, cryſtallum etiam a Te poſtulatam addas, pecuniam lubenter a me redimendam.

Vale & a me ſalve! Sneebergæ VIII. Calend. Septembr. MDCCXXXVI.

131.

THEODORUS MASER.

Eccum Tibi liquorem (quem nuper præſens præſenti promiſi) tractu temporis parumper quidem mutatum ob amiſſam ſpirituoſitatis partem, dignum tamen tincturæ auri titulo. Hunc ſequentem in modum paravi: Anno 1730. libras aliquot argillæ e loco paludoſo effoſſæ probe ſiccavi in ſolis radiis per totam æſtatem. Materiam pulveriſatam immiſi retortæ luto munitæ, per deſtillationem prodiit liquor limpidus, aquæ fontanæ ſimilis, ſaporis acris, alcalini, odoris urinoſo empyreumatici, ad pondus ſescuncis. Aucto gradu ignis apparuit oleum fœtidum. Liquori claro immiſi foliorum auri puri grana tria. Vitrum radiis ſolaribus expoſui, illud quandoque agitando folia auri ſtatim in parvas particulas absque ulla effervescentia nec ſibilo (quod vix in alio menſtruo metalli invenies) redacta fuere, & tandem intra bimeſtre ſpatium in pulverem ſubtilem quoad maximam partem. Peracta filtratione per chartam unicum granum auri reſtitit in filtro, adeo ut reliqua duo grana in liquore ſoluta permanſerint.

Si huic tincturæ affundas ſpiritus vitrioli partes æquales, poſt biduum videbis in fundo vitri pulviſculum fuſcum.

Hujus tincturæ Parens meus b. m. (reſtaurantis pharmaci loco) quandoque aſſumſit guttas decem

decem in cochleare vini. An euphoria tincturæ, an opinioni an vehiculo adſcribenda fuerit, neſcio, ulterius examinabo. Si temporis, præſertim loci & laboratorii, copia & commoditas mihi concedere voluiſſent, ulteriorem & copioſiorem hujus liquoris deſtillationem, plura inſtituere libuiſſet experimenta, ut deſcriptionem, ſin perfectam, ſaltem non tam mancam tibi nunc transſcribere potuiſſem. Optarem ſane, ut in re botanica grata tibi officia per excurſiones præſtare poſſem; verum lubens fateor, me hanc obiter ſolummodo & non ultra plantas pharmaceuticas excoluiſſe, chirurgiæ magis & chymiæ operam dediſſe.

Itineri inſtanti, ſtudiis, laboribus ceptisque tuis benedicat D. T. O. M. Morati d. 30. Aug. 1736.

132.

EM. KÖNIG.

Herbas, quas ut tibi mitterem, petiiſti, quascunque ex meis ſcriniis conquirere potui, ſicut & eas quibus carere potuit ex Herbario C. B. depromptas, Emanuel Bauhinus; in faſciculo iſto contentas, accipies; ſi tempus excurſionibus botanicis faviſſet, virides accepiſſes; ut vero promptius & plenius in hoc tuo præclaro inſtituto, quantum in me eſt, tibi inſervire poſſim; tempus quoddam pro plantis colligendis

& cum Bauhinianis, quæ nobis copia datur Theſauro illo herbarum C. B. quem poſſidet præfatus Bauhinus, Philiater conferendis, concedendum eſt, dabo operam, ut omnes a te in illo indiculo notatas colligam; nec ſane latius quidquam & gratius mihi obvenire poteſt, quam ut tibi in re quacunque, quamquam paucula a me proficiſci queant, inſerviam. Nuper Xenodochii *das Allmoſen* dicti, alumnis mulier quædam ex Marchionatu, viliſſimo pretio baccas Belladonnæ obtulit, quas cum avide comediſſent plurimi, tres qui cochleatim inſignem earum copiam comederunt, mortui, alii tres vero ex dato lacte, oxymelle, & vomitoriis ſalvati ſunt: nullus vero dubito, quin ſi ocyus vocatus fuiſſem, antequam lethalis ſopor omnia membra occupaſſet, omnes facile conſervare potuiſſem; ſymptomata demortuorum erant, gravis ſopor & ſtertor diducto ore inſtar apoplecticorum, oculi clauſi, quæ quidem poſt 10. horam ab aſſumptione baccarum talia apparebant; videbatur præterea quaſi acre calidum quoddam ex ore exhalare tentaſſent, pulſus tardus, vibrans, tenſus. Unus ex demortuis ante vomitorium exhibitum ſponte vomuit, poſtea eo quanquam exhibito non amplius aliquid reddidit; reliqui qui paulo minus comederunt, ut videtur juniores quoque, cum ſuperius memorati quivis ſexagenario major eſſet, eodem ſopore detinebantur, ſed poſt datum emeticum & rejectionem nigræ cœruleſcentis pulpæ, demum delirabant & aliquando fere furebant. Hi vero integre

gre poſt 5. dierum ſpatium ad ſe redierunt. Dyſenteriæ, mites tamen, ſine febre apud nos graſſantur.

Dab. Baſil. d. 20. Octobr. 1736.

133.

JOH. GESNERUS.

Non longo intervallo ſe invicem exceperunt binæ literæ tuæ, quarum priores circa finem Novembris, poſteriores in medio Decembre mihi exhibitæ fuerunt. Ad priorem etiam, quæ lætiſſima quæque de tuo in Academiam Gottingenſem felici adventu & optato rerum ſucceſſu nobis nuntiabat, ob plurima negotia academica, examina varia, orationem de Matheſeos in Theologia chriſtiana momentis, aliaque reſponſionem differre coactus ſum. Quantum vero poſteriori epiſtola tua perturbatus ſum, dici non poteſt; vix enim alius triſtior caſus nuntiari potuiſſet; ego enim qui beatæ eximias animi corporisque dotes cognovi, perſpecto ejus obitu, a lachrymis cohibere me nequaquam potui, neque etiam parentes mei id potuerunt, qui iterum iterumque ex me intellexerunt, quæ ejus fuerit pietas, quæ in Te fides, quæ in ea ſuavitas, quæ benevolentia, quæ peritia rerum, quæ in me benefacta contulerit, & quibus exornata fuerit dotibus, ut etiam noſtris votis ad ſuos nepotes vivere eam oporteret; imo digna fuerit, quæ plane non

mererctur: ſaltem ejus pietas, fides, ſuavitas immortales erunt apud omnes, qui eam viderunt & ejus alloquio frui potuerunt. Quam vero triſte Tibi deſiderium reliquerit non ſine mœrore, qui etiam inſomnes mihi noctes facit, non cogito. Id unicum ſolatium video, quod tantam DEUS T. O. M. Tibi animi magnitudinem dederit, quo etiam caſus graviores quam cæteri mortales ferre potes æquo animo. Tu etiam qui intimius noſti, in quas beatiſſimas ſedes ea translata ſit, non parvam in hoc requiem invenies, qui ei ſemper beatiſſima quævis optaviſti; verum facile concedo, caſum hunc eſſe omni fortuna majorem. DEUS vero id tibi largitus eſt, ut parvo (eheu!) tempore, qua cum ea vivere tibi contigit, tot tibi pignora amoris in te tenerrimi, fidei, ſuavitatis dederit, quæ pluribus in longo etiam nec turbato conjugio viventibus nequaquam contingunt. Unicum quod addere poſſum, eſt pium meum votum & preces ad D. T. O. M. ut Te cum amantiſſimis liberis ſua gratia ſuſtinere, dolorem vobis levare, & quæ ad veram animi corporisque felicitatem vobis conferre poſſunt, ea cumulatiſſime largiatur. Gramina Scheuchzeriana contuli, & aliquot ab amico, cui eorum copia a D. Scheuchzero facta eſt, accepi, quæ cum libris ad te mittam circa proximas nundinas Francofurtenſes. Tiguri 25. Decembris 1736.

134.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Spartam Tibi demandatam ut diutiſſime ornes, atque per plurimos annos ſalvus, ſoſpes & incolumis cum tuis degas, ex ipſa animi mente precor. Vehementiſſime vero & acerbiſſime doleo dolorem tuum, ex morte lectiſſimæ, formoſiſſimæ virtutumque ſplendore maxime conſpicuæ uxoris tibi natum. Idem proh dolor! hujus anni initio expertus ſum fatum, eosdem paſſus manes. Enim vero pars viſcerum meorum abrumpi mihi viſa eſt, cum in ipſo ætatis flore a latere meo avelleretur uxor, quæ naturam fautricem habuerat non ſolum in corporis, ſed etiam animi dotibus, pulcherrimum elegantioris ſexus exemplar. Dirus ille morbus, cui nomen febris miliaris eſt, cum ſubſequente pleuro pneumonia & phreneſi meam uxorem pariter e mortalium medio ſuſtulit, & ad mortuos migrare fecit. Ileum lethale perforaſſe inteſtina, idne vero ſectione inſtituta ita repertum fuit? * Quanam methodo uſi eſtis in depellendo cedere neſcio morbo?

Acceptiſſimum 150 plantarum munus nondum accepi, pro quo, dum illud impatienter expecto, decentiſſimas tibi nunc perſolvo gratias. Dabam Snebergæ III. Calend. Jan. MDCCXXXVII.

* Fuit: ulcere perruptum inteſtinum.

135.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Fasciculum plantarum & dissertationum jam ante aliquot menses ad me curatum per Bibliopolam Cunonem ne nunc quidem accepi, quod me vere male habet. Sane magnam me jacturam feciſſe putabo, ubi usque adeo accepta mihi ista naufragium fecerint. Vale & ama tibi deditiſſimum! Snebergæ IX. Calend. Martii MDCCXXXVII.

136.

LAURENTIUS HEISTERUS.

Quod ad literas tuas d. xx. Decembr. a. p. ad me datas citius non respondeˢrim, partim officium Prorectoris Academiæ, quo nunc fungor, partim ægrorum multitudo, quæ hac hieme apud nos fuit, in causa fuerunt. Pro Programmate botanico nuperrime per Dn. Trewerum misso, magnas tibi ago gratias. Perspicio ex illo, Te Rajanam præ ceteris amplecti quoque methodum: qua igitur in re & me consentientem habes. Sed Linnæus, cujus characteres plantarum naturales nuperrime accepi, omnes præcedentium rejicit, nominaque plantarum quamplurima nova constituit, ubi jam optima & sæpe receptiſſima prostant. An multi ipsum sint secuturi, tempus docebit. Vale! Dab. IV. Non. Mart. MDCCXXXVII.

137.

137.

CAROLUS LINNÆUS, M. D. & S. A. N. C.

Annus jam volvitur tertius ab eo tempore, quo celebre tuum nomen ex Commerciis Literariis Norimbergicis didiceram; placuit ibi deſcriptio Androſaces mihi adeo, ut nil magis Te noſſe in votis habueram. Cum prima vice 1735. Belgium intrabam, Te una cum Gesnero in conſcribendo ſynopſin plantarum helveticarum occupatum percepi; ante dimidium vero annum ex Anglia redux Te publicam Botanices Profeſſionem ſuſcepiſſe ſummo cum animi gaudio cognovi, quo munere ut diu felix fungaris, eſt, quod ex animo Tibi adprecor. Lugduni cum ante dies non ita multos Hortum Botanicum viſitarem, apud Cl. Royenum tuam de methodico ſtudio Botanices absque præceptore inauguralem diſſertationem vidi, eamque quam citiſſime pervolvi; placuit hæc mihi adeo, ut a Te precibus vel pretio quocunque eam efflagito; reddam quemcunque a me deſideras, ſi potero, librum. Si quæ ex meis opuſculis Tibi arriderent, transmittam lubentiſſime, modo ſciam, qua ratione minus Tibi incommodo, an per currum publicum? Si quæ ex Horto Cliffortiano Tibi placerent plantæ exoticæ, primus qui habebit, Tu eris, promitto.

Video Te occupatum in condendo claſſes naturales, utinam abſolveres & cum publico communicares; laboravi & ego in hiſce diu, adhuc

licet operi impar, puto tamen me habiturum fragmenta plura quam multi alii, ſed & multa reſtant, an umquam expedienda hæreo. Didici certe Bacciferarum claſſem nullam eſſe. Quod e ſtaminibus & piſtillis nullum profluat ſyſtema naturale, ambabus Tibi largior; aſſumſi ego hanc methodum tamquam ſuccedaneam, utque excitarem Viros curioſos ad examinandum has partes fructificationis, tam viles & fere nullas antea habitas, cum ordine alphabetico ſcribere mihi diſplicuit omnino; habebit & ſuum uſum harum partium notitia, licet pro claſſibus naturalibus non abſolutum. Anblati flori octo adſcribis ſtamina, ego anno 1728. ſemel reperi plantam, nec ab eo tempore umquam, in ea tamen me modo quatuor reperiiſſe memini; quæſo, ſi erraverim, me commonefacias *a*).

Sub prelo ſudat mea Critica Botanica 8vo. & Hortus Cliffortianus in fol. Genera mea abſoluta fuere circa initium anni; ſi Tibi arrideant, curabo ut habeas, Flora Lapponica hac hebdomade abſoluta fuit, quam Societatis Reg. Scient. Sueciæ inclytis membris conſecravi, incurrebam in ea iſtos errores cum vulgo Botanicorum, quos evitare potueram circa ſynonyma C. Bauhiniana, ſi prius Diſſertationem tuam vidiſſem. In Horto Cliffortiano plantam africanam, a Celebri tuo nomine dixi, utinam non Tibi diſpliceret, quod revocari facile nequit, cum dudum impreſſum ſit. Accepit & ante annum quidam amicus plantam a Cl. Ges-

a) Utique quaterna ſunt.

Cl. Gesnero, Stæhelinam-Halleri dictam, optarem ſcire ubi deſcripta ſit, & quæ a Te antea prodiere, cum ad nos ea etiamnum non pervenere. Ludwigii Definitiones genericas ſudare percepi, methodo Riviniana incedit: Siegesbeckii diu promiſſum Hortum Petropolitanum etiamnum non vidi; Martyni decas Vta nuper ad nos pervenit. Michelii præpropera fata doleo. Sebæ Theſauri, quoad partes duas, quæ reſtant, vix prodibunt, cum hæredes litigant de crumena, & magis ſolliciti ſunt de nummis quam fama beati viri. Cel. Dillenius dum Oxonii eram, ultimam manum admovebat Phytopinaci Sherardiano, cujus ferme quartam partem tum abſolverat *a*). Burmanni Theſaurus Zeylanicus prodiit circa initium anni; Rumpfiani ſplendidiſſimum opus ſeu Plantas Amboinenſes in ſe edere ſuſcepit, utinam perficeret. Mea interceſſione Medicus juvenis, natione Germanus *b*), ſpartam medici ordinarii Societatis Indiæ occidentalis apud Surinamenſes excepit, a quo & ſemina & plantas omnes Surinamenſes ſpero, ſi ab alio umquam ullo.

Si reſponſoriis tuis me exhilares, mittantur literæ Amſtelodamum cum inſcriptione; *bey Mr. Georg Clifford*, tum erint mihi certiſſimæ. Ut omnia fauſta ſuccedant voveo, Tibi me ter quaterve commendatum habeas; Vale, faveas.

Dabam ex Muſæo Cliffortiano 1737. April. 3.

Hodie

a) Non prodiit.

b) BARTSCHIUS.

Hodie incepit Muſa florere, quæ & florebat anno præcedenti, ſi non habeas tractatulum, quem emiſi præterito anno de Muſa Cliffortiana, curabo ut habeas.

Pauca verba addam, cum abſolutis literis, epiſtolam a Cl. Gronovio habui, cum incluſis literis J. R. Iſelii ad J. F. Gronovium datis die 10. Martii Baſileæ, ubi inter alia hæc: *Ajunt Cel. Hallerum, Profeſſorem Gottingenſem, in animo volvere contra hanc novam Linnæi methodum ſcribendi; neſcio an id ſuo facturus ſit commodo &c.* An famæ ſit fides ignoro omnino, cum hac ipſa hora hæc accepi. Interim Tecum, Vir Celeberrime, pauca loqui velim. Si vanus ſit rumor & veniam des ratiociniis meis nullus dubito.

1. Ego præ me fero, quod ſi potero tuam evito iram, tua arma: deſiderarem a tuis partibus potius ſtare, adverſarium Tuum eſſe odio habeo & quantum potero evito; ſit pax in diebus noſtris!

2. Magni te ſemper, & a prima hora qua nomen Tuum addidici maximi feci; nec ſcio me umquam tuos turbaſſe circulos; cur itaque ad arma provocas? reddas mihi rationem, cur tuam malam gratiam contraxerim, & ut ſis ſatisfactus, omni niſu curabo; pacem Te poſcimus omnes!

3. Si nulla alia, quam innocentiſſima mea methodus ſexualis ſit belli cauſſa, vereor quod hæc ſit

ſit nimis injuſta. Numquam meam hanc methodum naturalem dixi, ſed: in Syſtemate *p.* 8. §. 12. *Nullum Syſtema plantarum naturale, licet unum vel alterum propius accedat, adhuc conſtructum eſt, nec ego hic ſyſtema quoddam naturale contendo, forte alia vice ejus fragmenta exhibebo &c. interim tamen ſyſtemata artificialia, defectu naturalis, omnino neceſſaria ſunt.* Et: Gener. plant. præf. §. 9. *Non nego, quin Methodus naturalis & noſtræ & omnium inventarum methodis longe præferri debeat .... interim aſſumendæ ſunt claſſes artificiales & ſuccedaneæ.* Ergo tuam agnoſco methodum, ſi naturalem condas.

4. Si quos alios in me vidiſti errores, Tu ſapientior hæc ignoſcas; quis caruit erroribus in diffuſiſſimo natura conſtitutus campo? quis ſufficientes habuit obſervationes? moneas hæc amice, & Tibi grates agam; feci non coactus quæ potui, nec faſtigium ſummum acquirit vaſta arbor, prima qua erumpit tempeſtate.

5. Innotui Botanicis certe primariis omnibus dudum, me erexerunt omnes, nec meum inſatiabile diſcendi naturalia deſiderium fregit ullus; an Tu hiſce omnibus durior? videris mihi ex tua Diſſertatione, magis nobilis quam ut te jactares ſuper ignorantiam aliorum.

6. Potes dein commode, absque eo quod me lædas, profundam tuam eruditionem & intimam naturalium cognitionem cum erudito orbe communi-

municare, & forte gratior omnibus evadere. Evolvas Botanicos omnes & videbis eos prima vice, qua prodiere, de arte ſua inflatos vix potuiſſe digitos abſtinere (ut forte & ego quondam, quod maxime doleo; meliora didici) at cum per aliquot annos vitam in caſtris degerint, adeo placidi, ſinceri, modeſti, omnibusque grati ſe propoſuiſſe, ut ne verbo quemdam tangerent. Hæc mihi cauſa, quod maxime dubitem de famæ hujus fide, cum Te a longo retro tempore inclaruiſſe novi.

7. Mirum etiam videtur mihi, quod ego Tibi adeo exoſus eſſem, cum fateri debeam, nullius ſcriptum magis mecum militare, quam hoc tuum.

8. Ego demum fui, & forte ſolus, qui abſolute ſecundum iſtam a Te datam methodum absque præceptore ullo, quæ novi, addidici; diſco adhuc; ignoſcas quod doctus etiamnum non evaſerim, ſi doctrina, tua methodo, comparari queat, ſpes doctrinæ etiam apud me elucet.

9. Dubito tandem, num Tu vel Profeſſor ullus commode controverſiis ſeſe immiſcere queat. Profeſſoris & Docentis primarium eſt, ſibi authoritatem & fidem apud auditores ſuos conciliare; ſi videant ſtudioſi, quod & ille quid humani patiatur, quanta clades inde authoritati! Quis fuerit tam doctus & ſapiens, qui dum alios corrigeret, non ipſe correctione dignus aliquando evaſerit? ſemper aliquid hæret. Vidimus exem-

plum

plum nuper alibi in Profeſſore omnium celeberrimo & ornamento Academiæ ſuæ, qui dum diu nimis in Pædagogos invexerit, tandem a Pædagogo ita fractus, ut num reſtituatur dubitare licet, certe vix in integrum. Hinc dixit & ſapientiſſimus Medicus, ſe potius Profeſſionem & Medicinam abdicare velle, quam controverſiis publicis ſe immiſcere.

10. Evolvas eriſticos omnes, & oſtendas mihi unicum, qui ſua hac arte ſe gratum reddideris orbi. Matthiolus magnus ſuo ævo vir extitiſſet, ſi hiſce ſe non immiſcuiſſet. Cuinam gratus Cornarius furens, vel Vulpecula excoriata? Quid Rajus vel Rivinus ſuis prœliis expediverunt? Dolet adhuc Cl. Dillenius, ſe ad arma a Rivino coactum, nec victoria, quam reportavit, ipſi majorem famam conciliavit. Nonne juſtam ipſi belli cauſam dedit Threlkeld, ſed ille ſapientior, qui inter Troës fuit, arma depoſita non recepit. Vaillantius quondam obſervator ſummus ſtuduit ſibi viam regiam per cladem Tournefortii parare; nonne ipſi jam reddantur juſta prœmia; major longe fuiſſet, ſi Tournefortium non tetigiſſet.

11. Horreo prœlium intrare, cum ſive vincor ſive vinco, tamen maculor; quis triumphavit absque vulnere? ſemper aliquid hæret. Tempus dein & mihi & forte Tibi ad majora molimina nimis pretioſum eſt. Sum etiam nimis juvenis ad excipiendum arma, quæ ſuſcepta ſemel deponi nequeunt ante finitum bellum, quod ſemel

mel inceptum durabit ad mortem. Tamen quæcunque hoc tempore ſevere moliantur, poſt quinquaginta annos nil erit poſteris niſi hiſtrionum fabula. Ego minus erubeſcerem a Te monita recipere, quam Tu a me.

En hoſtem itaque quem declaras, Tuam ſubnixe petens amicitiam, quam ſi ipſi concedas, in eo habebis tam certum amicum, ac umquam ſperares adverſarium. Video certo Te magis nobilem, quam ut arma moveres in innocentem, niſi ab inimicis meis ſuaſus dubius mihi evaderes. Si vero pacem, quam a Te precibus, conditionibus & rationibus efflagito, obtinere nequeam, eſto tamen ea generoſitate, ut ad me transmittas ipſe Tua dum impreſſa ſint, ego viciſſim mea ad Te transferri curabo.

Si falſus ſit hic rumor, veniam ſummopere peto, quod hiſce Tibi moleſtus fuerim *a*).

Vale. Reſcribas. Die 5. April. 1737.

138.

M. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG. Med. Bacc.

Opuſculum, quod definitiones plantarum continet, Tibi, eximio rerum botanicarum æſtimatori,

a) Falſus erat rumor, neque unquam in animum incidit, juvenem bene de re herbaria merentem, in ipſis famæ & fortunæ ſuæ initiis turbare.

tori, nunc trado. Collegi ſigna in variis auctoribus inventa, dijudicatione opus erat in illis eligendis, cum interim plantæ non eſſent ad manus, ea quæ memoria approbavit, retinere coactus fui; tempora meliora dabunt. Schema tantum delineavi, ad cujus normam hac æſtate obſervationes inſtituere poſſem. Methodum Rivinianam retinui, variis rationibus permotus, Tibi diſplicet, qui habitum proprium plantarum in Raji methodo expreſſum maximi æſtimas, & tecum facile ſentirem, Vir doctiſſime, amo & quæro quæ ſenſus movent, interim anomaliæ majoris momenti contrarium ſuadent. Conceptus generum ſummorum vagos & incertos eſſe, ex anomalis copioſis, quæ hinc inde annectuntur in Raji methodo patet. Methodus vero illa mihi maxime imperfecta videtur, quæ in ſummis conceptibus non omnia complectitur genera inferiora. Sed virium imbecillitatem agnoſco, nec ulterius de his judicium ferre volo, donec exactiores obſervationes, & meditatio crebrior, memet ipſum in veritatibus defendendis confirment, & contrariæ ſententiæ argumenta deſtruant.

Non edidiſſem adhuc hocce opuſculum, niſi amici, cum quibus botanica tracto, quendam uſum in excurſionibus & aliis plantarum diſquiſitionibus ſperaſſent. Cum parvæ molis ſit libellus, facile ſummorum Botanicorum indulgentiam expecto. Si interim errores hinc inde commiſſos oſtendere velles, maximum mihi præſtares beneficium, quod obſtrictiſſima mente agnoſ-

cerem; tiro ſum, Doctorum monita maximi æſtimo, nec veritati cœcus reſiſto, totusque in eo ſum, ut ſtudium rei herbariæ tam diffuſum facilius redderem; exigunt hoc amici, qui ſigna facilia, certa, ſemper ſenſibus obvia exigunt, ſubtilia, vaga, difficile cognoſcenda fugiunt. Quid ſit ſperandum impoſterum experiar, quando obſervationem trium annorum, quam tu in eruditiſſimo ſcripto poſcis, tuo nutu ſuſcipiam. Antequam vero hoc perficiam, conceptuum Rivinianorum elegantiam, neceſſitatem & præſtantiam pro virium modulo oſtendam. Litteræ in conſeſſu Societatis Teutonicæ mihi traditæ nunc tibi exhibeo. Gratulor noſtris Muſis, quod te digniſſimum elegerint ſocium, linguæ patriæ defenſorem ſtrenuum, doctum. Gratulor & mihi de tua benevolentia, quam ut & impoſterum conſerves rogo. Vale. Dab. Lipſiæ d. xx. Aprilis 1737.

139.

PAUL. HENRIC. GERARD. MOEHRING.

Quoties, Vir ampliſſime, nitidas Tuas in Comm. litter. Norico de variis Helvetiæ novis plantarum ſpeciebus obſervationes, datasque deſcriptiones perlegi, toties in mentem mihi venit, ad commercium Te botanicum, communicandave nobiſcum invicem ſemina, humaniter invitare. Difficultas vero locorum nimis diſſitorum

torum me ſemper abſterruit. Jam ante aliquod tempus propior nobis redditus, eadem, Vir Celeberrime, in poſterum præſtare poteris, quæ ego dudum optavi. Initio tamen omni, qua decet, humanitate levem aliquem hortuli mei indicem per fratrem meum offerre Tibi conſtitui, ut judicii tui ſat adæquati particeps fierem, expoſita tua benevola mecum de novis a me deſcriptis plantarum generibus ſententia. Non enim opinor animum, novaturiendi cupiditate gaudentem invenies; quæ tamen disjungenda vere ſunt, qua data mentis imbecillitate ſedulo ſeparantem. Quodſi reſponſo me dignari volueris, rei apud Vos botanicæ hortique ſeorſim medici conditionem, quæſo, perſcribas. Deſideranti forte ex catalogo meo ſemina aut plantas, lubentiſſime morem geſſurus ſum. Atque ut favore tuo, ac ſingulari, quo polles, ambre me proſequaris, eſt, quod etiam atque etiam rogatum Te velim. Vale. Scribeb. Jeveræ Friſonum, $17\frac{29}{4}37$.

140.

CAROLUS LINNÆUS.

Gratæ immo quam gratiſſimæ tuæ literæ mihi fuere, in quibus erga me declaras amicitiam & favorem ſummum, curabo ut ingratus non vivam. Lætor ex toto animo, quod vanus erat rumor iſte, cum profecto Te ſolum & Dillenium inimicum nollem; Vos enim eundem legiſtis authorem quem ego, reliquos non curo, qui do-

cti, immo vel ſi doctiſſimi eſſent ex libris. Utinam mea officia Tibi uſui eſſe poſſent, ego ea & me & omnia mea promitto.

Miſi cum ultimo die Amſteliis degi, meos characteres & Floram, per Waesbergios, nec dubito quin ad Te ſint perlata. Floram iſtam Lapponicam non doctis, ſed indoctis ſcriptam eſſe ſcias. Tu fuiſti iſte Mercurius e cœlo demiſſus, qui in Gentianis nodum ſolviſti, & quidem longe feliciori omine, quam umquam ſperaveram ab ullo mortalium, & ego & totus orbis Tibi gratias debent, utinam idem poſſes in *Salicibus*.

In Muſcis nil valet D. Cliffortius, nec ego, nec Belga ullus, nos totos cepit exoticarum plantarum amor, præſertim Americanarum; me in Muſcis ne tyronem eſſe agnoſco, deſiderat enim hoc ſtudium integrum Virum, quem in me hucuſque habere non potuit; in Belgio Muſci pauciſſimi, in Suecia vero copioſiſſimi. Quæſo per Deos, ſi quid certi noveris, me inſtruas circa ſexum Muſcorum. Video in iſtis ſexus diverſitatem e. gr. in Polytricho, ubi altera capſulam gerit, altera vero planta ſtella terminatur. Quod Lycopodii farina & capſulæ ſint flores vix dubito, ſed longe diverſa in his capſulis, quam in Polytricho ſtructura. Marchantia ſeu Lichen polymorphos Dill. duplici gaudet fructificatione, altera ſeſſili cum ſeminibus orbiculatis planis erectis intra cyatum (quam fructum & ſemina eſſe certus ſum) altera flore compoſito inverſo, pedunculo

dunculo ſuſtentato, quam fructificationem maſculinam eſſe, neceſſario ſequitur. Si quid certi de Polytricho ſcirem, multa & ſufficienter ſcirem. Tu ſcribis, farinam Muſcorum eſſe eorum ſemina, ſi modo Te recte intelligam; an experimenta inſtituiſti *a*)? Farina muſcorum viſa microſcopio ad farinam antherarum in aliis plantis accedit omnino.

Si Hortus apud Vos inſtruatur, utere quæſo occaſione, quam Tibi offero per Cliffortium, a quo & a cujus horto poſſis habere plures plantas quam ab alio ullo, quem novi in orbe; Tibi non obulum conſtabunt, ſed nonnullos lapides ſi habeas, in quos nunc totum ejus deſiderium.

Mea opuſcula, quæ habeo, lubentiſſime communicabo, utinam Tibi lectu digna, nec credas me adeo ſtupidum natum, ut a Botanico inter primos pro iſtis pecunias ſumerem; habeo omnia, excepto *ſyſtemate trium regnorum Naturæ*, quod venale proſtat apud Gronovium. Burmanni Theſaurus Zeylanicus horrendo pretio venditur 15. vel 16. florenorum; nec Tibi placiturus certus ſum.

Muſa, quæ floret in horto noſtro, duplo major eſt præcedenti & duplo majorem gerit fructificationem.

Floret & apud nos Benzoë hoc tempore, quæ calycem gerit ſeu involucrem ut Cornus, ſed flores dein Lauri.

a) Inſtituerat *Stæhelinus.*

Audivi, quod aliquid edidiſti circa plantas alpinas, ſed neſcio titulum libri, locum, tempus. Quando liceat tuas videre obſervationes tuumve opus magnum?

Summas gratias ago pro exemplaribus iſtis 13. diſſertationum, ſcribo hodie ad Jac. Renier, ut ea mittat cum quocunque velit mercatore Amſtelodamum ad D. Reuſs vel Cliffortium, qui ambo amici ſunt.

Nulli ſunt in Belgio, qui genera curant, præterquam ego ſolulus inter prophetas, Gronovius, Burmannus & Royenus de ſolis ſpeciminibus ſiccis ſolliciti ſunt, licet Royenus jam incipiat parum examinare genera. D. Boerhaavius ſolas arbores amat, earumque varietates magis quam diſtinctas ſpecies. Albinum totum tenet anatomia. In Anglia nullus eſt, qui genera curat vel intelligit, præterquam Dillenius. *Randio* ſufficit, ſi in ſingula planta unicum habeat ſynonymon, & *Millero*, ſi plantas Americanas vivas vel ſiccas obtinere queat. *Martynus* eſt facilis vir, ſed minus de doctrina ſcrupuloſus. In Suecia nullus eſt Botanicus, præterquam Ol. *Celſius*, primarius Theologiæ Profeſſor, qui absque generibus plantas amat, & muſcos ſedulo quærit. *Rudbeckius* enim decrepitus eſt.

Si quid noviſti de *Liquidambara*, quam alii retulere ad Acerem, quæſo & communices, fructum habeo, florem vidi nunquam. Vereor quod *Palmaria* Muntingi ſit eadem arbor florens.

Si

Si inter tua ſpecimina ſicca habeas florem *Celtidis*, vel *Tribuloïdis* Tournefort., vel *Globulariæ* Tournef. vel *Aphyllanthis* Tournef. quæſo communices unicum floſculum, ut ſtamina & piſtilla videre queam. Salicorniam Tournef. ſemel florentem vidi, unicum ubique ſtamen obſervavi; num piſtillus in eadem vel diverſa planta ſit, me latet; ſi quid de ea noviſti communices precor.

A *Capnorchide* Boerhaavii nuper didici, affinitatem ſummam *Fumarias Hypecoum* & *Epimedium* intercedentes, caveas itaque, ne has in claſſe naturali diſtinguas.

Sic ad eandem claſſem pertinent *Papaver*, *Argemone*, *Glaucium*, *Chelidonium*, *Bocconia*, *Sanguinaria*, *Anapodophyllum*, *Chriſtophoriana*, at characterem has includentem dare difficile eſt.

Sic & *Mirabilis*, *Plumbago*, *Verbaſcum*, *Hyoſcyamus*, *Nicotiana*, *Belladonna*, *Mandragora*, *Solanum*, *Capſicum*, *Alkekengi*: item *Ahovai*, *Cerbera*, *Rauvolfia*, *Vinca*; *Nerium*, *Cynanchum*, *Stapelia*, *Aſclepias*, *Periploca*, *Ceropegia*, *Apocynum*, *Plumeria*, *Cameraria*, *Tabernæmontana*.

Ad ASPERIFOLIAS abſolute ſpectat *Tournefortia* noſtra, licet baccifera. Ad VERTICILLATAS Raj. *Praſium* noſtrum, licet bacciferum ſit.

Conſumo innocentiſſimos meos dies in Hortum Cliffortianum, & nunc in Syngeneſia commo-

ror, ubi admiror ſummam ſagacitatem Vaillantii. In iſto Horto varietates reduco ad ſuas ſpecies & nomina ſpecifica (aptiora ni fallor) impono.

In *Critica* mea explico Fundamenta Botanices a §. 210. ad 335. & cum exemplis probo; ubi demonſtrare aggredior, quod tertia pars nominum genericorum mala ſit, præſertim in *oides* deſinentia Vaillantiana, & *Aſtra* Heiſteriana. Nomina ſpecifica omnia nego; tempus determinabit.

Gratias infinitas pro communicatione authorum, ſed in his ſub qua forma prodiit Zannichelli de ipocaſtano? de herbariis vivis &c. quis author ſit? an Camerarius? Quænam ſit planta *Myriophyllum pelagicum*, de quo Zannichelli integrum librum ſcripſit, & cujus generis? Zannichelli opus de plantis circa *Venetias naſcentibus* nullo modo videre potui; habeat nec quid curioſi, vel bonas obſervationes?

HALLERA noſtra eſt *Caprifolium afrum*, *folio pruni leviter ſerrato*, *flore ruberrimo*, *bacca nigra*. Character ejus generis eſt.

CAL. *Perianthium* monophyllum planum, patens, breve, ſemi-trifidum, obtuſiſſimum: lacinia ſuperiore duplo latiori, perſiſtens.

COR. Monopetala, ringens; baſi globoſa; fauce reflexa ventricoſa, limbo parvo quadrifido obliquo: *lacinia ſumma* longiore, obtuſa, emargi-

nata;

nata; *lateralibus* brevioribus latioribus obtuſioribus; *infima* acuta breviſſima; omnibus antrorſum flexis.

Stam. Filamenta quatuor ſetacea recta, tubo corollæ inſerta, corolla longiora, quorum duo proxima reliquis breviora. *Antheræ* didymæ, ſubrotundæ.

Piſt. Germen ovatum (intra calycem) deſinens in *Stylum* ſubalatum, ſtaminibus longiorem. *Stigma* ſimplex.

Per. Bacca ſubrotunda bilocularis.

Sem. ſæpius ſolitaria.

Plura non licet, debeo enim hac hora Lugdunum petere; feſtinanti calamo ut veniam des, oro. Cura ut valeas, meque porro ama.

Ex Horto Cliffortiano, 1737. Maj. 1.

141.

JOH. GESNERUS.

Scheuchzerum procul dubio ægre habebit, ſi quando erroris ſe convictum invenerit, etſi etiam in iis, in quibus eum laudas, erroris non ſit plane expers; ego ſane in ſpeciminibus Gr. paniculæ delicata & Graminis ex ejus herbario a beato ejus fratre communicatis, eam differentiam non reperi, quam in glumis glabris & hirſutis occurrere ſcribit, etiam accuratiſſima lente uſus,

cum in utroque gramine glumæ ſint hirſutæ, ſi locuſtæ maturitatem attigerint. Verum etiam ex Tempe Helvetica intelligere poterit, quam recta ratione in multis ab eo diſſentias. Verum dubito ſi hæc ſcripta legat. Quid ex ſtaminum conſideratione in re botanica ordinari pendeat, oſtendit Linnæana ſtirpium ſecundum hæc organa diſtributio, in characteribus Naturæ, atque characteres plantarum, quos Leidæ prodiiſſe intelligo. Quædam claſſes non incongruæ ſunt, verum plurimæ cognatæ plantæ, ſicut prævidiſti, ſeparantur a congeneribus; velut Rosmarinus ob duo ſtamina ab omnibus verticillatis. Promittit idem author methodum plantarum ſecundum calycem, in qua Magnoliana emendare contendit. Florentia accepit D. Michelium ſupremum diem obiiſſe. D. Ottius Botanicæ ſe dedit, & mecum excurſiones inſtituit, magno meo excitamento, qui ſolus fere languebam. Forte hæc occaſio novas plantas ſuppeditabit; & forte etiam ſtirpes alpinas in tuos uſus. D. Blaarerus Te plurimum ſalutat, ante menſem Ducentumvir unanimi ſuffragio electus eſt. Eſt mihi diſcipulus in Medicina optimæ indolis & ingenii perſpicacis, qui praxi medicæ magis quam theoriæ operam aliquando navare cogitat. Maturus ad peregrinationes literarias, cui optarem, ut ex tuo ore ulteriora in ſtudiis incrementa capere poſſet, rogo itaque, ut ad me ſcribas, quinam Medicinæ ſtatus Gottingenſis & utrum ſectiones cadaverum & lectiones practicæ ibi habeantur, quibus conditionibus ibi vivatur. Eum enim

certo

certo ſcio, ſi tuo favore & præceptis ac inſtitutione frui concederetur, feliciſſimum futurum. Dici non poteſt, quo etiam ardore a me petierit, ut Tibi commendaretur, quem ſane ut ſapientem & gratiſſimum, nec monitoribus aſperum & rudimentis medicinæ verioris imbutum, hominem commentare ſuſtineo. Tibi ſummas gratias habeo, quod etiam de valetudine mea tam ſollicitus ſis, & tam amicis conſiliis me juves, quæ & ſuis rationibus & tuo in me amore plurimum ſalutaria ſunt; neque enim poſt æſtatem præcedentis anni morbi acceſſum ſentii. Vale & me ut ſoles ama. Tiguri 30. Maji 1737.

142.

CAROLUS LINNÆUS.

Tot tantisque me cumulas beneficiis, ut quo me vertam neſcio, & ego aliquando me gratum præſtabo, ni nimis cito moriar. Accepi Diſſertationes, Programma &c. omnia a D. Chatelain, diſtribui omnes diſſertationes, grates agunt omnes digniſſimas; Albinus dum ante octiduum hic me viſitaret per diem, Te optime noſſe retulit. D. Gaubius etiam. Si ad Te non pervenere mea miſſa per Waesbergios cum curru publico, quæſo adhuc moneas, & e novo mittam; ſcripſi ad Waesbergios de ea re, cum nec Ludwigio quæ eadem hora transmiſi, reddita ſint.

Scias nullos in orbe majores Bibliopolis eſſe nebulones, iſti nec reciperent, niſi velles exſpectare

ctare præmium uſque dum divenditi ſint; hic in Belgio non magni æſtimatur Botanica, nec a ſtudioſis, nec ab aliis, ratio clara eſt. Quæſivi apud aliquos, ſed nullus adhuc hæc in ſe ſuſcipere voluit.

Utinam mihi tua conſtaret methodus, lubentiſſime communicarem, ſi quas haberem obſervationes Tibi dignas. An ſub diangiis comprehendas & Pediculares & Saxifragias? nonne diſtinguas biloculares & bicapſulares? certe debes!

Diangiæ Tibi erunt, ni fallor, genera omnia in Didynamia Angioſpermia noſtra enumerata; iſta conſtituunt claſſem naturalem, nec excludi debent ulla, dubius tamen adhuc ſum de Selagine & Limoſella; ſed iis addi debent Veronica, Pæderota, Clandeſtina, Pinguicula, Lentibularia, Verbena, Collinſonia, an Morina? (an Protea, Dipſacus, Scabioſa, Globularia?) certe Coris, Belladonna, Mandragora, Nicotiana, Hyoſcyamus, Lonicera noſtra, Diervilla, Mirabilis, Ruellia: inquiras dein num ſufficienter diſtinguantur hæ a verticillatis; conſidera quot notæ communes cum prædictis habeant verticillatæ in calyce, ſtaminibus, petalis, piſtillis, eorum figura, ſitu, ſtructura, quibus differunt ab aliis in univerſum omnibus, an conveniunt cum diangiis. Dein num unica nota diſtinguens ſufficiat reſecare, quas tot connectunt: conſidera Verbenas & alias quæ conjungunt has claſſes. Loquor Tecum, uti cum Botanico, qui ſolas claſſes naturales quærit:

an

an ab his Valerianæ ſeparandæ? perpendas Valerianellas? vellem certe videre, quo Salicarias referas? an ad Caſſias, Bauhinas, Siliquaſtra?

Dum Tu vides, ego me cæcum fateor; perplacet obſervatio de Clathroide, doleo me non examinare potuiſſe minima: gratiſſima eſt obſervatio de farina Equiſeti elaſtica. Ego nil ſcio in imperfectis. Num ſint ſemina vel farina antherarum quæ video, me neſcire fateor, dehiſcit capſula Equiſeti exacte, ut anthera. Taxi flores duplices, quos Tournefortius recenſuit, non vidi. Quid ſibi velit genitura abſque ovo, non capio; ergo nec theoriam Dillenii de farina antherarum, abſque piſtillo. Farina iſta in Marchantia mihi non videtur antheris conſtare, omnis anthera dehiſcit, nec credo unquam, quod farina iſta ſit ovum, ſed genitura, cum iſti orbiculi in calicibus certo certius creſcunt, & feminum vices gerunt. Si in Marchantia orbiculi iſti vera ſemina, utique & peltati & radicati ac pedunculati iſti calices maſculinos proferunt flores, & flava iſta corpora antherarum farina erunt, ſi hoc in Lichene, annon idem in Muſcis proprie dictis?

Burmannus adhuc ægrotat. Columna hic non haberi poteſt, emitur horrendo pretio in auctionibus ſi proſtet, uti præcedenti anno, ſi in Sueciam pervenero, forte Tibi Columnam comparare poſſum; Cliffortius ipſe Columnam non habet. Cæſalpinum reperire non potui; ille mihi maxime

maxime placet, ejusque breves descriptiones, quibus discedit ab omnibus aliis, tamen semper habet aliquid singulare.

Bacciferas absolute expunges: vides calycem baccam in Moro, Morocarpo, Ephedra; receptaculum annulare in Taxo, receptacula communia in Fragaria; item & in Rosa NB. vides, Baccam siccam in Ulmo, Amygdalo, Juglande, Strobilum in Anona &c.

Filago ab Elichryso certe nullo modo distingui potest a sano *a*). Hieracium ab Hieracioide dubius fere sum. Si Taraxacon, Hieracium, Hypochœridem distinguas & Hieracioidem distinguere potes, si vero has omnes conjungas, non paradoxon introduceres. Ego sub Jaceis comprehendo Centaurium majus, Cyanos, Calcitrapam, Calcitrapoides, Rhaponticon, Rhaponticoides, Amberboi &c. uno verbo omnes, quæ gaudent radio sterili, cum calycis figura nunquam limites admittat, & corona seminum falsissimas det divisiones. Classe a Carduis distingui absolute non debent, cum tam prope accedant, ut vix distingui queant. Carduus galactites J. B. flore gaudet Jaceæ. Cynarocephalarum genera omnia in Vaillantio bona sunt, nec unquam genere naturali distingui debent, excepto Xeranthemo, quod ad Elichrysa propius accedere mihi videtur.

Petasites, Cacalia, Elichrysum, Conyza, Eupatorium, Senecio, Absinthium, Artemisia, Santolina,

a) Distinguit in nuperis Linnæus.

tolina, Abrotanum, Gnaphalium, Tanacetum, cum radiatis miſceri debent; Carlina autem a radiatis expungi.

Cur *oides* diſpliceat? quia eſt aſylum ignorantiæ. Botanici recentiores vix alia nova introduxere nomina, quam in *oides* deſinentia. Adeoque ſi mille mihi oſtendebantur nova genera, modo addito oides extemplo omnia nomina abſolverem. Vidiſti forte abuſum apud recentiores: non amo nomina caudata, caudæ obruunt & confundunt memoriam, e. gr. Alſine, Alſinoides Raj. Alſinella D. Alſinaſtrum Vaill. Alſinaſtroides Kr. Alſinaſtriformis Pluk. Alſinanthenos Raj. Alſinanthemum Kr. poſſis hæc nomina diſtincta tenere? ego non poſſum hæc & ſimilia; annon abuſus. *Cur Rapunculum diangium & Lychnidem triangiam Rapunculoides vel Lychnideam?* quia genera naturalia ſervanda erunt, nec liceat ob unicam partem differentem novum introducere genus. Botanicus omnis, qui genus conſtituit, characterem eſſentialem inquirere debet. Loculamentorum numerus non abſolute diſtinguit genera, vidiſti hoc ipſe in Ruta, Evonymo, Moſchatellina, Orobanthoide &c. Qui defendis claſſes naturales & genera naturalia adhuc magis nullus dubito; minus enim damni adfertur Botanicæ ex claſſibus non naturalibus, quam ex generibus non naturalibus. Dein ſi genera diſtincta ſint, cur non quoque bene diſtinctum nomen, cur non Ceraſa Prunoidem, Malum Pyroidem &c.? an ſic veteres? Adeamus regnum animale;

animale; dicamus Anatem Anſeroidem, Cygnum Anſeraſtrum; vel fingas in regno animali ſimile, ubi præjudicia non vexant. Certe riſum tenere non valui, dum videbam Botanicum quendam conſtituiſſe novum genus ob ſolum nomen, Convolvuloidem a Convolvulo ob caulem erectum.

Poſt 14. dies meam Criticam mittam, quæſo interim ſcribas, num mea priora, uti genera, Floram Lapp. Muſam &c. acceperis vel non, alias mittam ſimul e novo. Scio Te ab innovatione nominum eſſe alienum, ſcio Te proxime ſcripturum contra *a*). Videntur mihi Botanici ne tetigiſſe doctrinam nominum, adeoque adhuc non incepiſſe tractare iſtam Botanices partem. Si colligas omnia nomina generica a Tournefortiano tempore in hunc diem mutata, mille plura erunt, licet inſenſibile introducta; quæ cauſa innovationum nominum? certe nullam aliam concipio, quam quod leges, ſecundum quas confici debeant & defendi, datæ non ſint. Omnia nomina ſpecifica falſa eſſe, certo certius eſt; alia certe videbit ſerior ætas. Si ſpecifica mutari debent, cur non & hoc tempore ſimul generica falſa? Authoritatibus ab antiquis receptis nunquam ſubſcribent futuri in libera republica Botanici, cum retineamus nomina ſeſquipedula, Monolaſiocallenomenophyllorum, Hypophyllocarpodendorum & cur barbara, cur caudata, cur hybrida?

Quantum ex diſſertatione tua divinare licet, videris mihi adverſarius Botanicorum, qui varietates

a) Nunquam in mente habui eriſtica ſcribere.

tates pro ſpeciebus obtrudunt; utinam eſſem quem vellem; utinam Tecum loqui poſſem per diem! utinam Te in hoc argumento a meis haberem partibus! cum ſcio, omnes Botanicos alios mihi adverſarios in hoc argumento eſſe futuros. Si Michelii ſpecies ſunt veræ, nec varietates ex maxima parte, certe ego hoc die vellem 5000. novarum ſpecierum exhibere. Philoſophia botanica neglecta conceſſit hanc phantaſiam Botanicis.

Trollium refers ad Populaginem, debet aſſociari Helleboris, confer nectaria eſſentialem characterem, uti Adonis a Ranunculo ſolis nectariis, ſic & Populago ab Helleboris; examines adhuc has plantas.

In meis generibus deleas quæſo Melianthum, cujus characterem fallacem dedi, debui enim examinare flores nondum explicatos, quos hyems delevit, mox præſtabo alium propediem.

Immortales gratias pro tot raris plantis, quas promiſiſti, utinam eas haberem, quot ſtamina & piſtilla in Aphyllanthe? quot in Tribuloide Tournef.? An mas & femina in Salicornia, & quot ſtamina & piſtilla?

Ex muſ. Cliffort. Jun. 8. 1737. feſtinanti calamo.

143.

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Egregia prorſus eſt Tua in me benevolentia, quam binis una vice miſſis litteris demonſtraſti.

De ſynonymicis generibus mones, quod hæc confundant diſcentes; experientia jam convictus ſum de veritate tui aſſerti. Et ipſe in principio multa aſſumſi nomina falſa, ſed hic difficultas non minima oritur, an hunc vel alium Botanicum ſequi fas ſit. Indulgendum eſt auctoritati Præceptoris, dum diſcimus in omnibus ſcientiis, in Botanica quam maxime, quia genera arbitraria ſunt, & quilibet poſito ſigno diagnoſtico genus novum conſtituere poteſt. Eſt certe aliquid demonſtrationis in re botanica, & quidem in hiſtorica cognitione, non illa tamen, quæ exacte coërcere poſſit tumultuarios illos generum formatores.

Tuo judicio nunc ſubmitto meditationes meas de minuendis plantarum generibus, objectiones tuæ eruditæ magis perficere poterunt levidenſia mea, nam Te, Virum tanta experientia edoctum, non alium, arbitrum agnoſco. Prævideo jam jam varias contradictiones, quæ vero intacta relinquo, ſi a viro præjudiciis obcæcato proveniant. Fac ut ſentiam, quouſque a ſententiis meis diſcedas. Eum tantum in finem elaboravi,

ut

ut ſenſim ſenſimque ad aliqualem in determinandis generibus perveniam certitudinem, plenariam enim nunquam ſpero. Quis enim omnes cognoſcit plantas? quis illas, quas cognoſcit, exacte perſpicere poteſt? Studioſiſſimum plantarum ſcrutinium exercitatiſſimum quoque Linnæum in avia deduxit, ita ut certe dubius adhuc hæream, an plus damni, an plus emolumenti afferat nova illa methodus ſtudio botanico. Non credas tamen, me contemnere tanti Viri labores; valeant ea, quæ tu ipſe de Botanicorum erroribus ferendis in litteris monuiſti.

Plane perſuaſus ſum, Botanicos, ſi tantum a novaturiendi ſtudio tantiſper ſecedant, & in examine plantarum non ſcrupuloſiori ſed moderato alacriter pergant, ea perficere poſſe, quæ adhuc deſiderantur in ſtudio tam diffuſo. Illud mihi propoſui, ſed neſcio an vires ſufficiant, tentabo varia, & monita tua ſemper exoptatiſſima mihi erunt. Cognoſco & ego vim præjudiciorum, quæ longa annorum ſerie longaque conſuetudine ita familiaria fiunt, ut vix amplius cognoſcere poſſimus, nos ſpecie recti deceptos eſſe. Debellamus interim hoſtem, qui ſcientiarum incremento contrarius deprehenditur.

Rivinianam methodum aſſumſi, quia genera ſumma tam egregie conſpirant, an ſemper certa ſint & determinata, ipſe adhuc dubito. Tot vero contra alias methodos objectiones formare poſſum, quot alii Rivino objiciunt. Tibi ſatis

notæ erunt rationes, cur hæc methodus rejecta fuerit a variis. Rivinus magni ingenii Vir, uno eodemque tempore multa meditabatur & cœleſtia & terreſtria, pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Rivinus itaque ea, quæ ex aliis hauſerat, & in methodo ſua combinaverat, nunquam accuratiſſime per omnes plantarum claſſes demonſtrare potuit: alii vel tempore excluſi vel confuſim methodum tractantes, nihil perfecerunt, ſed negligenter tantum titulos exſcripſerunt. Nunc ſi quis de ſitu petalorum, de figura & ſic porro ſigna certa colligeret, & hæc ad numerum methodi Rivinianæ adderet, in determinandis plantis habitum non plane rejiceret, characteres eſſentiales perquireret, ille ſane methodum Rivinianam mirum in modum emendare poſſet. Faciam id, ſed nonnisi multis plantarum obſervationibus præmiſſis. In petaloideis multa ſpero, in apetalis vero conceptus Riviniani inſigniter mutandi erunt.

Contradicis illis, qui arbores plantis miſcent; ſed multæ nos urgent rationes. Ricinus Africanus arboreſcit, truncumque duriſſimum trium vel quatuor pollicum craſſitie in diametro perficit, interim ſemina ex illa ipſa planta deſumpta, Ricinum dederunt in noſtris hortis, qui annuus eſt, & ſemina perficit. Quid de Malva arboreſcente, de Apocyno arboreſcente dicendum erit? Videas, quæſo, contradictiones Raji, Boerhaavii & Tournefortii in arborum generibus, ubi multa ab uno inter herbas, ab altero inter frutices, relata fuerunt.

Neſcio

Neſcio ſane an de tuis meditationibus recte ſentire poſſim; opinor enim Te proxime ex caſtris Rajanis diſceſſurum eſſe, ad minimum mutabis varia, Tu, qui tam attente flores conſideras, in bacciferis jam jam varia mones. Accuratum enim florum examen methodum Rajanam quam maxime invertit. Ad regularitatem vel irregularitatem florum ego quidem attendo, ſed levioris differentiæ cauſa genera non muto, vidiſti hoc in variis.

Ne cunctéris quæſo in tradendis iis, quæ in Botanicis meditatus fuiſti, plane enim perſuaſus ſum, neminem in muſcorum & graminum hiſtoria certiora & accuratiora tradere poſſe. Micheliana ſubtiliora ſunt, & in his nihil inveni, quod me inſtruere potuiſſet. Licet enim tiro Botanicus negligere poſſet muſcorum & graminum doctrinam, tamen, qui ad altiora tendit, etiam horum ideam exactam habere cogitur.

Plantas alpinas jam dudum exoptavi, cum ex D. Hænelii litteris perciperem, Te & Gesnerum tuum in enodandis illis deſudare. Si plantæ Africanæ adhuc ad manus eſſent, facile expetere poſſem Alpinas, ſed omnibus inter amicos diſtributis, quæ ſuperflua mihi erant, moleſtias Tibi creare vix audeo. Interim id agam, ut ex plantis curioſioribus, quas Waltheri hortus profert, quædam in poſterum colligantur. Volumen plantarum, quod Dm. Cuno apportavit, Hænelio jam jam traditum fuit; recepi etiam ea de cauſa reſponſorias.

Pergas, Vir Experientiſſime, in demonſtrandis erroribus, quos in definitionibus commiſi. Carduorum & congenerum ordines aliter tradere vellem, ſi modo indicares, an novus ordo placeat? vel an Dillenii aut alius auctoris ſententiam aſſumere debeam. Sæpius meditatus fui de ordinandis compoſitorum claſſibus, ſed major diſtinctio characterum in ſemine & flore majores confuſiones producit, ita ut ſæpius labores inceptos reliquerim. Vale meque ut ſoles ama. Dabam Lipſiæ d. xxv. Jun. 1737.

144.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Secundus ad finem ruit menſis, ex quo in Thermis Carolinis dego, animum a ſtudiis relaxaturus, conſilia ſuppeditaturus iis, qui vires, præſtantiſſimas per Deum! harum aquarum experiri volunt. Hic vero literas tuas XVIII. Aprilis jam exaratas, quid? quod faſciculum illum autumno per Cunonem ad me curatum, quem naufragium feciſſe putabam, accepi. Pro quo uti me Tibi devinctum ſentio, ita nullam omittam occaſionem æs illud alienum expungendi. Synopſin tuam botanicam, vel ſaltem ejusdem prodromum, nec non tractatum de monſtro Bernenſi brevi partu felici excludas ex ipſa animi mente opto. Werlhoffium & de fama & de facie novi, cum

cum quo, uti jam nuper Te certum eſſe juſſi, etiam aliquando per duas integras horas domi ſuæ nonniſi de rebus doctis & medicis ſermones miſcui. Maximi iſtum facio, uti quidem æquo quocunque rerum arbitro id fatente, meretur, verum novi quoque Hahnium elegantiſſime pariter atque ſolidiſſime doctum Virum. Hos igitur iterata vice committi nollem, ne modeſta diſceptatio tandem in altercationes degeneret. Optarim habere exemplum unum alterumve diſſertationis Werlhoffianæ de ſecta methodica, votique mei me damnatum iri tua liberalitate penitus confido. Si quas ſtirpes Hercyniæ incolas minerasve hac æſtate collegeris, mei quoque reminiſcaris omnibus precibus contendo. Quænam vero ſunt illæ a Thalio recenſitæ, Tibi nondum viſæ ſtirpes? Cura ut eas norim. De edendo Columna per univerſum terrarum orbem hactenus in vanum mihi quæſito conſilium ne mutes iterum eſt, quod Te rogatum volo. De Trewio quid dicam neſcio. Eosdem Tecum patior manes. Vellicatum Te ab iſto legi in Tractatu de Differentiis partium fœtus, neque tamen quid ſibi velit, capio. Forſan ipſi reſpondebis in Diſſertatione de monſtro Bernenſi? Linnæus magnis promiſſoribus videtur eſſe accenſendus. In Tabulis, quas de regno, uti loquuntur, minerali, edidit, plurimi, certe . . . . . reperiuntur errores, uti inſpicienti patebit. Dabam in Thermis Carolinis prid. Iduum Julii MDCCXXXVII.

145.

CAROLUS LINNÆUS.

Gratias ſummas ago pro literis, totque variis curioſis gratis & novis communicatis. A Dno. Renier habui literas, quibus me certiorem facit, quod quamprimum plantas a Te liberali manu oblatas recipere queam Amſtelodami. Muſam Cliffortianam, quam putabam ultimo me miſiſſe, mitto hic, nec non Criticam meam. Ego infelix peregrinus omnia citiſſime corradere debeo, aliis curam preli committere, hinc ut fit non mirum. Tu cures modo contenta, nec barbariem linguæ; converſatio enim cum Lapponibus, Finnis, Norvegis per aliquot annos me Michelio magis barbarum reddidit; debui dein Criticam furtim conſcribere, & omnia quam citiſſime, qui & hanc & Floram Lapponicam, & Hortum Cliffortianum per hos tres (anni) quadrantes omnia conſcripſi. Hortus Cliffortianus adhuc ſudat, & modo 400. paginæ (in folio majori) impreſſæ ſunt, ut ante finem anni vix prodierit, curabo abſolute ut habeas, & eum hac epiſtola promitto, pecuniæ mihi nimis multæ renumerantur, dum tuam ſynopſin mihi reddas. Ego Tibi debeo multa, etiamnum quid præſtare non potui.

Characteres D. Ludwigii perlegi, maximam operam impendit; utinam ejus authores claſſici eum non ſeducerent; non omnia Boerhaaviana e tripode dicta ſunt. Meos characteres omni die augeo,

augeo, emendo, meæ nil ſunt niſi deſcriptiones genericæ, adeoque differunt a Ludwigii, Tournefortii, & ut nomen ſpecificum a deſcriptione plantæ. Ambæ neceſſariæ ſunt in Botanicis.

Bicapſulares mihi & *Tricarpæ* Tibi forte ſynonyma; cohærent & ſemifloſculoſi cum floſculoſis Tournef. per *Elephantopum*. Connexio catenulata a radiatis ad cichoraceas difficilis; vereor quod ſaltus fiat a cichoraceis ad Scabioſas. Novi optime, quod Rosmarinus, Ziziphora, Salvia, Pinguicula, Lentibularia &c. debuiſſent conjungi cum didynamiis, ſed debui ſubire leges, alias nulla methodus; hoc agnovi in claſſe Didynamiæ.

Erravi in numero ſtaminum circa Polygalas, qui modo parvas Europæ ſpecies examinavi, nunc vero Africanas; errorem agnovi in Horto Cliffort. p. 353. In Linagroſtide ſtamina ſunt 3, in Stellaria 1. in Linoſyri 5. in Aſaro 12. in Tithymalo plurima: Uva urſi 10. Perſicaria nunquam decem, Fegopyron 9. habet, Tamariſco alteri 5, altero 10 in Mercuriali 9. vel 12. an unquam plura? in Xanthio 5. Fumaria offic. tres apices (antheræ) in ſingulo ſtamine, ſi aliter videas quæſo me commonefacias. *Chamæbuxum* quæſo ne diſtinguas genere, certe non faceres ſi quæ vidi ſpecimina & Tu videres: in Chamæbuxo eſt etiam iſtud labellum fimbriatum, licet magis ab apice remotum; certiſſime ſi diſtinguis alia vice hoc revocabis.

De Belladonna cur hæreas certe non video, argumentum unicum, ſi ſcis quo Nicotianam & Hyoſcyamum referas, certe & Belladonnam & Mandragoram, quæ adeo adfines ut potius hæreres, num genere diſtingueres; confer omnes partes fructificationis. In Solanis neſcio quæ Tibi ſint dubia. Alkekengi, Solanum, Lycoperſium, Capſicum nullo modo diſtingui poſſunt, (an ejusdem generis naturalis). Hæc ſunt omnia bicapſularia, cur non itaque ad Nicotianæ phalangem?

Bulboſas cum *Lilio convallio*, ſed certe non cum Aro nec cum *Orchidibus*. *Ari* ſpecies a Plumiero deſcriptas evolvas.

Ego Palmas, Muſam, Cannam indicam, Coſtum, Kämpferiam, Marantam &c. Orchides, &c. Irides, Siſyrinchia, claſſe convenire abſolute perſuaſus ſum, & cum hisque Arum; etiam Stratiotes (nobis) palmis valde adfinis; vide Muſam Cliffortii.

Orobanchem quæſo nullo modo diſtinguas a perſonatis, nulla ſane Tibi ratio a ſtructura floris; Hypopytidis familia adhuc me latet.

Thalictro certe nulla cum Papaverino familia, ſed cum Clematidis genere ſumma eſt adfinitas; examines omnes ſpecies.

Ulmariam ſi ſepares a *Spiræa*, paradoxon proponis, an genere diſtingui debet hæreo, confer Barbam

Barbam capræ, Filipendulam, & Pluknetii ſpecies; has certe omnes ab icoſandriæ polygyniæ familia non ſeparare debes. Agrimonia vix adfinis videtur Salicariæ, ni fallor. Salicaria aliquid commune habet cum Azederache, Bauhiniis, Caſſiis &c. Sed *Agrimonia* ad Icoſandriæ polygyniæ familiam pertinet, uti & Alchemilla & Percepier; confer ſtylos ad baſin germinis inſertos, & videbis calycem non abire in fructum.

Vidiſtine unquam quas Tu vocas cum Michelio Antheras ſeu apices in Marſilea, Marchantia &c. dehiſcere, & farinam fundere? vidiſtine unquam Antheram, quæ non farinam dedit? puto veſtras antheras eſſe farinam.

Muntingius poteſt haberi, ſed quid vis cum eo, ego jam puto, quod nullus magis indignus exſtet Botanicus; ejus figuræ nitidiſſime exſculptæ ſunt, ſed ad captum factæ, nec vidi alias adhuc pejores. Hermanni Flora non prodiit, ſed ſemiimpreſſa periit. Royenii & Gronovii diſſertationes curabo ut habeas; certe doleo papyrum impenſam eſſe in Muntingii opera; ſi vis habere illum, ſed ſat chare venditur, & igne digniſſimus eſt, me certiorem facias.

Cæſalpinum juſſi omnes bibliopolas mihi comparare, in officinis non proſtat, forte propediem eum habebo.

Mœhring hortum utinam viderem, ubi impreſſus & quo tempore?

Fago-

Fagopyra ſcandentia calyce triphyllo & petalis duobus dum diſtinguit, ludit; Aſphodelus paluſtris & a me diſtinctus eſt, cum tricapſularis ſit, reliqui triloculares; vide Anthericum. Hyacintho-butomos (horrendo vocabulo) & ego diſtinxi ab Hyacinthis, & connexi cum Hyacinthis tuberoſis, cum quibus numeris omnibus conveniunt, ſub nomine Polyanthes.

Convolvuloides a Convolvulo ob caulem rectum; vides nunc conficiunt genera nova, ob mala nomina prius plantis impoſita; ego nunquam vidi in Botanicis magis fallacia: dixi in Critica meam de hoc ſententiam pag. 34.

Lætor ſummopere, quod dixeris mihi, *Saxifragam albam petream* eſſe a tridactylite diverſam; differentiam vidi, quod habeat folia ſæpe 5fida? novi, pro varietate habui; ſpero quod demonſtres, quod non ſit varietas ſufficientibus notis, ne quis dein de ea dubitet, vel alius ſeducatur. Annon rubeſcat cum ſenior evadit, etiam major alpina?

Veronicas iſtas *alpinas* quæſo ſufficienter deſcribas, ſi omnes tres habeas, & notas des, quibus diſtinguuntur, certæ duæ harum varietates ſunt; an tertia? dubito.

Odontiten ab Euphraſia vix adhuc diverſam agnoſcam, cum unica modo (alias) mihi ſpecies Euphraſiæ nota ſit; poteſt tamen diſtingui ſufficienter.

Sed

Sed *Teucrium alpinum inodorum* video jam diverſi generis eſſe, & ab Euphraſiis, Pedicularibus & Melampyris diverſiſſimum, ſed convenit genere cum Hormino tenui coronopi folio virginiano Moriſ. hiſt. & Pediculari maritima, folio oblongo ſerrato, quod in Horto Cliffort. p. 32. notavi, & novis meis generibus propediem edendis.

Melampyri iſtam *parvam ſpeciem a)* varietatem tandem agnoſcas, ego novi ambas iſtas optime, ſorte & coma violacea ſpecie non diſtincta ſit.

Tubas ſeu ſtylos diſtinguere facilis mihi viſa res, niſi ſolum in Herniariis & Amaranthi affinibus, cum a ſtyli baſi feminas numero, & ſi ſtylus deficiat, a ſtigmatibus. Cum *Roſa* nulla difficultas, modo longitudinaliter diſſeces calycem; fructus enim ſeu bacca pericarpium non eſt, ſed calyx coloratus ſucculentus; adeoque etiam ipſa germina diſtinctiſſima, nuda, adeoque gymnopolyſperma abſolute, modo collum calycis parum coloratum... In *Sambucco* a ſtigmatum numero, ubi deficit ſtylus, numero.

Sitne *Diapenſia* mea eadem cum Authorum, quos allegavi, certe icones eæ & deſcriptiones obſcuræ ſunt.

Rejeci in Horto Cliffortiano aliquot millia varietatum, eas ſub ſpeciebus literis græcis adſcriptas poſui.

Quæſo

a) Separavit inde *Linnæus.*

Quæſo in tua ſynopſi notes, plantas vere alpinas aſteriſco vel alia nota, ut poſſent facilius diſtingui; exoptarem tandem Floram alpinam Europæ.

Si habeas florem Francæ Mich. quæſo dicas mihi numerum ſtaminum; vereor, quod ipſi 5. modo ſint ſtamina, licet Martyn mihi 10 dixit.

Si Synopſis tua Helvetica ſola circiter *a*) ter mille contineat plantas, utique & Flora omnium prima merito dicenda; Tu qui jam paras tam ſplendidum opus, qui tanta gaudes collectione ac pauci alii; qui judicii acumine plurimos, ſi non omnes, ſuperas; qui in obſervationibus excellis; quique intimam plantarum poſſides notitiam & ſynonymorum certitudinem, Tu quæſo cures, ut hæc tua Flora alia nobis adportet dona, quam ſolum elenchum plantarum Helveticarum. Hoc fieri puto, ſi adderes notam unicam ſingulæ ſpeciei, qua hæc ſpecies ab omnibus congeneribus diſtinguitur, cum omnis noſtra theoria, omnes deſcriptiones & figuræ eo collimant, ut plantarum ſpecies diſtinguere queamus, eæque inpoſitis nominibus indicare. Hæc Tibi non adeo difficilis res, aliis omnibus licet difficillima, hic tamen ultimus finis.

Impoſitis ſpeciebus & redigas varietates omnes ad ſuas ſpecies, non dubito quin Tibi idem ſapor ſit varietatum ac mihi. Vidiſti quot varietates pro ſpeciebus vendidere Pontedera, Micheli, aliique.

a) Tantum 2490.

aliique. Et ſi minima differentia, minima varietas ſpecies novas cauſet, cur retardor decem millia novas producere ſpecies, & quis has non poſſet indicare. Ego ſemper potius volui duas diſtinctas ſpecies conjungere pro una, & pro varietatibus habere, quamdiu differentiam intercedentem non noveram quam apertiſſime, quam unicam plantam dubiam pro diſtincta vendere ſpecie.

Eſt mihi amicus Juſſieu, eſt & amicus Dillenius; Vaillantium nunquam novi; Vaillantius fuit ſui plenus vir, ſibi aperire ſtuduit viam per cladem informatoris ſui fideliſſimi Tournefortii, erat ſolum demonſtrator Horti Pariſini, in literis rudis; qui ſeſe oppoſuit Juſſieuvo, ſemel ſubſannavit Dillenium; pauper fuit &c. Hæc nil ad me, quatenus ſum Botanicus, quatenus juſtus & ſanus vir. Ego fateor me nullum adhuc legiſſe, qui Vaillantio accuratior fuit, qui plura nova invenit in Botanicis; qui plus laboravit, qui parcius præmium reportavit. An itaque ille nebulo, exemplum inſaniæ, mortalium ſtupidiſſimus per ſecula dicatur ab orbe, eam ſolam ob cauſam, quod Botanicen coluerit, æſtimaverit, excolere ſtuduerit? Juſſieu, ut audivi, per juramentum promiſit, nunquam memoriam Vaillantii, dum vivit, florituram; Dillenius non eſt contentus tot cavillationibus, quibus oneravit Vaillantii manes in Horto Elthamenſi: poſito & quod Vaillantius ſuos habuerit errores in ſynonymis & forte aliis, quis in Botanicis unquam caruit errore? Eſt ſapientis viri bona a malis diſtinguere;

ſtinguere ; ille felix imperator , qui cum jactura dimidii exercitus ſuperat hoſtem, eumque profligat. Quis meruit magis quam Pluckenetius in exoticis, licet non ſyſtematicus, quis tamen Vaillantio & Plukenetio major nebulo, pejor hæreticus in Botanicis, majus ſcandalum artis noſtræ? ſi ex Horto Elthamenſi ſumitur authoritas : mihi nil cum Vaillantio, nec contra eum ; juſtus det juſtum judicium viri bene meriti. Si itaque velis juſtas concedere Vaillantio laudes, & Tibi erit juſta, poſt fata, memoria ; ego non curo in hac parte vel Juſſicos vel Dillenios !

Obſerves, quæſo, abſolute, quod Xanthium & Ambroſia gaudeant floribus amentaceis.

Veronica Flor. Lapp. 7. §. 7. eſt *Veronica alpina fruteſcens*, uti a Dillenio & ſpeciminibus Sherardianis didici Oxonii, nulla tamen pars in noſtra fruticat, niſi infimi articuli ; an hoc a ſolo in Lapponia frigidiori?

Quid ſit *Veronica alpina, bellidis folio, hirſuta*, nullus mihi dignior Burſero viſus eſt author, qui attentus fuit Botanicus, & ſe hanc C. Bauhino miſiſſe ſcribit, & a Burſero ſe accepiſſe C. Bauhinus : Burſeri in Herbario Upſaliæ aſſervato ipſiſſimam noſtram, parum magis tamen pubeſcentem habet.

Si tres ſunt diſtinctæ ſpecies, utinam & diſtinguentes notæ proponerentur, quæ dum deficiunt, nulla diſtinctio *a*).

Evolvi

a) Tres nunc *Linnæus* adgnovit.

Evolvi ſpecimina mea, nec video aliud quam quod Saxifraga tridactylites & alpina ſint ſolæ varietates; ſic dictitat fructificatio; in fructificatione plures latent partes, quam in tota alia planta; plurima vota valent: dum demonſtres hic diverſas partes Tibi grates agam *a*).

Quæſo dicas mihi, num in tuis alpibus reperiiſti plantas numeris ſequentibus in Flora Lapp. notatas: 13. 85. 88. 115. 164. 165. 166. 172. 174. 181. 207. 208. 231. 232. 236. 242. 243. 244. 245. 302. 303. 319. 342. 353. 368. 443.

Quot ſemina & ſtamina in Tozzia; quot ſtamina in Franca. An in Viſco unquam Tibi obſervatæ ſunt fœminæ & mares, tota planta diſtinctæ, & an petala dicenda in fœmina, quæ flori inſident.

Doles juſto characterum defectum in hiſtoria animalium, uti in Ichthyologia &c. Hoc tempore typo committo amiciſſimi mei, dum vixerat, Petri Artedi, opera poſthuma, in quibus, ni valde fallor, videbis majorem perfectionem, quam in Botanica poſt centum annos unquam ſperanda eſt; ille claſſes condidit naturales, genera naturalia, characteres abſolutos, Pinacem univerſalem, deſcriptiones incomparabiles, nomina ſpecifica pura.

Si perſuaſus ſis me, quem vidiſti nunquam, Te ex animo amare, magnique facere, nec ægre

a) Omnino diverſæ ſunt.

feres, ſi pauca tecum loquar de tua diſſertatione, certe magni laboris opere, ex qua ſola viſa Te majoris facio, quam Botanicum alium quem novi ullum, niſi Tecum compararem D. Dillenium, vir omni laude digniſſimus eſto, & perſuaſus, quod quidquid dicam, nullus mortalium præter Te & me ſciturus.

P. 7. bene vides methodum *Rajanam* naturaliſſimam illam dictam, vel fuere omnes Botanici cæci, vel ut D. Dillenius ſperarunt Profeſſionem, vel ab Anglorum authoritate coacti ſummam gloriam Rajo conceſſere; quid ille? certe vir laborioſiſſimus in colligendo, deſcribendo &c. at in genericis minus nihilo, in examinandis floribus plane nullus. Quæſo conſer ejus primam editionem methodi, cum ſecunda & tertia, ubi a Tournefortio edoctus ſumit omnia. Neſcio cur nullus Cæſalpini obſervare potuit inventa, omnia Rajo adſcripſere ſtupidi. Cæſalpinus mihi magnus, quantum erat primam ſic condere gentem!

Moriſonus vanus fuit & inflatus pro more.... tamen nunquam non laudandus, qui reviviſcere fecit methodum demortuam: confer genera Tournefortii & quid Moriſono debuit, facile agnoſcas, tantum certe ac Cæſalpino Moriſonus, licet fidus fuit examinator Tournefortius. Moriſonus omnia ſua quæ bona a Cæſalpino habuit, videtur in eo diſceſſiſſe, ut obſervaret concatenatam affinitatem naturæ magis quam characteres. Tu ab ejus periculo ſapientior procedas nullus dubito.

Rivini

Rivini rigidus fuiſti cenſor, ſed & mihi eris maximus Apollo, ſi Tu ipſe non incidas ſub idem judicium ac ille; ſi aſſumis regulas, debes & ſecundum eas procedere, alias nulla methodus, ſi prætendis claſſes naturales, eas ſervare debes, heu quanta circumſpectione, ſi unicam frangas, nævum committis, ſi has combinare potes, & inter has tutus ire, Tu ſolus felix. Si modo affinitates quæris, nullas leges & connexiones quid tum facis, an methodum promiſſum; an Moriſoni premas veſtigia.

An Opuli flores exteriores irregulares ſint *a*)? & quæ tum definitio regularitatis?

Sanguiſorbæ ſemen unicum adſignare? cur non?

Tormentillæ ſemina 4? forte tam recte *b*) ac octo vel ſedecim.

Umbilicato fructu arbores miſcere cum non umbilicatis? cur non? Vereor quod Tu non bene capias, quid fructus umbilicatus ſit! An Rubus a Roſa diverſa facis claſſe? ac ſis hic parum cautus.

Vellem audire tuos characteres *Orchidum* & affinium ab alia quam calcaris nota, evolvas Plukenetii, Petiverim, Raji Americanas; uti ante Vaillantii &c. Europæas.

P. 8. *Non Tournefortianum;* fateor ſuos errores habere Tournefortium multos, ſed tamen

a) Sunt.
b) Plura ſunt.

nulla magis naturalis ante eum, nulla poſt eum exſtiterit, fateor plures claſſes mere eſſe arbitrarias. Utinam Tu omnes ad claſſes naturales referre poſſes, Tournefortii Labiatæ, Cruciformes, Liliacei, umbellati, Papolionacei, compoſiti *a)* valent, demtis vel additis in his paucis.

P. 9. Pontedera incidit in ſcopulos, quos evitavit Tournefortius, dum Pontedera hic naturæ leges ſequi minus amavit. Certe confuſionem creavit in compoſitis, ſed & plurima præſtitit, minus tamen Vaillantio. Pontedera fuit fere unicus Botanicus philoſophus, licet non ſubſcribam ubique ejus theoriæ.

P. 9. *Knautiana deleta a Dillenio*; cur ſic. Certe nullibi magis injuſtus judex fuit Dillenius, quam in iſta apologia de variis methodis: mirum quod nullus reſcripſerit; certe promeruit; docte tamen ſcripſit, doctius promeruit reſponſum.

P. 9. *Magnolium*, doleo quod non plures habeamus methodos non naturales a variis partibus; ſi haberemus, ab eis facile eſſet concludere, in quibus claſſibus hæc pars fructificationis valeret, in quibus non.

P. 9. *Vaillantiana*; ego nullum vidi Vaillantio adhuc in generibus ſapientiorem, & quotidie experior. Forte characteres dedit, ubi Tu eos deficere dicis. Quid ſi Bauhinianas ſtirpes non adeo accurate determinavit; hoc recte ubi imperfectæ deſcrip-

a) Séd non ſunt *Tournefortii.*

deſcriptiones, nullæ figuræ, nulla revelatio. Si ego abſurdum nomen conſtituerim, an indocti omnes qui me non intelligant?

P. 9. *Judicium de methodis Boerhaavii & Raji*, certe ambæ in iſto puncto falſæ ſunt claſſes, an altera præferenda.

Tu Lychnides & Rapunculos conjungas? mirum certe mihi!

Arbores & herbas conjungendas eſſe ſequitur & ab inſpectione plantarum, quid enim differt herba ab arbore?

P. 10. Annon & herbas habeamus fructu umbilicato & non umbilicato, quali arbores?

Annon Cachrys, Simpla nobilis ſint arboreſcentes, tamen gymnodiſpermæ?

Nonne Tournefortia ſit Aſperifolia, tamen arbor?

Nonne & infinitæ frutices in labiatis, ſeu tetragymnoſpermis.

Quot Conyzas non habeamus ex Africa & America arboreas, & alias arbores flore compoſito maximas.

Quid intelligis per duplicem calycem chenopodii, fructu a calyce diverſo?

Lichenis reperiiſtine limites intra figuras py-

xidum in Lichenibus? deſumis etiam characteres a copia foliorum in Lichenibus?

P. 11. Mirum quod & a foliorum figura characteres petas Filicum, qui Plumieri Filices vidiſti?

Certe ego nec Tua vidi, nec Dillenii ante mea genera, mirum! Tamen fere in eandem incidiſſe ſententiam diverſos plures eodem tempore; ſic & de Unifolii flore, quæ pagina in Flora Lapponica erat impreſſa menſe Aprilis præteriti anni.

P. 13. Vaillantium & Dillenium exempla facis, ubi errantes demonſtrare velis; quis caruit errore; felix qui pauciores habuit: nollem, ſi poſſem, bonos carpere, poſſem menda alia & faciliori methodo corrigere.

P. 16. in *Uva urſi* calycem quadrifidum & alibi ſtamina octo dicis &c. Uvam urſi Fl. Lapp. t. 6. f. 3. ſemper nobis, nec unquam, licet nulla planta a teneris mihi notior, decem ſtaminibus & ſ fido *a*) calice obvia fuit; an alia itaque Tibi ſub Uvæ urſi nomine ſpecies?

Negas & definitiones partium ab uſu, qui anatomicus eſt; reprehendis idcirco Pontederam: dubito quod naſum definire poteris in Zoologicis, alio modo quam per uſum; ut ſit adpropriata definitio omnibus animalibus, avibus, piſcibus, inſectis &c. certe res eſt difficilis.

Hoc

a) Recte.

Hoc ipſo die Plantas benevole mecum communicatas accepi, pro quibus Tibi grates ſufficientes nunquam reportare poſſum, ſtudebo gratitudine quod potero ſemper. In iis *Aphyllanthes* maxime mihi placuit, ex cujus ſpecimine, quæ deficiebant in charactere, abſolute explere potui.

Anonis alpina humilior rad. ampl. videtur omnino trifolii ſpecies, nullo modo vero Anonidis, licet polyſpermæ ſint ſiliquæ!

Androſace alpina anguſtifolia, glabra, flore ſingulo, an deficiebat, quod doleo maxime, utinam modo florem videre poſſem, & an mea Diapenſia pro certo? *a)*

Salix alp. alni folio rot. glab. eſt Flor. Lapp. 355.

Alchimillæ affinis alpina videtur Alſinellæ ſpecies, vel potius Arenariæ *b)*.

Thoram antea non vidi, lætor me & in iſta vidiſſe nectaria! ut jam certior ſim.

Cruciata alpina c) latifolia lævis; in horto noſtro eſt ſolus mas, Tua vero miſſa Hermaphrodita eſt: vidiſtin unquam marem? an diverſa ſpecies a rubia quadrifolia & latifolia lævi C. B. Rubia quadrifolia Italica hirſuta J. B.?

Polygaloides & *Chamæbuxus* ſolum varietates ejusdem ſpeciei. *d)*

a) Longiſſime differt.
b) CHERLERIA.
c) Semper eſt androgyna.
d) Eadem planta.

Acini pulchra ſpecies eſt Teucrii ſpecies, & ad Marum cortuſi proxime accedit, labium ſuperius corollæ deeſt *a*).

Salix alpina rotundifolia incan. eſt Flor. Lapp. 359. t. 7. f. 2. 1. 2.

Aſtragalus alpinus fol. viciæ ramoſus & procumbens, tenui . . . . flore glomerato albo cæruleoque eſt Aſtragalus Flor. Lapp. §. 267. t. 9. f. 1. vidi ex ſpecimine altero Aſtragalum Onobrychis dictum, ſat eſſe facie diverſum; an diſtincta ſpecies *b*) Tu certius ſcias, qui ambas in loco natali legiſti; tum ego in ſynonymis (ſuaſu D. Dillenii, ejusque fide) erravi.

Veronica alpina bugulæ folio, calyce hirſuto, eſt Veronica Flor. Lapp. 7. t. 9. f. 4.

Uva urſi: vide jam quid Tibi ſit Uva urſi, adeoque ſtamina, calycem & corollam recte numeraſti, & examinaſti, ſed hæc tua Uva urſi non eſt uva urſi, ſed meum Vaccinium *c*) foliis perennantibus obverſe ovatis Flor. Lapp. pag. 110. numero 144. & in hac abit Calyx in fructum polyſpermum; in *uva urſi* vero obſervante & Tournefortio abit Piſtillum in fructum, ejus hiſtoriam dedi ſub nomine *Arbuti caulibus procumbentibus, foliis integerrimis* Fl. Lapp. 123. tab. 4. f. 3. in hac ſtamina decem.

Hæc

a) Non deeſt, & eſt Acinos.
b) Diverſiſſima.
c) Recte. Error meus erat ex nomine C. B. qui *foliis punctatis* dixit.

Hæc quæ concepi, reſcribere deberem, ſed certe mihi tempus non eſt. Amicus excuſat omnia; ſcripſi variis temporibus varia verba.

146.

JOH. GESNERUS.

Humaniſſimæ literæ tuæ & per Tabellarium ordinarium & per D. Engel Berna ad me miſſæ ſunt. Reſponſorias meas eo ipſo tempore ad Te miſi: nunc ad reliqua reſpondeo. Imbecillem valetudinem tuam imprimis doleo & ab omnipotente Medico D. T. O. M. firmam & citam reconvaleſcentiam ſeria prece exopto. Nemo eſt noſtratium qui Te norunt, qui Tibi non optima quæque apprecetur, & Te rurſus in patria ſcire optent. Ampliſſ. D. Blaarerus cum Ampliſſ. Legatis Bernenſibus ad Comitia Badenſia de hac re pro inſigni ſuo in Te amore locuturum promiſit, ſidemque faciet ejus Gener D. Wertmüllerus Præfectus Badenſis. D. Bodmerus in Elegia ad Te ſcripta idem efficere anniſus eſt. Sperant enim mecum omnes & optant reditum tuum in patriam, honorifica vocatione factum, non tantum & valetudini tuæ & Muſis Helveticis maxime ſalutarem fore. Ego per DEI gratiam ſine morbo nunc valetudinem ago, non tamen eam quam me medicamentorum ope firmare opus ſit. In plantas inquiſivi hactenus quæ confinia urbis noſtræ ſuppeditant Linneana, in plantis obſervata ſequens, etſi nec in iis mihi placeat, in

quibus jure tibi diſplicet neque etiam in methodo ſi quæ alia a naturali deficiente. Plantas alpinas alio anno adibo, fit etiam, ut hoc tempore ad quæſita de plantis alpinis reſpondere nequeam, neque alias plantas mittere quam gramina nonnulla: quibus addo Scheuchzerianum opus diplomaticum compactum quidem, cum ex privata Bibliotheca deſumendum fuerit ob Chalcographi, qui ſumptibus ſuis edidit, morbum melancholicum. Tua benevolentia fretus D. Zundelius diſcipulus meus proximo menſe ad Vos iter faciet, quem ut commendatum habeas, ejusque ſtudia porro promovere ut velis, etiam atque etiam rogo, quod & gratus ſit homo & ſapiens & optimæ indolis, etſi paulo difficiliora ipſi fuerint ſtudia medica, quod ſtudiorum humaniorum maxime philologiæ & philoſophiæ curam vix mediocrem habuerit. Rogo etiam cum ſalute plurima D.D. Huberum, ut ejus conatus adjuvare velit. Gratiola alpina mihi nusquam viſa. Rutam ſylveſtrem ex Pilato monte obtulit D. Cappeler. Pedicularem * Valeſiacam viſcoſam ex eo tempore, quo eam tecum legi, nunquam vidi, neque ejus exemplar aliud quam imperfectum poſſideo: quod de Linnea quoque affirmandum eſt, jam ante 12. annos in monte Septimo Rhætiæ collecta. Androſacem flore purpureo ex monte Mülhuſiæ vicino Baſileam attulit ann. 1728. D. Willi. Hypericum pulchrum Tragi, Lychnis calicibus turgidis ſtratis, Saxifraga tridactylites Pyrenaica latifolia in Helvetia a me non viſæ, nec in Hiſtoria

* Odontites 306. *Hiſt. ſtirp. Helv.*

ria plantarum Helvetiæ Scheuchzeriana occurrunt. Geum rotundifolium minus Scheuchzeri eſt idem, quod foliis oblongis crenatis Tournefort. quod teſtum copioſe collegi in itinere in vallem Angelimontanam. Novo conatu iterum ad plantas helveticas mihi accedendum eſt, & labores noſtri tibi impoſterum magis ſatisfacere poſſe ſpero, cum nunc plantarum, quas petis, & exemplis plenis & perfectis non ſim inſtructus, nec ad quæſita reſpondendo par ſim. Vale, firma valetudinem, & Gesnerum tuum amare perge. Tiguri 13. Aug. 1737.

147.

PAUL. HENR. GERARD. MOEHRING.

Humaniſſimas Tibi ut perſolverem grates, meum utique fore judicavi, qui non tantum amicitiam tuam exoptatiſſimam in noviſſimis reſponſoriis cordate mihi conferre, ſed ſincerum quoque tuum judicium de novis a me expoſitis plantarum generibus fideliter aperire, quin immo eruditiſſimum programma benevole transmittere voluiſti. Quod ad me, adſiduis equidem laboribus commercium noſtrum alere ac fovere conabor.

Jam paucis ad dubia, a Te nota, adire liceat. Qualem Vaillant. Solidaginibus characterem

rem genericum adſignaverit, me quidem fugere fateor, quum Acta Reg. Pariſ. ad manus non ſint. An idem forte genus cum Doriis *Boh. Iv. alt.* 97, 98? quo conceſſo, magna ſane utrique differentia eſt, tam ratione habitus externi, quam modi florendi, ac præcipue calycis ſtructuræ. Ego potiſſimum in explicatione Arnicæ ad differentiam a Doronicis reſpexi, ſumpto Doronici charactere ſecundum plurimorum Botanicorum adſertionem, *v. Bo. I. alt.* 100. Neque me umquam ab alio relatum legiſſe recordor, Doronici vulgaris ſemifloſculos nuda, floſculos vero pappoſa gerere ſemina; quæ hercle! ambiguitas inter diſcifloras pappoſas, & ſemine ſolido donatas adtendi meretur. Quo modo autem hæc cum Vaillantianis Doronicis conciliari poſſint, ex Actis tu me edoceas, velim. Adhuc contrariari Vaillantii & mea obſervatio mihi videntur.

Qua porro Linnæus ratione ductus, Gentianis Centauria admiſcuerit, & quonam id libro fecerit, neſcio: examinandi Gentianas omnes occaſio tibi perquam oportuna fuit, mihi non, qui alpinam vernam majorem, & paluſtrem autumnalem anguſtifoliam tantum in horto habeo. Utinam tuo favore plures ſpecies adciperem. Sed quomodocumque ſit, Gentianis adſignatus flos calathoides; calycis conſtitutio, ſemina orbiculata, foliacea, marginata, *v. Bo. I. alt.* 204. *Raj. meth. emend. p. m.* 84. a Centauriis genericam diverſitatem efficere videtur, etiamſi utrique communis amarities. Vellem Linnæi definitionem

Gen-

Gentianarum cognitam habere. Cæterum in Centauroide flos conſtanter quadrifidus, qui in Centauriis, tum erectis, tum humilibus, ceu hisce diebus repetitis vicibus in inſula Wangerooga, ubi copioſe creſcit, obſervavi, toties fere ſex, quoties quinque, quin immo haud raro quatuor tantum ſegmentis gaudet.

In Alſinanthemi inquiſitione Linnæus, ſeptem ipſi perpetuo ſegmenta pariter, ac ſtamina, te referente, adſignans, præjudicio laboravit. Non enim in ſylva noſtra Upieverana tantum aliquoties flores examinavi, ſed diverſorum flores ſegmentorum, in Herbario meo vivo adſervati, teſtari poſſunt, jam quinque, jam ſex, modoque ſeptem laciniis florem inſtructum eſſe. Id unicum quod, qua ratione factum ſit, neſcio, in primis horti mei lineis omiſſum fuit, addo, numerum ſtaminum æque, ac ſegmentorum calycis, florum ſegmentis numero ſemper reſpondere. Cæterum an Trientalem cum Cordo ac Rivino, & Ruppio, in Alſinanthemon cum Thalio, Rajo ac Heiſtero vocare optumus Vir maluerit, perinde mihi eſt; quod ſi tamen floris cum Alſines floribus convenientiam perpendimus, Alſinanthemi nomen aptius videtur.

Miratus profecto ſum abſentiam deſcriptionis meæ de Asphodeliride, ſ. Pſeudo-asphodelo paluſtri C. B. quam Ill. Büchnerus Act. Nat. Cur. Vol. IV. inſerere volebat. Sed eo magis adcuratam jam majoris ſpeciei iconem delineare potui, quam

quam Erfordiam mittere animus eſt, ut deſcriptio eo magis completa evadat, pro Vto volumine adſervata. Neutram vero ſpeciem in horto colere poſſum, quamvis vel viceſies utramque ex ericetis gramineis transplantaverim. Neque ſemen ad juſtam maturitatem pervenire mihi viſum. Inter hæc autem ſcire omnino licet, me plurima, quibus ullo modo carere poſſum, ſemina hoc autumno lubentiſſime tibi miſſurum eſſe. Ex tua ampla ſuppellectile defectuum meorum ſupplementum, præcipue Stæheliniam tuam &c. avide exſpecto. Ne vero ſuperflua mittam, numeris ſpecies, ex prim. lin. a te deſideratas, quam proxime litteris exprimas, etiam atque etiam velim.

Synopſis tuæ ſtirpium Helveticarum editionem ſummo cum deſiderio exſpecto. Uberrimos inde fructus exſpectationis ſuæ orbis eruditus, gloriæ Tu, amicorum optume, reportabitis. Quantopere notis tuis in Diſſertat. inaug. de methodo bot. ſtud. absque præceptore delector! Illud unicum generatim mihi diſplicet, hodienos complures Botanicos, nimio quandoque innovandi ſtudio ſeductos, unius ejusdemque generis, hactenus recepti, diverſas plane definitiones tradere, ut occaſione ſuorum generum novorum tradendorum fruantur. Quid igitur heic conſilii, ut certæ ab omnibus Botanicis, ad minimum unam eamdemque methodum, e. gr. Rajanam ſequentibus, adprobatæ definitiones exhibeantur? Quando vero tantum ſperare conſenſum licebit?

Id

Id quoque in deſideratis facile cenſerem, ut adſiduus aliquis rei herbariæ cultor latino, vel etiam vernaculo cujusvis ſermone, obſervationes botanicas, in Mémoir. de l'Acad. Roy. des Sciences, & Philoſ. Transact. Angl. reperiundas, binis voluminibus excerperet, ac ſeorſim evulgaret. Quo fieret pacto, ut complures ejusmodi laboribus uti poſſent, quibus alioquin ob nimium magnorum iſtorum operum pretium carere debent.

Sed quo dilabor! epiſtolæ metam exceſſi, ſatisque patientia tua abuſus ſum. Cui audaciæ ut ignoſcas, mihique porro faveas, eſt, quod etiam atque etiam rogatum te velim. E muſeo, Jeveræ Friſonum, a. d. 23. Aug. 1737.

148.

CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Injurius eſſem in benevolentiam Tuam, qua me hactenus dignatus es, ſi nunc prolixioribus litteris Tuos ſtudiorum circulos turbarem. Exultat Georgia Auguſta, nova Muſarum ſedes, & omnes illi, qui eruditione ſua ſingulari ſplendorem addunt huic ſtudiorum matri, non mediocre ſentiunt gaudium. Tibi igitur inſignem in modum gratulor, quod ſub auſpiciis tantæ Academiæ & tua merita dignis extollantur encomiis. Cum enim ex illis ſtudiis, quæ tuis laboribus incrementa

crementa ſua debent, ſplendor Academiæ veſtræ dependeat, non vulgaria expectat orbis eruditus certoque ſibi promittit. Sed & in me non vulgaria redundare commoda lætus prævideo; tuo enim exemplo excitatus omnia tentabo, quo in ſtudiis, quæ te delectant, tuis inſiſtam veſtigiis, licet tenuitas virium, te lento tantum pede ſequi permittat. Si favore tuo me & inpoſterum dignum judices, non inania erunt vota mea. Addidi editionem quandam novam Diſſertationis tuæ de Diaphragmate, pauca exemplaria impreſſa ſunt, quo tantum deſiderio quorundam amicorum ſatisfieret. Fac ut ſciamus, an tibi diſpliceat, an probetur inſtitutum, quo Typographus occaſione ita ferente plura addere poſſit, ſi poſterius eveniat. Vale & fave, d. Lipſiæ d. VII. Septemb. 1737.

149.

CAROLUS LINNÆUS.

HAc ipſa veſpera Tuas literas accepi, qui cras abeundus ſum; debuiſſem ante duos menſes petiiſſe Sueciam, me autem detinuit D. Clifford in hunc diem, utinam modo poſſem abſolvere Lugdunum, ubi amici ſtudent me detinere per aliquod tempus; ni vero nimis diu detinear, Te videbo Gottingæ, ſi tuo commodo fiat, vellem a Te addiſcere aliquid in Muſcis, quam gratiam mihi non negabis ſpero.

San-

Sanguinem meum movit tua epiſtola, in qua putas me ex ſtudio inimica mente contra Te ſcribere. Teſtor Omnipotentem Deum, me nullum Botanicum majori in pretio, honore & amore habere, quam Te! ſentias itaque non de me male; videbaris mihi liber; ſperabam Te, a me, excipere poſſe, utpote a tuo, quidquid feſtinans proferret calamus, tum temporis laboribus obrutus. Excerpſi ex tuis generibus nomina, circa quæ diſſentiiſti a me, non ut Te reprehenderem, ſed ut certior fierem, & in tempore me corrigerem.

Doleo quod in malam mentem explicaſti, quæ de Unifolio ſcripſi, qui tamen nunquam ſcripſi, ut ita verba mea interpretari poſſes; quod Tu a me vel ego a Te hoc habuerim. Quæ ſcripſi ideo ſcripſi, cum Dillenius, dum apud eum eram, tam abſolute hæc negabat, & Tu eodem tempore hæc obſervaſti; noli male de me ſentire, qui malevolus certe non ſum, & ſi vel forem erga omnes, certe erga Te non.

Si incluſa, quam miſiſti, planta, ſit Androface, cujus ſynonyma addidi Diapenſiæ, me peſſime hallucinatum fuiſſe fateor, veniamque expeto, & ut hæc revoces palliativa manu exoro. Certe incluſa Androface eſt, & mea Diapenſia tum nova planta, quam mitto incluſam.

Solana ſunt bilocularia, licet ſæpe variant, uti Lycoperſicon, ſed bilocularia certo reſpectu; membrana enim loculamenta non diſtinguit, ſed

ſola pulpa; eſt enim duplex ſeminum receptaculum reniforme, quod convexum accreſcit, intumeſcit, augetur.

Agrimoniam certe non diſtinguas ab icoſandriæ polygyniæ plantis; confer partes, & analogiam, & videbis calycem coloratum, ut in roſis.

Doleo quod quæ de Vaillantio ſcripſi, Tu in Te trahere voluiſti, qui vix verbum vidi tuum contra Vaillantium: ſed dolui, quod Dillenius adeo ipſi infeſtus eſſet poſt fata.

De Marſileæ anthera non dubitavi, ut Tu ſumis, ſed uti Michelius partes ſumſerit.

Tempus mihi plura non permittit, unice oro rejicias a tua mente omnia, quæ in ultima epiſtola Te offenderunt, continues quæſo ſolito candore, nunquam habebis apud me cauſam iræ; me amabis, dum me præſentem videas, meumque animum; quanti ego Te fecerim, vel me abſente coram Te declarabunt vel quidem mihi inimici. *Doleo maxime quod a me læſus fuerit tuus in me generoſus animus; culpam deploro; veniam præcor!* Spero Te hiſce ſatisfactum; quod ſi ſis & amicus ut antea.

Corollarium meum impreſſum eſt, quod jam depono apud D. Ruys cum Methodo ſexuali, qui ut habeas hæc curabit. Hortum Cliffortianum habebis, quam primum tabulæ, quæ deficiunt, inciſæ

inciſæ ſunt; vellem audire tuum judicium de generibus meis foliorum in Horto Cliffortiano.

Stæhelini juſta merita non excidant e mente mea, antequam juſſu tuo parens fui.

Hura jam floret in Horto Cliffortiano.

Ego crederem, quod Orchides &c. magis affines eſſent Cannæ, Kæmpferiæ, Marantæ, Amomis, quam Liliaceis, & hæ Muſis & Muſa Palmis; triloculares non ſunt; inſpicias ſitum antheræ in Cannis; petalorum in Kæmpferia; Kæmpferiam & Cannam eſſe maxime affines vix ullus negabit.

Quæ mittis gratiſſima erunt, ſed quæſo non calculum inſtituas; ego ſcio quid Tibi debeo, licet plantas Lapponicas Alpinas ante reditum in patriam mittere nequeam; mea omnia opuſcula ſunt parva, & qualia exſulis vel peregrinatoris eſſe ſolent, qui omnia ſecum portare debet. Nuper reperi duas ſpecies Cliffortiæ feminas, Clutiam feminam, variaque alia genera. Audivi quod & Siegesbeckii Hortus Petropolitanus, & Gerberi Flora Moſchovienſis prodierint, doleo me hanc nullam adhuc vidiſſe.

Aſphodeliris adeoque eſt meum Anthericum, cujus tertiam ſpeciem e Virginia dedi in Horto Cliffortiano.

Gronovius ſine dubio edet propediem plantas a Claytono e Virginia miſſas, ni nimis diu deli-

beret. *Bartſchius* jam petiit Surinamam, ſi vixerit, Floram præſtabit accuratiſſimam, & ad me mittet plantas omnes certus ſum, cum a me habuit iſtud officium. *V. Royen* jam incipit elaborare novum Hortum Lugduno-Batavum, qui & ſyſtematice agat.

Si mineras habeas in ſuperfluo, erunt gratiſſimæ Dno. Cliffortio, ſed certe non opus eſt, quod des rariores, poſſis alia vice, cum lapides in duplo obtineas, viliores dare, ille enim Tibi debet librum pro tot communicatis raris ultima vice, quæ maxima ex parte permanſere in ejus muſæo, & ſi ille non daret, a me haberes.

In deſcriptione *uvæ urſi* ego erravi, dum folia oppoſita pro alternis ſcripſi.

Plantas aliquot alpinas Lapponicas mitto, plures dum in Sueciam pervenero. Vale.

Amſtelod. 1737. Oct. 8.

150.

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Accepi Diſſertationes duas de Corde, & Programmata de Veronicis, aliaque Poëtica, quibus maxime delectatus fui, & quæ me de egregiis tuis laboribus, tum in Anatomicis & Botanicis, tum etiam in Poëticis certiorem reddiderunt.

Proxime

Proxime diſſertationem de ſexu plantarum, quam nunc prelo ſubmittam, tecum communicabo, ſpecimen academicum, quod in gratiam quorundam amicorum conſcripſi, qui veritatem hanc maxime palpabilem negligunt,& maximo impetu contradicunt. Editionem novam diſſertationis de Diaphragmate non in malam partem interpreteris, nec credas me eam ſuſcepiſſe, cum ſuſceptum jam jam quodammodo promoverim. En ſpecimina quædam Anatomes foliorum, quam hac æſtate ſuſcepi. Rete duplex in foliis pyri imperfectum quidem eſt, dum interim perfectius & ſine ulla læſione diviſum Dresdam mittere coactus ſim, impoſterum perfectius expectes. Quid de Critica Botanica Linnæi ſentis? Rigoroſus quidem ſed ſæpiſſime felix botanicorum cenſor eſt, non diſplicent quæ protulit, licet non in omnibus cum ipſo ſentire queam. Dab. Lipſiæ d. XVIII. Oct. 1737.

151.

PAUL. HENRIC. GERARD. MOEHRING.

Vidi nuper prima in ſectione libelli eruditi menſtrui, Gottingæ noviſſime evulgati, cui titulus: *Abriß von dem neueſten Zuſtand der Gelehrſamkeit*, recenſionem catalogi hortuli mei. Quem ad modum vero grates promeritas optumo perſolvere Viro officii a me ratio poſtulat, qui vitiis meis, qui tenuitati meæ connivere humaniter

voluit: ita haud facile a recta me aberraturum via, arbitror; quodſi concluſionem ibidem adnexam me non promeruiſſe, enunciavero. Vel titulus enim libelli, per ſe nulla, fateor, laude digni, teſtabitur, me nullas alias enarraſſe plantas, quam in hortulo meo creſcentes pariter, ac pro virili cultas. Itaque me floram Jeverenſem, qua ſylveſtres ſponteve apud nos provenientes herbas deſcribere ſimul voluiſſem, minime concinnaſſe, patet. Ubinam igitur locorum ſigna ſylveſtris alicujus herbæ poſuiſſem, quum plane mihi non ſint? Quamvis enim unam alteramve ſpontaneam enarraverim, idcirco tamen hoc præcipue factum ſcire liceat, ut transplantatæ in hortum, vel magis aptæ, quæ poſt ea cum amicis communicari poſſent, redderentur, vel in primis ad manus nunquam non eſſent, eo magis completæ & adæquatæ deſcriptionis parandæ gratia.

Etiam atque etiam Te rogo, velis hæc parti cuidam ſequenti inſerenda tradere, quo liqueat, me hoc certe in paſſu neglectus cujusdam redargui merito non potuiſſe. Sed omnia tamen judicio tuo relinquo. Libere mecum egit ac profecto amice amiciſſimus Linnæus, qui variis in epiſtolis varia nova circa plantas ſuamque methodum ſexualem erudite diſſeruit, libros a ſe edendos narravit, quin immo nonnulla in nova mea genera monuit. Seorſim communicato Gentianæ generico charactere, Centauroïdem meam libenter Gentianis adſcribo. Neque minus Doronica alia miſit Linnæus, Arnicæ facie, quibus ſemina

in

in radio nuda, in diſco pappoſa, quæ tamen ille a Doronicis minus ſeparat.

Laudatiſſimo quoque Viro (Linnæo) curas poſteriores de Corrigiola miſi, ad normam methodi illius ſexualis conſcriptas, quas ille a me efflagitaverat.

Certe incredibili deſiderio, methodi ejus intimius cognoſcendæ ac examinandæ ardeo, quæ adhuc demonſtrativæ proxuma mihi videtur. Expecto propediem illius methodum una cum corollario novorum generum & Floram Lapponicam, ac Criticam Botanicam, ut videam, an naturalem plantarum ordinem retineat, aut turbet.

Vellem mihi tuam dicta de methodo ſententiam exponeres, & ſcriberes, quæ Tibi ſemina a me mittenda ſint. Vale, meque ama. Jeveræ, a. d. 28. Octob. 1737.

152.

CHR. FRID. HÆNEL.

Utrasque tuas literas xv. Auguſti & xxi. Septembris ad me exaratas recte adcepi. Adcepi etiam exaſciatiſſimas ac limatiſſimas de Pedicularibus alpinis, de Veronicis, de vaſis Cordis & de ſanguinis per vaſa Cordis circuitu ſcholas, pro quibus decentes Tibi perſolvo gratias. Ingratas Waltheri tenebras *a*) dum ais me Tibi conſentientem

 habes,

a) Nempe dictionem obſcuriorem.

habes, idque ita interpretor, quod rariuſcule e tenebris prodeat, atque ipſa ejus ſcripta ſpiſſis ubique tenebris obruantur, ſed hæc in aurem! Variolæ undiquaque montium noſtrorum graſſantes multum operarum, non tamen adeo magnos ludos, certe mihi dederunt. Nemo unus (quod præfiſcine dixerim) ex plurimis curæ meæ creditus periit. Regimen temperatum, imo interdum frigidiuſculum, acida vegetabilia, nitrum, diæta, ant-alcalina, manna, Caſſia, Tamarind omne punctum tulere. Cardiacis tempore ſuppurationis aliquoties cum fructu uſus ſum, camphora non fuit opus. Vale. Dabam Snebergæ III. Decembr. MDCCXXXVII.

153.

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Dum varia eruditionis ſpecimina, quæ hactenus cum orbe erudito communicaſti, conſidero, maxime mihi gratulor de fautore, ex cujus inſigni ſcientia etiam in me egregia redundare poſſunt commoda. Erubeſco tamen, dum diſſertatiunculam de ſexu plantarum Tibi trado, probe perpendens, rem a me tractatam, ab aliis Cel. viris egregie jam tractatam fuiſſe. Requirebant auditores explicationem ulteriorem ſententiæ, quæ omnibus ferme contradictionibus eruditorum Lipſienſium vexatur. In me ſuſcepi negotium, licet probe intelligam, rem optimam male a me defenſam

defenſam fuiſſe. Arduum in vegetabilibus generationis negotium eſſe, ipſa animalis generatio demonſtrat. Deficiunt certe adhuc plura experimenta, multo labore ſuſcipienda, ſuſcipiam labores illos magno animi oblectamento, dummodo conſilia ſummorum Botanicorum mihi non denegentur. Addidi etiam diſſertationem aliam, in qua quæſtiones propoſui, peto igitur, ut tempore ita favente, perlegendo ea addas, quæ fortaſſis Tibi dubia viſa fuerunt, & eandem mihi reddas. Præcipue tamen de definitionibus moneas *, quæ ſtudioſum plantarum examen ſuadet. In his enim nullum alium agnoſco judicem, quam ſufficienti plantarum cognitione inſtructum. Hæc de Botanicis ſufficiant; temporis ratio nunc anatomica tractare jubet, ſtudia mea etiam hujus artis culturam requirunt, tiro tamen ſum, qui imprimis in præparatione anatomica, multa quidem tentavit, pauca tamen perfecit. Scio equidem inter myſteria anatomicorum, præparationem imprimis injectionem referri, interim dum pauca tantum requiro, tua conſilia mihi non denegabis; quomodo cinnabaris maſſæ injiciendæ intime miſceri poteſt? Licet addiderim ſufficientem cinnabaris copiam, tamen injectio pallida fuit, ut ſubtiliſſima vaſa vix diſtingui poſſent. Quomodo coronaria vaſa in corde maſſa ceracea impleri poſſunt? In injectione univerſali negotium non ſemper feliciter ſuccedit, vidi etiam corda, ubi vaſa coronaria ſepa-

*) De definitionibus nihil moneas, prolixiorem enim tractationem de his proxime tecum communicabo.

ratim injecta erant, ſed encheireſis mihi non eſt cognita. Oleum Terebinthinæ eſt liquor, quibus exſiccata utplurimum illiniuntur; ob odorem vero caput aggravantem, vix oleum hoc tolerare poſſum, an non alius liquor ſubſtitui poſſet? Ne in malam partem interpreteris, quod hiſce Tibi moleſtus eram, varia in his tento & multa jam proprio labore inveni, quæ alii denegarunt, ſi tantum quædam mecum communices, non ingratum habebis diſcipulum. Scio quidem experimentis diſcendum eſſe, interim, dum mihi curta ſit ſupellex, aliorum potius conſilia efflagitare, quam oleum atque operam perdere volo. In diſſertatione tua de diaphragmate, cauſam vomitus in ſolo ventriculo ponis, illudque ex ſitu & ſtructura diaphragmatis demonſtras; quæritur tamen, an non ante vomitum vel in ipſis vomitus intervallis depreſſiones violentiores diaphragmatis animadvertantur? vix enim crediderim ſolam tantum fibrarum ventriculi contractionem illud perficere, præcipue ubi jejuno ventriculo vomitorium ingeritur. De differentia ſinuum & auricularum in corde, quam Boerhaavius adeo urget, Winslowius vero prorſus negligere videtur, tuam expecto deciſionem, an ſinus ratione circulationis magis ad venas, quam ad auriculas referre velles? an diſtincta diverticula ſint? an recurſus ſanguinis venoſi hic tanquam continuus conſiderandus, diſtinctionem nullius momenti faciat. Vale, & fave tuo. Dabam Lipſiæ d. XVI. Novemb. 1737.

154.

154.

JOH. GESNERUS.

Redditæ mihi ſunt literæ tuæ humaniſſimæ per Parentes D. Corrodi, in quibus & adventum civium meorum nuncias, & pro inſigni in me benevolentia tuum erga me animum declaras, quem favorem gratiſſimo animo agnoſco. Illud vero jucundiſſimum fuit, quod de integra valetudine tua atque exoptatiſſimo ad nos adventu tuo nuncias. Paucis ante diebus quam literæ tuæ advenerant, redditus mihi eſt faſciculus tuus raris plantis & gratiſſimis muneribus literariis refertiſſimus, quæ & raritate argumenti & utilitate, & quod a Te profecta ſint, mirifice placuerunt: in eis facile principatum dederam folio primo ſcripti tui de Pedicularibus, quod ſpecimen eſſe potuit accurationis & induſtriæ, qua hiſtoria plantarum ſit tractanda. D. Lavaterus pharmacopœus noſtras artificium invenit præſtantiſſimum colorem coccineum (Karmin) Veneto nequaquam cedentem parandi ex Coccinella, quod propediem Commercio literario Norimbergenſi inſerere cogitat. Tiguri 13. Novemb. 1737.

155.

JOH. GESNERUS.

Etſi a longo tempore nihil a Te literarum viderim, hoc tuum ſilentium malui vel graviſſimis tuis

tuis occupationibus vel abſentiæ ab Academia tribuere, cum ex ſuperioribus tuis literis intellexerim, Te iter aliquod in animo habere. Imprimis placent ſpecimina Cel. Collegæ tui D. Segneri, qui non levem ſublimioris matheſeos ſcientiam cum experimentis phyſicis & medicis conjungit. D. Renier miſit faſciculum plantarum ſimpliciorum, ex quo denuo perſpexi, quos difficiles labores mei cauſa ſuſcipias, qui in tam abſcondita plantarum familia eo ſtudio, ea accuratione collecta & digeſtum plantarum faſciculum imo theſaurum pro me ſeponas. Tiguri ipſis Kalendis Januarii MDCCXXXVIII.

156.

CAROLUS LINNÆUS.

Permaneo hic in finem Februarii, ſi interim opus accedat, ſique Tibi placeat, curabo ut literæ proportionatæ pro claſſibus, nominibus genericis & ſpecificis ac ſynonymis adhibeantur; ſique alia in re ulla inſervire potero, me totum ad tua officia offero.

Dudum a Typographis abſolutus Hortus Cliffortianus adhucdum non prodiit, præ chalcographorum ſegnitiem.

Retulit mihi nuper D. Boerhaave, quod alter tomus Michelii hoc tempore ſudet, flagro videre Filicum flores *a*).

D. Am-

a) Non prodiit.

D. Ammannus ſcribit, ſe Societati Petropolitanæ obtuliſſe diſſertationem de Filicibus, quæ alia folia ſterilia, alia floriſera in eadem ſpecie producunt *a*). Sperat idem, quod ejus Tractatus de plantis Siberiæ & Tartariæ rarioribus intra proximam æſtatem erit paratus.

Retulit D. de la Croix, quod Reaumurius & de lapidibus commentare adgreſſus eſt, vereor quod in iſtis non tanta præſtet, ac in inſectis.

Si quid noveris de *Holoſteo* Dillenii, mecum communices, ego certe nunquam vidi Alſinem petalis trifidis; quot ipſi ſtamina? an decem? quot piſtilla?

Sic & de *Tribuloide* Tournefortii, quot iſti petala? an quatuor? qualis calyx, quot ſtamina & piſtilla? in tota Anglia & toto Belgio & tota Suecia fruſtra flores Tribuloidis quæſivi in herbariis omnibus.

Cum hinc diſcedam, quantum ego unquam novi, directe Gottingam peto, ut in Te reperiam Præceptorem in muſcis, utinam non oneroſum haberes.

Scripſi in Syſtemate, quod omnes agnoſcerent fundamentum fructificationis Botanici, niſi forte ſolus Heiſterus, quem inter Botanicos recenſui, videbatur enim mihi magnus iſte Vir negare

a) Struthiopteride.

gare hoc, dum a foliis ordines & genera inſtituebat. Hoc ægre ferens ille, ſcripſit ad Siegesbeckium, ut ejus partes in ſe ſumeret, qui ex ejus commendatione Petropolim acceſſit, aſſumſit & ut audio, Diſſertationem criticam, in qua me dure reprehendit, bonus vir, edit, qui toties antea ad me honeſtas literas dedit. Sic & amiciſſimus D. Ludwigius & ſe contra me quid tentaturum ultimis monuit. Ego facile victus, qui arma jam depono, qui nunquam me defendam.

Plura de his & aliis in verbis, cum advenero, ſpero me aliquid Tibi gratum præſtare poſſe.

Imprimitur hic Artedi opus (certe ſine pari) de piſcibus; obſtupeſcas ad ejus pinacem; habet genera, characteres, claſſes, ſpecies, nomina ſpecifica, differentias &c.

Ego methodos omnes Cæſalpini, Moriſoni, Raj, Knauti, Hermanni Boerhaavii, (quæ jam jam impreſſa eſt), Rivini, Ruppii, Ludwigii, Knautii, Tournefortii, Magnolii, meam de ſexu & calyce; Vaillantii & Pontederæ de Compoſitis, Scheuchzeri & Raj de Graminibus, Dillenii de Muſcis & Fungis, chronologiam generum &c. ut uno noto nomine noſcam, quid dicatur genus apud omnes ſyſtematicos, ut facile evolvant tyrones omnes methodos, & ſi unica deficiat, ſuppleat altera. Synonyma generibus ſemper addidi.

Abſit quod ego unquam defendam methodos artificiales, ac ſi ullo modo comparandæ eſſent

cum

cum naturalibus; utinam ſciremus plura de claſſibus naturalibus: hæc volante manu; feſtinanti calamo des veniam oro. Vale & in hoc cum bene multis vivas & floreas Botanicorum Decus & facile Princeps.

Dabam Lugd. Batav. 1738. Jan. 3.

157.

CAROLUS LINNÆUS.

Tot experimenta ſummi tui, Vir Illuſtris, in me favoris jam dediſti, ut plura Amico vel Mæcenati nulli me debere novi; O utinam unquam poſſem experimento declarare quo in favorem ſummum feror animo. Lapis eſſem vel mola, ſi tuis ſummis in me amicitiæ documentis non moverer; paternus plane eſt tuus in me ignotum animus; filialis & meus erit; ſpondeo ſancte.

Literas habui a D. D. Ludwigio, cujus animus per Te ſolum pacari potuit, amicum ſe fore promiſit. Cum Cl. Heiſtero quæſo ne agas, ne tuam proſtituas famam, dum indignum & idiotam defendis; ſera dein nimis medicina paratur, typis commiſſa dudum eſt Cl. Siegesbeckii Diſſertatio; reſpondebo cum accepero, ſed absque ulla animi commotione; nec malevolum verbum a me reportabit, licet millena ille effunderet in caput meum maledicta.

Salivam

Salivam movent ambo tui Tractatus, præſertim de Pedicularibus, quas ſpecies ego nunquam capere potui; exſpecto ea quam avidiſſime, tamen potius non mittantur, ne ſero nimis accedant & ſic pereant; gratiſſimæ erunt, ſi ex tuis manibus propriis eas accipere liceat; utinam mea præſentia non Tibi ingrata evaderet, amo muſcos noſſe; amo videre tantum virum, quique me paterne adeo amavit.

Shawii Specimen plantarum Africanarum per Barbariam, Ægyptum & Arabiam, impreſſum ante aliquot dies in folio, paginis 12. in quibus brevis catalogus plantarum 667. vegetabilium, forte manu Dillenii conſcriptum, ſed nimis compendioſe, unico ſolo nomine citato, vidi, ſed adhuc non accepi.

D. Burmannus edit jam plantas Africanas per Decades; tabulas primæ partis vidi, ſed doleo, nullas novas habet, tantum figuræ male depictæ ſunt, quas delineare curavit, (neſcio a quo in Africa depictæ) & a Plukenetio & Petivero antea datæ.

Accepi tandem Londino Polygalæ iſtius Americanæ ſpecimen, pro quo empyricus aliquis habuit a Societate Americana Anglorum mille libras anglicanas, quod radicem tanquam ſpecificum ſummum (neſcio ſane, in quo morbo) detexerat; habet hæc planta multa communia cum Penæa Plumieri. D. Gronovius ſine dubio eam inter

ſuas

ſuas plantas Virginianas deſcribit, utinam non tamdiu hæſitaret edere librum, (nimis timidus eſt): non crederes, quam multæ plantæ in Virginia cum noſtris Europæis communes ſunt. In Noveboraco Americæ ſunt Alpes, cum nix ibi in montibus per totam æſtatem perennet; inſtruo hic medicinæ ſtudioſum, qui ibi natus eſt & poſt annum redibit in ſuam patriam, qui iſtos montes adibit, vellem ſcire, num & ibi reperirentur plantæ alpinæ cum noſtris Europæis communes.

Accepi ultimis a D. Juſſieu, quod ejus frater, quem periiſſe dudum crediderat, in ſalvo eſſet; ſi redierit, bene multa ab eo habebimus. Acceſſit ante menſem *Bartſchius* Surinamam, qui mihi debet & officium ſuum, & quæ novit in Botanicis, vir, ſi quis alius diligentiſſimus, exſpecto ab eo multa; natione Germanus eſt.

Tuam Halleriam habent & D. van Royen & Burmannus vivis coloribus delineatam, ſi Burmannus iſtam non mox ediderit, edat d. Royenus; in Horto Lugduno-Batavo duæ ſpecies Halleriæ deſcribuntur.

Nil aliud novi habeo. Te plurimum valere jubent D. Royenus & D. Gaubius. Dabam Lugd. Bat. 1738. die 23. Januar.

158.

P. H. G. MOEHRING.

Prius, Vir Optime, ad ſuaviſſimas Tuas, d. 14. Nov. anni præteriti datas, reſpondiſſem, niſi ſimul animus, quædam Tibi mittendi ex juſſu tuo ſemina fuiſſet. Si quæ Tibi ſuperſunt, ex Alpinis aut Hercynicis, mecum, quæſo, communica; tempore jam, quo terræ demandari debent, propinquo. Pro miſſis ſummas grates ago, favoremque tuum ac amorem in me ut continues, peto, qui nonniſi ſummis in deliciis doctiſſimum tuum commercium litterarium habeo.

Quando Linnæus veſtram Georgiam Auguſtam adcedet? Summus ipſius methodo rigor profecto ineſt, in quibusdam a facie plantarum habituque externo ut recte quidem in noviſſimis Tuis indicaſti, nimis recedens, quoniam tamen a partibus magis conſtantibus, ſtaminibus ſcilicet ac tubis ſigna ſumit, utique, me judice, Rivinianæ longe præferenda. Quid ſi Rajana ac Hermanniana magis emendaretur? Expoſita paullo uberius mente tua de proportione plantarum externa, neceſſarios in conſignandis aptis obſervationibus labores Tecum lubenter ſubiturus eſſem.

Quando Synopſin ſtirpium helveticarum typis evulgabis? permultas ibi adcuratas obſervationes occurſuras eſſe, certe confido.

Cur

Cur mea de Antherico Linn. obſervatio in Act. Nat. Cur. Vol. IV. non reperiatur, exindè factum exiſtimo, quoniam nimis tarde Büchnero noſtro tradita eſt: ſunt enim & aliæ a me conſcriptæ eodemque tempore transmiſſæ obſervationes, quæ pro ſequenti volumine, teſtante illuſtri viro, adſervantur. Interim a Büchnero petii, ut hanc de Antherico obſervationem remitteret, ne crambem bis coctam adpoſuiſſe viderer.

Adportandas ſuaſu tuo Sileſiacorum Medicorum ſatyras curavi, quas cum judicio conſcriptas cognovi. Jam in perlegenda Linnæi Critica Botanica, ab auctore laudatiſſimo una cum aliis communicata ejusdem ſcriptis, occupor. Quid Tibi de exſtirpatione tot nominum videtur? certe plurimis hodienis Botanicis cum adpendicibus illis vocum ſolemnibus, *oides*, *aſtrum*, *aſter*, *ellus*, *ella*, *olus*, *olum*, &c. atram bilem movebit. Pleraque mihi placent. Occurrunt tamen quædam, niſi vehementer fallor, in quibus regulas ſuas ipſe minus adplicavit. Quod ſi forte Tecum jam ſit, humaniſſimam illi ſalutem dicas, oro. Vale. Scrib. Jeveræ, a. d. 28. Febr. 1738.

159.

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Ignoſcas, Vir Celeberrime, quod iterum incomptis meis literis tuos interrumpere labores

audeam. Animus Tibi deditiſſimus novum obſequii teſtimonium exhibere conatur, ut favor, quo debiles meas Muſas dignatus fuiſti, perennis maneat atque conſtans. Aphoriſmi Botanici, quos Tibi trado, exquiſitiſſimum tuum judicium poſtulant; cum enim plura in illis ulteriori limæ ſubjicienda ſint, Te veritatis ſtudioſiſſimum aggredior, Teque per tuum in botanicum ſtudium amorem obteſtor, velis fœtum huncce imperfectum, cenſura tua dignari, quo aliquando perfectior & ſtudioſæ juventutis commodis aptior evadat. Ne mireris quod phyſicam & medicam plantarum diſquiſitionem cum hiſtorica conjunxerim, expetunt illud amici, quibus tædioſum eſt ſimplici nominum & characterum conſiderationi inhærere. Sed non ſolum hæc fuit cauſa, ipſa ſtudii conditio urget phyſicam & medicam cognitionem hiſtoricæ jungere, illæ enim non niſi hiſtorica tractatione præmiſſa, ſufficienter excoli poſſunt; probeque perſuaſus ſum, nexum hunc etiam in aliis hiſtoriæ naturalis partibus requiri. Sed de nexu Hiſtoriæ naturalis & phyſices alia occaſione fortaſſis prolixius agam. Cum vero probe intelligam, cenſuram Aphoriſmorum non eſſe opus unius diei, enixe abs Te peto, ut proxima æſtate, horulam unam vel alteram hiſce corrigendis impendas. Imprimis vero definitiones tum part. I. Cap. II. tum etiam hinc inde exhibitas judicio tuo digneris, cum illæ nonniſi a rerum botanicarum gnaro examinari queant.

Cel. Linnæus, qui ex Belgio in patriam recedens

dens Te ſalutabit, neſcio quo fato ex litteris circa finem anni præcedentis ipſi traditis, animum meum inſidioſum ſuſpicatus eſt. Veneror Virum, cujus labores & ſcientiam omnes admirantur hiſtoriæ naturalis cultores, & cujus ſcripta nonniſi ſummo cum oblectamento evolvo. Fac ut ex commendatione tua diſcat, candorem & veritatis ſtudium magis calamum meum dirigere, quam vana inclareſcendi cupido. Si tempus permittit, evolvas cum ipſo quædam aphoriſmorum meorum capita. Vos enim præceptores agnoſco & dignos rerum botanicarum judices.

Judicium de plantarum generibus Cel. Linnæi, quod in diario quodam Gœttingenſi invenio, perplacet, probeque cognoſco, vel a Te ipſo vel ad minimum ſuaſu tuo elaboratum eſſe. Unicum ut ex Te quæram, permittas: an nimirum conſultum ſit Botanicorum & Anatomicorum doctrinas, terminorum multitudine aggravatas, germanico idiomate proponere, vel terminos illos lingua patria exprimere? Patriam amo, & linguam noſtram, quantum alia negotia permittunt, & quantum in me eſt, excolere cupio, negativam interim defendere haud dubitarem, cum incommoda haud pauca in ſcientias haſce redundent.

Fructus laborum tuorum anatomicorum maxime deſidero, probeque perſuaſus ſum diligentiam tuam botanicam non minorem fore. Unicum in votis haberem, ut cum Cel. Linnæo de veritatibus botanicis eſſentialibus & fundamenta-

libus tandem aliquid certi, quantum in ambiguo hoc ſtudio fieri poteſt, concluderes; Veſtris placitis libenter accederem, & cum in ſtabiliendis ſcientiis, ob virium defectum nihil perficere queam, fortaſſis in illis explicandis aliquid præſtarem. Adventum Cel. Linnæi maxime exopto. Niſi forſitan Lipſiam videndi ipſi jam animus ſit, fac ut ſuaſu tuo id fiat, eo ipſo enim me Tibi reddes obſtrictiſſimum, imprimis ea de cauſa, quia ſermone prolixo de iis inſtrui cupio, quæ inter Vos acta fuerunt.

Ut de Poëticis quædam addam, Laurea, quam Academia Veſtra Celeberrima Zeunemanniæ exhibuit, quibusdam diſplicuit, aliis vero probata fuit. Quo fato illa coronata fuerit, ex Te ſcire cupio, cujus ſententia in rebus poëticis maxima ſemper habita fuit & habebitur. Excuſes prolixiores litteras, & me impoſterum etiam favore tuo dignum judices. Vale. Dabam Lipſiæ d. 7. Martii 1738.

Finitis jam litteris epiſtola a Botanico Moſcovienſi amiciſſimo Gerbero ſcripta mihi traditur, in qua litteras a D. Siegesbeckio ad illum olim ſcriptas invenio, in quibus acri calamo me & meas definitiones aggreditur. En occaſionem: Gerberus judicium meum de Siegesbeckianis ſcriptis, imprimis de primitiis Floræ Petropolitanæ, expetit; libere ſentio ut commercium litterarium amicum poſtulet, & ſequentia addo: *Wenn wir mehr ſolche Botanicos bekommen als Herr D. Siegesbeck*,

gesbeck, ſo werden wir endlich mehr genera bekommen als Pflanzen, doch werden die genera ſynonymica den gröſten Theil ausmachen. Petroburgi aperiuntur litteræ & quidem contra omnem expectationem, Siegesbeckius ea vidit, quæ contra ipſum ſcripſi, & tunc iratus me vehementiſſime aggreditur. Reſponſorias placido animo elaborabo, auxeſin meam limitabo, vel potius ex adductis generibus ſynonymicis contra neceſſitatem aſſumptis defendam, oſtendamque ultra neceſſitatem Siegesbeckium genera immutaſſe, quod negotium erit facillimum.

160.

C. G. LUDWIG.

Cum ultimas meas per nuntium publicum mitterem, varia adhuc commodiori occaſioni reſervabam, quæ nunc Tibi trado. In catalogo Boſiano Pſeudo-Acacia icone depingitur, cui nomen Boſiæ deſtinaverat Hebenſtreitius, cum vero Yervamora a Linnæo ita fuerit appellata, animum mutavit, & ſine nomine convenienti apoſuit. Fructus maxime adhuc incertus eſt, reliquam plantæ deſcriptionem fugitivo calamo conſcriptam addo. Arbor eſt exotica, folia pinnata extremo impari gerens, in ſpicis fert floſculos confertiſſimos. Calix tubuloſus ſuperius leviter dentatus. Petalum unicum ſemitubuloſum, ſuperius galeæ inſtar ſubrotundum coloris cœruleſcentis quodammodo obſcurioris. Stamina ad plu-

rimum duodecim, diverſæ longitudinis, inferius leviter cohærentia & quaſi vaginam formantia. Ovarium in medio hæret ſubrotundum, ſtylo ſimplici intra ſtamina erecto. Hebenſtreitius de hac planta inpoſterum fortaſſis plura diſſeret, in Actis Eruditorum Lipſienſibus. Si caſu incidis in plantam ſimilem, imprimis in recentiore auctore Anglo (ex Anglia enim miſſa fuit) communices quæſo. Linnæum videndi & cum eo ſermones miſcendi maximo deſiderio flagro, fac tuo ſuaſu, ut ſpes mea inanis non ſit. Si nundinis proximis quædam hic Lipſiæ agenda ſunt, fac ut ſciam, me ſemper habebis promptiſſimum. Vale, & fave. Dabam Lipſiæ d. xx. Martii 1738.

161.

CAROLUS LINNÆUS.

Accepi & ultimas, jucundiſſimas tuas literas die XI. Febr. datas; ſed morbus graviſſimus, qui me per ſex & ultra hebdomadas vexavit, lectoque detinuit, omnes meos circulos turbavit; ante aliquot dies repullulare incepit ſanitas, hinc diſceſſi Lugduno in Hortum Cliffortianum, ibi ut liberiores haurirem auras, ſpiritusque colligerem viresque.

Perlegi ſumma cum voluptate ſub morbo meo utramque tuam diſſertationem, de Veronicis & Pedicularibus, in utrisque, uti ſoles, Te Virum præſtitiſti; utinam haberemus plures ejusmodi ſtudio

ſtudio & doctrina conſcriptas! Incipio jam videre methodum tuam, addiſcam, tentabo & eandem viam, ſi potero.

D. Siegesbeckii ſpecimen verioris Botanoſophiæ cum Epicriſi in mea ſcripta, ab amico transmiſſum accepi. Author fuit mihi valde durus; utinam hæc ſcripſiſſet, dum primum edideram tractatulum, addidiciſſem juvenis, quod ſenex addiſcere cogor, abſtinere a ſcribendo, videre alios, tacere ipſe; quæ me dementia cepit, qui tantum conſumſi temporis, tot horas, noctesque in artem tales quæ proferat fructus; ludibrium ut evaderem orbi; argumenta ejus nulla ſunt, ſed exclamationes, quales vidi nunquam per totum librum. Si reſpondeo aut taceo commaculor utrinque. Rationes non intelligit.

Negat ſexum; laſcivam meam ſtatuit methodum, quum tamen non plura de polygamia plantarum ſcripſi, quam Swammerdam de apibus. Ridet meos characteres & provocat omnes, an ullus eos intelligat; terminos artis non novi; judicat me ſecundum principia Riviniana, & ſexcenta peſſima.

Ut ille me depreſſit, ſic Tu, qui & doctrina & ſapientia ſimul inclaruiſti magnus, me erexiſti; horreo tamen, cum nimia tua in indigniſſimum accumulata elogia perlego; utinam unquam locus eſſet exſpectandus, in quo meum teſtari poſſem animum, quem erga Te foveo; utinam non

moriar, antequam aliquod ſpecimen Tibi exhibere potuerim.

Uvam urſi C. B. non novi; Tournefortii certe cum mea eadem eſt; folia noſtræ per exſiccationem ſæpe rugoſa evadunt, & tum ne ſi eſſent punctata; nil certi tamen de C. B. novi.

Quamprimum reconvaleſco, ſeu circa finem Aprilis, ego Pariſios petam, uti ibi collectanea Tournefortii, Plumieri, Suriani &c. inſpiciam; jam enim occaſio mihi eſt, forte nunquam poſtea, ſed Pariſiis non ultra menſem dimidium degam, mox Caſſeliam Gottingamque retrorſum iter in patriam inſtituam, & tum forte Tibi gratior accedam menſe Junii vel ad finem Maji. Vellem & videre Bibliothecam Diſnardi, ſi vivit, & inſecta Reaumurii; Juſſieuii bene multa rara ex Peru per fratrem accepere.

D. Boerhaavius aſthmate laborat (vereor vomica) tamen adhuc omnia munera ſubit, Academiam vero ob gradus aſcendere nequit.

Huc usque dum perveni, acceſſit ſuaviſſima tua epiſtola d. 14. Mart. data. Viciæ ſunt peſſimæ, varietates plures ibi, ſed obſcuræ; Trifolia non omnia facilia, generis character peſſimus, certe non a figura leguminis vel numero ſeminum hauriendus.

Cliffortius nil reſcribat antequam mittat ad Te ſuum

ſuum Hortum, quod poſt 14. dies, ut ſpero, vel ſummum 20. fiet.

Ero apud Te, ſi vixero ſanus, ad 1. diem Junii vel circiter; Tibi debeo, quod D. Ludwigium evaſerim.

Si quæ dubia circa ſpecies eſſent, quæque per Herbaria Tournefortii dilucidari poſſent, vel ſi quæ alia grata Pariſios præſtare poſſim officia, quæſo moneas, modo libros mecum trahere per longam viam eſſet mihi difficillimum, qui plurimis onuſtus ſum ſarcinis.

Si propriis ſumtibus mittas Botanicum in Alpes, certe nullus major eſt Botanices promotor & reſtaurator quam Tu, ipſe qui nimium laboras. [*Miſi.*]

Jacobus Sherard mortuus eſt, & nil reliquit Dillenio, (licet absque liberis deceſſerit,) quod miror.

162.

G. A. ALBRECHT.

Haud ſcio, Vir Excellentiſſime, an haſce meas literas ſolita frontis ſerenitate accepturus ſis. Certe eſt, quod timeam, ne iraſcaris mihi, qui per integrum ſemeſtre officio meo, meum Tibi per literas oſtendendi obſequium, defui. Neque tamen fas eſt dubitare, quin, pro ea, qua polles, huma-

humanitate veniam mihi haud recuſaturus ſis: quam precibus humillimis impetrare, quam inani ſermone, ad cauſam meam defendendam concinnato Te offendere, ſatius eſſe duco. Non poſſum non ſingularis cujusdam in cadavere fœminino obſervati & a Cl. Albino ante aliquot ſeptimanas demonſtrati naturæ luſus, vel erroris potius, mentionem brevem injicere: Aperto nimirum abdomine & inteſtinis exemtis, nulla venæ emulgentis ſiniſtri renis, ubi aortam tranſcendere ſolet, veſtigia apparebant. Aſcendebat autem ſatis notabilis ad renem ſuccenturiatum ramus, qui ſpermaticam venam largiebatur. Emulgens vena examine alteriori, ſolito profundiori ex vena cava orta, ſub aorta procedens, & circum vertebras lumborum profunde ſurſum flexa, forma S ad renem progrediebatur. Mirum videtur, quomodo hæc vena a duabus magnis arteriis aorta & emulgente continuo compreſſa, ſuo officio rite perfungi potuerit. Duo præterea in eodem cadavere lienes, & hydatis ad ovarium magnitudinis ovi gallinacei occurrebant. Memini, Vir Excellentiſſime, Te cum Gottingæ verſarer, ſæpius de plantis quibusdam maritimis, quarum ſpecimina deſiderares, locutum eſſe. Optarem ut locorum, in quibus terra easdem alit, notitiam haberem. Quod ſi Tibi, Vir Experientiſſime, non alienum videatur, loca harum plantarum natalitia mihi indicare, vel ſi graviora, quibus obrueris, negotia id recuſent, indicanda curare: nullam prætermittam occaſionem atque operam, ut inveniam quæ requiris, eaque reverſus in Germaniam Tibi tradere

dere queam. Deſideras forſan, Vir Excellentiſſime, de ſanitate Illuſtr. Boerhaavii, quem Te magni facere non ignoro, certior fieri. Fruitur venerandus ſenex ſingulari & raro ætati tam profectæ mentis atque corporis robore, & nihil de induſtria, qua Medicinæ dogmata tradere ſolet, remittit: tantum abeſt, ut hoc anno lectos ægrorum in Noſocomio decumbentium viſere, & ibi bis in ſeptimana medendi methodos explicare inceperit, quod per decem annos uſu non eveniſſe relatum accepi. Quæ reliqua ſunt, Tibi, Vir Experientiſſime, ut & Viro Nobiliſſimo Hubero, fauſta atque felicia omnia apprecor, atque obſecro, ut me meaque ſtudia Tibi habeas commendatiſſima, meque denique credas &c.

Dabam Lugd. Batav. die 21. Martii 1738.

163.

P. H. G. MOEHRING.

In ſpecierum deſcriptionibus adornandis & ego hucusque totus fui, quum veterum plerumque mancas conſpicerem. Gaudeo itaque, Te una cum egregio Dillenio a partibus meis ſtare. Adæquatas, hanc viam, laborioſam quamvis, ingreſſi, hac ratione plantarum notiones adipiſcemur, nec opus aliquando erit, ulterius hariolari. Doleo tamen, tot Viros academicos, qui eum in finem annuo ſtipendio ornantur, alta quiete frui, ſtudiaque & operas neceſſarias cane pejus & angue

gue fugere. Quid nobis Vaterus v. gr. in Botanicis aut Alberti reliquit, qui tamen ſtirpium copia gaudent? taceo reliquos paſſim, qui Tibi cogniti ſunt. Verus ardor ſcientias evehendi in multis exſtinctus eſt.

Incipit civis tuus, D. D. Franc. Zieglerus in alma Haſſo-Schaumburgica magno conatu botanicen ac hiſtoriam naturalem colere. Redux ex Helvetia his diebus multa mihi foſſilia & petrefacta promiſit. Miſit quoque ſemina una cum novis academicis, & plura pollicitus eſt. Ex eodem Celeb. Salzmannum & Dom. Eichrodt, Archiatrum Durlacenſem, animam efflaſſe, intellexi.

Durum habebis nodum, & fere Gordium, evolvendum, quando ex proportione plantas diviſurus es. Nonne hoc modo nimia claſſium, ordinum, generum copia evaſura eſt? Sed quis talibus ſuſcipiendis Te major, Te argutior exſiſtit?

Cæterum curioſa ſunt & egregia, quæ in Anatome obſervaſti. Utinam mihi corporum ſecandorum facultas eſſet! locus tamen, quem incolo, ab hiſce ſtudiis alieniſſimus eſt.

Quum Gedani apud D. D. Joh. Ad. Kulmum verſarer, multa nobis ad manus erant cadavera, in quibus varia particularia obſervabamus. Promittebat quoque laudatus Kulmus, ſe easdem editurum eſſe; vereor autem, ne optimus Vir ni-

miis,

miis, quibus abundat, laboribus ſuccumbere debeat. Notatu ſeorſim dignum judico, inter tot cadavera vix unum alterumve fuiſſe, quin cartilaginem enſiformem, duplicatam haberet: unus triſarium inciſa gaudebat. Dato otio, notabilem coli ſitum, ibidem a me obſervatum æque, ac delineatum Tecum communicabo.

Quæ de nominibus Linnæi botanicis ſcribis, ad Criticam ejus botanicam adtinent, qua de Tibi jam ſcripſi, varia in laudatiſſimo alias opere occurrere, ubi aphoriſmis ſuis ſat ipſe minus agere videtur: v. gr. *contra* §. 221. eſt nomen Cornu copiæ, quod vid. *p.* 18. Ad *pag.* 40. cur Pyrolam retinuit? Lemna, quamvis Theophraſtus ad inſulam reſpexiſſe videatur, nimis tamen cum inſula Lemnos concordat, unde nominum confuſio, ſi extra connexionem conſpiciantur. Cur Crucianellam retinet? nonne Elatine nimis convenit cum Elate? *ad pag.* 47. Tetragonotheca ſine dubio ad nomina terribilia & ſeſquipedalia pertinet, *p.* 135. propoſita: ſic & Meſembrianthemum. Quid porro Mirabilis, Glorioſa, &c. ejus ex hypotheſi *ad* §. 222. cur reliqua rejecit, & tamen Sapindum, Paſſifloram, Sanguiſorbam, Saxifragam & Sempervivum retinuit? ſic & eodem modo, quo Cardamindum & Corindum deleverat, *in* §. 223. & Tamarindus expungi debuiſſet; ne quid de hujus ſimilitudine cum Tamariſco dicam: *Pag.* 61. & 68. cur Tuſſilaginem, & Hepaticam & Pulmonariam retinuit? ſufficiant hæc pauca. Id modo probare contendo, tam diu

nomina

nomina auctorum ſpecifica melius adſervari, quam diu veræ differentiæ ſpecificæ latent. Quodſi ad Te adcedat Linnæus, dicta humaniſſima ſalute, cogitata hæc ipſi oſtende, illumque excita, ut philoſophiam ſuam botanicam, quamprimum fieri poteſt, in vulgus edat. Quum enim inventis facile eſt aliquid addere, ejus veſtigiis majori alacritate inſiſtere poterimus, ſenſimque majora adpetere.

Num typis exſcripta ſunt, quæ Siegesbeckius contra amiciſſimum Linnæum ut & Ludwigium monuit? nec mihi placet via iſta eriſtica, qua animi nimium moventur, nec ſcientiæ ornantur. Longe me quoque remotum a quibuscunque polemicis eſſe, reſponſum meum exemplo ſit, quod D. D. Rückero dedi, quum logomachiam in definitione paraphrenitidis viderem; conf. *Comm. litt. Nor. A.* 1736. *hebd. L. II.*

Cæterum fateor, Siegesbeckii obſervationes, paſſim in Miſcell. Vratisl. &c. occurrentes, mihi nunquam placuiſſe. Multis pauca dicit.

Miror, Heiſterum, Te perhibente, quieſcere. Nondum menſis elapſus eſt, quo plurima mihi ſemina miſit, variaque a me efflagitavit.

Quod ſupereſt, vix me parem conficiundæ Floræ Jeverenſi adgnoſco. Eſt tuus in me favor, qui ultra merita me excitat. Faciam tamen, quæ potero, & ſiccas prima occaſione certiſſime mittam. Tu autem, orbis medici decus & ornamentum,

mentum, vive diu nobis incolumis, mihique porro fave. Jeveræ, 17 $\frac{28}{3}$ 38.

P. S. Vix hæc calamo exceperam, quum Royeni litteræ advenirent, in quarum involucro exteriore, ſive rubro, ut ajunt, Linnæi manum, niſi me omnia fallunt, conſpexi. Extollit Royenus Linnæi methodum mirum in modum, hortique catalogum ad ſexualem normam, ceu augurari licet, componet.

164.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HÆNEL.

Literas tuas XI. Decembr. a. p. ad me exaratas accepi, neque eſt quidquam cauſæ cur dubitem, Te eodem ipſo tempore meas per Heiſterum ad Te curatas, obtinuiſſe. Ex iisdem colligere potuiſti cauſas longioris ſilentii, non fictas aut excogitatas, ſed veras, ipſam veritatem teſtem cito. Ad easdem nunc mihi confugiendum eſt denuo, multitudinem negotiorum, frequentiam itinerum cauſans, quod officio literario adhuc ex voto non potuerim facere ſatis. Sane, quam diu ſpiritus hos reget artus tui meo nunquam excidet animo memoria, ſancte ſemper colenda, neque committam unquam, ut jure quodam amicitiæ leges a me violatas mihi objicere poſſis. Hæc ab amico candidoque pectore profecta ſufficient amico, uti ſpero. Iter Lipſiam

inſtituendum certo certius meditabar, quod tamen amicorum quorundam ſub duro morbi jugo gementium precibus coactus differre debui. Schachtium fato ſuo defunctum eſſe audivi, eademque fata expertus eſt Salzmannus Argentoratenſium Profeſſor. Deus in poſterum crebriores ejusmodi clades a Republica Medica averruncet! Waltheri diſſertatio de Oſcitatione oppoſita eſſe videtur Plattneri Programmati de Muſculo Digaſtrico. Ægro animo tuli, quod Te in ea leviter punctum vellicatumve deprehenderem. Pruritui iſti aſperſo ſale & pipere, non oleo illito, aliquando mederi poteris. Pro communicatis mecum obſervationibus anatomicis in Theatro Anatomico notatis debitas perſolvo gratias. Utinam neque iſtas, nec de monſtro libellum diutius orbi erudito invideres! Utinam etiam tam felici eſſe liceret, ut Ephemerides Veſtrates, quibus nonnullas earum inſertas eſſe ſcripſiſti, volvere revolvereque daretur! Veſter vero Werlhoffius, quando nam tela ab Hahnio in iſtum conjecta retorquebit? Diſſertationem ejus de Secta methodicorum diu quæro, ſed incaſſum. Meibomiana multa apud eum latent Mſta, & inter iſta magnum de Vitis Medicorum diu promiſſum opus, non illis tenebris, ſed luce digniſſimum. Memorabilia, quæ mihi hac hyeme occurrerunt, fuere hydrops cyſticus ſeu ſaccatus ingens, omnibus ſalvis viſceribus, hydatide ovario ſiniſtro adhærente, utero ſede ſua moto. Pervicax niſi fuiſſet vetula & puncturam remuiſſet, facile potuiſſet ſervari. Porro notatus fuit in uno eodemque fœtu tumor ſero-

ſus

ſus ſpinæ dorſi (de quo vide Ruyſchium & Salzmanni Diſſertat.), cum aneuryſmate arteriæ ſpinalis, dein anus non perforatus, ne ullo quidem ejus veſtigio conſpicuo, inſerto nempe in veſicæ partem poſteriorem inteſtino recto, ex qua urachus omnimode apertus, ſphinctere quaſi inſtructus, fæces per umbilicum excernebat. Duplex non minus aderat appendicula vermiformis. Partes omnes inter ſupellectilem anatomicam, quam auctam vel amicorum favore, aſſervo.

De communicatione venæ Portæ cum vena Cava & uteri vaſis, quam & Winslowius admittit, nec non de ἀναστομώσει arteriarum & venarum ſpermaticarum cum arteriis & venis meſaraïcis quænam pro compertis habes? Vale & ama tuum Hænelium! Dabam Snebergæ IX. Maji MDCCXXXVIII.

165.

D. LUDWIG.

Gratias Tibi habeo maximas, quod varia in hiſce litteris mecum communicare volueris, quæ non levioris momenti judico, & quæ in exercitiis anatomicis proxime ſuſcipiendis in uſus meos convertam.

Cum ea, quæ Gœttingæ elaborantur, non ſat cito ad nos perveniant, inſignem in modum peto, ut ea, quæ ex calamo tuo prodiere, prima

data occaſione ad me transmittas, nullam tranſire faciam occaſionem, qua Tibi animum gratiſſimum demonſtrare potero; nunc nihil ad manus eſt quam collectio Odarum, quibus ea, quæ ex Tuis, permiſſu tuo, inſerta ſunt, maximum ſplendorem addunt. Gottſchedius noſter multis nominibus Te ſalutat, una cum reliquis ſocietatis Germanicæ membris.

Linnæum maximo deſiderio expecto, multa enim ex ejus colloquiis in re herbaria mihi promitto commoda. Vidi Siegesbeckii Botanoſophiam, attamen hoc conſpectu me nondum puduit, me quædam in aphoriſmis tentaſſe, pauca enim notatu digna vel nova inveni in illo ſcripto. Epicriſis in ſcripta Linnæi nullius eſt momenti, interim miror, quod tam moderato calamo ſcripſerit, acerbioribus verbis uſus eſt in Gerberi litteris, ubi meos aggreditur conatus, licet non negem in Epicriſi etiam quædam verba mutari poſſe, quæ Linnæo nimis dura videbuntur.

In puero quatuor annorum vidimus volvulum a vermibus, nidus enim verminoſus maxime extendebat inteſtini jejuni portionem, & ſimul intrabat in eandem pars inteſtini contractior. Dabam Lipſiæ d. 13. Maji 1738.

166.

JOH. GESNERUS.

Tardius opinione mea & quam decebat ad Te veniunt literæ meæ, quas diutius diſtuli, ut de Her-

Herbario Scheuchzeriano & reliquis, quæ ex me quæris, plenius ad Te reſponderem. Accidit vero, poſtquam diu exſpectarem viduæ Scheuchzerianæ reconvaleſcentiam; demum intellexerim totum apparatum literarium filiolo trienni ſervare conſtituiſſe: ut jam & ipſa videndi & potior ſpes herbarium emendi cadat, niſi cogitationes ſuas mutet. Interim humaniſſimis Tuis d. 11. Maji ad me ſcriptis reſpontionem meam antevertis: in iis quamvis triſtia modo nunties, id unicum tamen vel gratiſſimum accidit, quod veræ tuæ & immutatæ amicitiæ luculentiſſimum ſpecimen ſtatuas, qui me doloris tui æque ac gaudii participem & conſcium eſſe cupis. Obitum filioli amantiſſimi vehementer doleo & lugeo, quem enim in tenerrima ætate Bernæ ſuaviſſimum videram, in partem non potuit non increſcente ætate Tibi maximæ eſſe lætitiæ, & majus idemque triſtius deſiderium morte ſua relinquere. Hæc & ſimilia Benigniſſimus DEUS, qui nos pro ſua voluntate ita regit, ut cuncta ſuis in melius cedant, clementer avertat, Tibi inprimis priſtinam ſanitatem reddat, & morborum initia fuget. Quod ad meam attinet ſanitatem, eam ex prægreſſo morbo multum & diutius labefactatam ſenſi, & ex nullo magis quam ex hoc: nunc ſenſim redeunt vires, quas tamen mutata tempeſtas mirifice mutat. Utor ſero lactis, herbis naſturcinis cum cichorio alteratis: progreſſurus ad uſum acidularum. Ex nulla re magis quam ex motu moderato reficior. Negotia mea ſenſim ſenſimque minuuntur: praxi medicæ fere valedixi, pau-

ca ſunt collegia privata, & publica nonniſi tres horæ cum Amanuenſibus ex voto meo. Ad Feſtum Felicis & Regulæ publice de Habitu Philoſophiæ naturalis ad publicam privatamque utilitatem accommodatæ dicam. Jubeor interea compendium matheſeos & phyſicæ conſcribere, quæ nunc fere unica mea negotia. Synopſeos edendæ conſilium etiam atque etiam placet, & in ejus inſcriptione & ordinatione ad ea, quæ me attinent, integro tuo arbitrio utere, nefas enim foret, in eum quem tot exemplis probatum habeo amicum, & cujus amicitia tanto ſemper ſolatio & fructui mihi fuit, non planiſſime confidere. Ad quæſtiones tuas quæ reſpondeam vix habeo, de Scheuchzerianis herbis vix alia novi quam ex libris ſuis impreſſis, reliquos inſpicere nolui ob rationes, quas facile conjectaris. Bauhinianæ ſtirpes, de quibus quæris, Tibi, qui Herbarium Bauhinianum examinaſti, melius notæ ſunt quam mihi. Pedicularis viſcoſæ nullam deſcriptionem habeo; eam namque, poſtquam in Valeſia Tecum legi, ex eo tempore nusquam vidi. Si ſanitate firmior fuiſſem, hac æſtate Rhætiam petiiſſem, ut & petitioni tuæ, & precibus D. Huberi, & meo in his rebus ſtudio ſatisfacerem, ſed nimium me fractum viribus ſentio, quam ut longo & difficili itineri me tuto committam; diſſuadent etiam parentes & amici omnes; brevius mihi conſtitutum eſt in Fractum montem Lucernenſium, ut & ſpecimina plantarum legam, & raras obvias examinem, & recentes herbas hortulo meo inferam; qui nunc meo & amicorum ſtudio augetur.

Ex

Ex Italia nihil novorum librorum; Michelii opera & ſcripta botanica pro Muſeo Hetruſco ſervantur; ei ſucceſſit Botanicus D. Targionius, qui reliquam operis partem perficiet, ut ſcribunt, D. Abbas Viali catalogum foſſilium, quem promiſit, dabit. D. Attilius Tilli, Profeſſor Botanices Piſanus, præcipua foſſilia pro ambulacro Horti ornando coëmit. Quæ mihi offers foſſilia, gratiſſima erunt, id vero mihi grave eſt, quod nullam plane occaſionem habeam, qua plurima & perpetua tua in me benefacta mutua officiorum viciſſitudine poſſim referre. Tiguri 12. Jun. 1738.

167.

CAROLUS LINNÆUS,

Soc. Acad. Imper. & Reg. Pariſinæ.

Acceſſi tandem Pariſios, hic per menſem degi, exotica non pauca vidi, Orchides Vaillantii fere omnes florentes examinare licuit ad fontem Bellilaqueum; *Orchis* areneum referens & fucum & muſcam ſunt varietates; addidici ex ſpecimínibus florentibus. *Crambes* characterem in filamentis ſtaminum (uti Brunellæ) conſiſtere, ſunt enim filamenta lateralia ſex quatuor majora bifurca: ergo ad Crambes genus ſpecies non omnes Rapiſtri amandari debent.

Vidi Suriani & Tournefortii & Juſſieuiorum Herbaria, pulchra omnia, varietates ex illis addiſcere & ad ſuas genuinas ſpecies referre difficile

fuit, differentias ſpecificas vero eruere difficilius. Vidi Bibliothecas tam publicas quam privatas botanicas bene multas, ut jam jam in ſtatu ſim, ut edam alteram Bibliothecæ editionem, habeo enim nunc duplo majorem librorum numerum.

Juſſieuius ſenior praxi detinetur, nec unguem a Tournefortianis diſcedit, novit ſpecies bene, ſed eas nimium multiplicat. Juſſieu junior (Bernhardus) eſt Botanicus ſat bonus, incipit obſervare attente, a me addidicit Te diſtinguere ab aliis Botanicis.

Quæ mihi diu promiſerant fata in Belgio, abiturus non obtinui omnia; debui itaque privari ab exoptata diu veſtra patria; debui per mare, viam breviſſimam, redire in patriam meam; ſed quamprimum ibi mihimet aliquot pecunias comparaverim, iterum abibo, & ni brevi moriar, Germaniam veſtram videbo; flagro enim videre fodinas veſtras, Friſchii inſecta, Hebenſtreitii conchas & Te & tuas plantas.

Audivi nuper a Germano, Te minus bene valere, tuſſique laborare calculoſa, inque animum induxiſſe redeundi in Helvetiam; quod ſi ſic ſeſe habeat, maxime doleo; hæc præmia laborum!

Si ad me poſtea literas dederis, mittantur Stockholm, & eas habebo certas. Det Tibi Deus fata proſpera; vivas mei memor, qui tuus cultor devotus ſemper permanebo. Vale & ter vale! Dabam Royan. 1738. Jun. 22.

168.

168.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Literas tuas pridie Calend. Julii exaratas recte accepi in Thermis Carolinis, in quibus a diebus feſtis Pentecoſtes miſeram traho vitam, obrutus negotiis, vix libere ſpirans. Id vero cauſæ eſt, quod reſponſum ad hunc usque diem differre fuerim coactus. Fando audivi, Hahnium & Werlhoffium amicas ſæpe ſibi ſcribere literas. Non eſt igitur quod dubitem de comitate Werlhoffii in arenam denuo cum Hahnio deſcenſuri, cujus diſſertationem de Secta Methodica adhucdum inter meas deſidero, nonniſi per Te acquirendam. Idem mihi dicendum venit de diſſertatione D. Hugo, in qua de diverſis plantarum methodis ſua animi ſenſa explicuit. Obſtrictum me Tibi profitebor, ubi ne iisdem caream in poſterum curæ cordique habeas. In anaſtomoſes ultimis meis memoratas proxima hyeme curioſius inquiras Te rogo vehementer. Dari anaſtomoſin Venæ Cavæ cum Vena Portarum νῦν ἐν ἁγίοις Ruyſchius aſſeruit, teſtantibus ultimis ejus ſcriptis, & Bohlii epiſtola ad eundem ſcripta. Neque dubitavit amplius de iſta re Boerhaavius, uti ex ultima Inſtitutionum editione conſpici poteſt. Winslowius, aſt quam exactus, quam cautus, ne dicam quam timidus, Anatomicus! de iſtis tanquam de re certiſſima loquitur Tr. de arteriis & venis p. 265. & ſeq. Tr. de abdomine p. 238. & 239. 471. 476. 617. 618. quod vix fuiſſet

ſacturus, niſi de rei veritate convictus. Attamen multum intereſt hæc ſcire, cum Stahlius, & qui ejus ſuum adſcripſerunt nomen hæreſi, quævis ſymptomata hypochondriaco-hyſterica ex hoc fonte derivent, ſolo excepto Salzmanno, horum placitorum admiratore, qui diſertis hanc Anaſtomoſin negat in Diſſertatione de Vena Portarum, neque aliam admittens, niſi illam hæmorrhoidalium in- & externorum in limbo Inteſtini recti, de qua jam eſt locutus, niſi memoria me libris deſtitutum fallit, Bartholinus. Neque Nicolai, nec Caſſebohmius quidquam potuere detegere. In Thermis Carolinis 17 $\frac{24}{8}$ 38.

P. S. Scribis, Te puerum hernioſum ſecturum, atheroma inveniſſe in glandulis ſalivalibus & inguinalibus more Vogelii. Quem vero Vogelium intelligis? Num chirurgum Lubecenſem, an alium quendam? Res iſta jam pridem Ravio aliisque nota fuit. Hebræo, de quo loqueris, ptyaliſmum vix quidquam profuturum putarim, ob rationes a Boerhaavio in præfatione ad aphrodiſiacum dictas. Id vero expertus ſcribo. Vale!

169.

D. C. G. LUDWIG.

Literas haſce per Morgenbeſſerum, Med. Doctorem, Tibi tradere conſtitueram, cum vero ante abitum ejus multis detinerer negotiis, ejus adventum Tibi annunciare, eumque Tibi quam maxime commendare volui, debuique. Fuit ille

per

per quadriennium contubernalis & amicitia ſtrictiſſima mihi junctus, ita ut, ſi in cognoſcendo ſtatu literario Göttingenſium, vel etiam conſiliis de itinere in Belgium & Galliam ſuſcipiendo, illi prodeſſe poſſis, fac ut ſentiat, favorem quem erga me oſtendiſti, etiam in amicum redundare; ſi quod eſt, quod vel Tibi vel amicis tuis præſtare potero officium, certo perſuaſum habeas, me illud nunquam intermiſſurum eſſe. Tradet Tibi amicus ille plagulam a Scharſchmidio Berolinenſium Profeſſore elaboratam, in qua cor in ſyſtole pulſare aſſerit, & ex Winslowio deducit. Varia mihi hac de re oborta ſunt dubia, quæ auctori in litteris privatis communicaſſem, niſi errorem timerem, in re tam dubia. Te igitur majorem in modum rogo, ut breviſſimis ſententiam tuam hac de re exponas, quo tandem vel in Scharſchmidii ſententiam abire, vel meam defendere poſſim; Tu enim hac in re exercitatiſſimus es, variaque ſuſcepiſti experimenta. Sequentes vero me movent rationes, cur illi ſententiæ contradicam: primo enim omnes cordis fibras ſeſe uno momento conſtringere putarem, alteroque relaxari, quoniam adeo arcte connexæ ſunt, ut transverſales ſive arcuatæ vix a longitudinalibus ſeparari queant; deinde arcuatæ & longitudinales vix unam omnes ſervant directionem, ſed varie decurrunt ita, ut vix antagoniſtas dixerim, tandem etiam ob arctiſſimam connexionem nullum habent punctum fixum in tendine quodam terminatum, id quod tamen ſi antagoniſmus eſſet, quam maxime requireretur.

Noli

Noli obliviſci me Aphoriſmos meos botanicos Tibi tradidiſſe, quo cenſura tua digneris, maximo enim deſiderio flagro monita tua audiendi. Linnæum in hunc uſque diem non vidi, expecto tamen, licet ambiguus ſim, quid de ejus adventu ſperare debeam, cum & nullas amplius litteras accipiam. Proximis nundinis Tibi quasdam plantas exoticas exſiccatas mittam, ſimul etiam omnia mea gramina, ut & muſcos & lichenes apponam, quo per hyemem haud gravatim nomina adſcribas, ſcio enim Te in his quoque exercitatiſſimum eſſe, ego vero in hac Botanices parte hoſpes plane ſum, licet enim Scheuchzerum ſæpius perveſtigaverim, tamen nihil ſolatii ex illo percipere potui, forte mea ex culpa!

Dabam Lipſiæ d. XXVII. Aug. 1738.

170.

D. LUDWIG.

Unicum eſt cur mox reſponſorias paro, ſcilicet cur Linnæus nos inſalutatos tranſivit, ſi rationem ſcis, cur hoc ipſi ita placuerit, exponas quæſo. In ultimis litteris ſe certo Lipſiam videre velle ſcripſit; expectavi in hunc usque diem, & certe nunc video, omnem ſpem me feſelliſſe. Ita vale & me ama. Dabam Lipſiæ d. 27. Aug. 1738.

171.

171.

CHRISTIAN. FRID. HÆNEL.

Literæ tuæ d. IX. Aug. exaratæ adhucdum in Thermis Carolinis commoranti traditæ fuerunt, & perlectæ.

Campanulam Echii folio & hic, & circa Jenam jam tunc temporis inveni, quum officio Archiatri Geræ apud Comitem Ruthenum fungerer; Anonidem non ſpinoſam in Saxonia. De Siſymbrio noſtro nihil dico, neſcius, quam proprie plantam intelligas. Vellem exemplar iſtius ad me mitteres vel ad Te remittendum. Vale! Dabam e Thermis Carolinis ipſis Calendis Septembris (quibus epiſtolam tuam accepi) 1738.

172.

P. H. G. MOEHRING.

Et morbus, quocum diu, magno rerum mearum detrimento, conflictatus ſum, & poſt ea ægrotantium copia, & horti tandem inevitabiles curæ, veniam a Te, Fautorum & Amicorum Optume, ſpero, impetrabunt, qui reſponſionem ad ultimas Tuas ex una in alteram ſeptimanam differre debui. Sed in poſterum eo diligentiorem me reperies. Mitto jam deſcriptionum botanicarum bigam, ut ſuper illis judicium tuum candide mihi aperias, num in una alterave deſcriptionis

tionis parte deſiderata claritas deſit, an non. Selegi haſce ex aliis, quoniam a Linnæo noſtro, quantum ego quidem cognoſcere potui, in Flora Lapponica vel ſuis generibus adſcriptæ non ſunt, vel plane non deſcriptæ, & ad falſam claſſem amandatæ. Speciatim de antherico illo cogitationes tuas prima oportunitate mihi transſcribas, enixe contendo: iconem enim paravi nativis coloribus ac magnitudine, quæ cum deſcriptione ad Acta Nat. Curioſ. mitti propediem debet, ut defectus obſervationis de Aſphodeliride olim mea reſarciatur, qua de perill. noſter Büchnerus haud ita pridem me commonefecit.

Ubi Linnæus? magno deſiderio flagro audiendi, num apud Te jam ſit.

Neque Dortmannia, neque Tribulus aquaticus apud nos creſcunt; poſterior tamen copioſe in foſſa oppidana Vitembergenſi prope portam, *das Elſterthor*, & ubique fere in Saxonia, circa Serveſtam &c. provenit. Sparganium minimum, ni fallor, ante annum in itinere apud nos vidi, quod quæram ac deſcribam. Num Huberus, quo de ſcribis, ſemina quoque ad Te ex Rhæticis Alpibus mittet? num munere publico vir ille jam gaudet? Adceſſiones meæ hortenſes adeo creverunt ex donis Linnæi, Cliffortii, Royeni, Heiſteri, Ziegleri &c. ut novam eamque ſyſtematicam parare catalogi de hortulo meo editionem poſſem; ſed ubi bibliopola, qui ſumtus erogat pro typis & forſan iconibus addendis? vivo in angulo terræ, ubi ejusmodi homines non occurrunt.

Adcepi

Adcepi nuper ex Norwegia ſtellam marinam, τριχναιδε καταχτινα mediæ magnitudinis Fiſchero apud Linck. de ſtellis marinis, quæ plenius deſcribi poſſet; & erucam marinam habeo, quæ errorem, a Seba in Theſaur. rer. natural. commiſſum, commonſtrat. Vale, Vir amantiſſime, meque ut feciſti, porro ama, & Linnæum, ſi adcedat, officioſiſſime ſaluta. Jeveræ, $17\frac{7}{9}38$.

173.

JOH. GESNERUS.

A deſideratiſſimo itinere alpino, quod pluribus de cauſis & Tui præcipue lubentiſſime ſuſcepiſſem, iterum morbus idemque non levis detinuit. Ex vernali meo decubitu nimis præmaturæ me frigidæ auræ committere & negotia novi muneris mei ſuſcipere coactus, reſtitantibus priſtini morbi reliquiis parum certe per id tempus valebam; exiſtimabam iter alpinum febri meæ eryſipelaceæ aptiſſimum fore remedium, id etiam tempus, quo cum doctiſſimo D. Hubero idem aggrederer, exſpectavi impatiens: ſed antevertebat conſilium meum morbus cum gravioribus etiam ſymptomatibus, quam alias conſueviſſet invaleſcens, ut eo ipſo die, quo Tigurum pervenit Ornatiſſ. Huberus, febri acuta cum crebro vomitu & vomituritionibus decumbens, nec quidem eum colloqui conceſſum fuerit: nihil mihi reſtabat, quam ea ipſi præſtare officia, quæ parentes & fratres ſuſcipere poſſent. Hoc morbo per aliquot

ſepti-

ſeptimanas decumbens ab omni negotio publico & privato impeditus fui. Ex eo tempore uſus ſum acidulis Brocenſibus optimo DEI gratia ſucceſſu, ut etiam nunc meliuſcule habere incipiam quam ante binos meos acceſſus morboſos. Nunc ad negotia redeo. Die 9. Septembris publicam inauguralem orationem habui de Habitu Philoſophiæ naturalis ad publicam privatamque utilitatem accommodatæ. Vota dedi conjugalia Nobiliſſimæ virgini Eſcheræ. Parentes & amici etiam inde mihi meliorem ſanitatem ſperant & optant; nuptiæ erunt in ſex ſeptimanis. Herbarium Scheuchzerianum & apparatus literarius intercluduntur, ut inde parum novi aut utilis pro noſtro opere depromi poſſit. Excerpta Boerhaavii cum Diſſertationibus meis ad Te mittam per noſtros mercatores. Mihi deficit tomus, qui generationis hiſtoriam continet; malus homo mihi abſtulit. Vale & me ut ſoles ama. Tiguri 13. Septembr. 1738.

P. S. Lues Bovina in ditione noſtra jumenta invadit, (aliquando & equos) malum eſt triplicis generis. In aliis malignus & acutus contagioſus morbus paucorum dierum ſpatio terminatur, cum tumore inſigni abdominis in latere ſiniſtro, qui abit vel in ſuppuratione, unde ſanatio: vel in ſphacelum mortiferum, diſſecta animalia lien ſphacelo corruptum exhibent. Aliis pulmo ſcirrhoſus & corruptus vomicis infectus eſt. Tertius morbus eſt vermium hepatis. Tres homines improvidi, qui priori morbo laborantia animantia occidebant, ex eſu carnium in acu-

tam

tam febrim cum bubonibus inciderunt, ex quibus unus occubuit trium dierum ſpatio. Ipſe etiam morbus miteſcit.

174.

PAUL. HENR. GERARD. MOEHRING.

Noviſſimas Tuas, a. d. 6. hujus adceptas, ſumma voluptate perlegi: permulta enim memoras ſcitu jucunda. Sed quid intelligis per miſſum iter Hercynicum & monſtri deſcriptionem? num hanc typis evulgaſti, illud vero ſuſceptum ad finem perduxiſti? quid per grande illud rei botanicæ exoptatum, quod moliris?

Arctopus aliunde notus non eſt, niſi ex deſcriptione manca Linnæi. Quod ſi exemplar ſiccum Tibi ſupereſt, illud mecum communica, quæſo.

Miſit quoque hic amicus ſpecimina duo operis Weinmanniani, cujus commentarius, ſermone Belgico donatus, & quibusdam Burmanni adceſſionibus auctus, apud Rombergium Amſtelodami prænumerationis lege prodit. Rombergius colores oleo ſaturatos ſumſit, qua in re prærogativam præ originali ſe habere, cujus colores frequentiori tactu permutari dicit.

Quod ad editionem commentarii in Inſtitutiones Boerhaaveanas adtinet, ne quæſo, Vir Op-

tume, dole, ſed data oportunitate notas in aphoriſmos ejus practicos & materiem medicam nobiſcum communica. Saluberrimum permultis, qui ipſum Boerhaavium non audiverunt, præſtabis officium. Nonne natus es in incrementum artis noſtræ, cujus tot jam edidiſti ſpecimina? Vale, Vir Optume, pluraque propediem expecta, qui nunc totus diſtractus ſum. Scrib. Jeveræ, a. d. 12. Dec. 1738.

P. S. Antherici fructus, quando perfecte maturus a ſole exſiccatur, levi digitorum adtactu in tot, quot Linnæus deſcripſit, latera, arcte alias conniventia, dividitur, quod poſtea vidi.

175.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Literas tuas XXVII. Septembris ad me exaratas accepi, accepi etiam Obſervationes Botanicas, Diſſertationem de Monſtro & Delineationes, quæ a te miſſa puto, literis licet haud monitus. Tu vero, Amicorum Optume, ubi plantis quibusdam ab Hubero allatis, maxime vero, præparatis, quæ vocant, quibusdam Anatomicis, quibus facile abundas, ſuperſedere queas, eorum fac mihi, amabo, copiam, nulla ſane re, quam quidem ultimis, majorem a me initurus gratiam. Quæcunque in me contuleris beneficia, in gratum contuleris. Tuam, quod in obſervationibus botanicis amicitiam, erga me, publico teſtatam reddere volueris,

volueris, grata agnoſco mente, idem facturus tenebris niſi aſſuetus in lucem prodire pudore forſan ruſtico prohiberer. De Walthero quid dicam, ipſe fere neſcio, qui & ſemper, & nuper etiam Lipſiæ pluries Tui honorificentiſſimam fecit mentionem, atque quanti Te faciat, præſentibus omnibus teſtatus eſt. Putarim igitur malo iſta animo haud ſcripta eſſe, quæ Tibi atque Boerhaavio, nunc inter Divos, ab ipſo oppoſita putas, etiam per Morgenbeſſerum in plerisque Tecum facientem. Ipſi tamen aliud quaſi agens reſponſurus eſſem, cum & ipſe Te ſaltem obiter notarit, neque de profeſſo auſus ſit quidquam. In anaſtomoſin vaſorum venæ Portarum cum illis venæ Cavæ hac hieme ut inquiras ſollicite, iterum iterumque rogo. In Delineatione, ubi oſteogeniam Albini recenſes, dicis, foramen illud F. 24. & 25. Lit. O. per quod arteriæ interioris caroticæ ramus egreditur, autori delineatum, jam ab Ingraſſia deſcriptum haberi, id quod tamen invenire non potui, cum Ingraſſias ſaltem ſcribat, iſtam arteriam, aliis venam dictam, per idem foramen cum nervo optico e calvaria exire. In deſcriptione fœtus bicipitis pag. 8. contendis, venam umbilicalem & ductum venoſum magnam venarum copiam hepati impertiri, quam ſententiam poſt multos veterum etiam nuper fovit Hebenſtreitius, in programmate de differentiis fœtus, cui tamen poſt Gliſſonium & Morgagnium ſe oppoſuit vir eleganter doctus, Günzius, in Commentario in librum Hippocratis de reſectione, in quo ſimul cauſam tuam contra Trewium egit. Evol-

vas, quæſo, locum iſtum, atque quæ tua de illo mens ſit, candide aperi, non enim diffiteor, me hactenus hæreſi Gunzianæ addictum fuiſſe, ſic edoctum a Salzmanno atque Nicolai νῦν ἐν ἁγίοις. Occaſione eorum, quæ pag. 39. Lit. a. docte diſputas, ea in mentem revocavi, quæ Boerhaavius in Inſtitutionum etiam editione noviſſima §. 202. & 203. habet, ubi quidem ſanguinem in pulmonibus ab aëre hauſto refrigerari omnino negat, & ad occultam quandam facultatem confugit, ipſe, qui cum Helvetio, Hambergero & Haleſio in chemico refrigerium aëris in pulmonibus, pluribus experimentis operoſe ſatis adſtruxit, quod docet diverſa arteriarum & venarum in toto corpore capacitas, diverſa ventriculorum cordis magnitudo, arteriæ in pulmonibus venis grandiores, copioſiores, & ipſe aër ex pulmonibus redux factus thermometro mobili afflatus, qui liquorem contentum mox mirum quantum elevat, vel ipſo ſyrio ardente, atque externo aëre jam calidiſſimo. Injuria ergo provocat ad thermometrum. Quantum ergo caloris aëri accedit, tantum pulmonibus & ſanguini neceſſario decedit, qui inde compactior, ſolidior, graviorve factus, a venis pulmonum & paucioribus & minoribus arteriis, a ſiniſtro cordis ventriculo minore dextro, atque ab arteria aorta, quam venæ cavæ capacitate ſuperant, capi & in novum circulum agitari queat. Dum meminiſti oſſium cranii ab hydrocephalo deletorum, reminiſcor & ego infantis decimeſtris ex hydrocephalo defuncti & exſecti a me. Omnia ita fere inveni, uti deſcripta habentur a Walthero,

thero, oſſa tamen non deleta vel deſtructa dici poterant, quæ potius duplo majora erant, quam juxta leges naturæ illa eſſe decet, inſignem omnino thecam formantia, ſed tenuiſſima, membranæ pergamenæ ſimillima, nullibi locorum inter ſe cohærentia, ſed ſpatia iſta reſarciebantur denſiſſima membrana, nata ex pericranio & dura coaleſcentibus in unum. Num igitur aqua in theca contenta oſſa cranii per harmoniam ſaltem ſibi invicem juncta a ſe invicem ſeparavit? Num diviſio oſſium ſufficientem rationem oſſium in tantam magnitudinem luxuriantium præbet? Nonne falſiſſimum illud ſignum diagnoſticum Hydrocephali in partibus extra cranium hærentis, quod nempe digiti impreſſi veſtigium relinquat, quod hic ſemper fiebat, licet ne guttula quidem lymphæ extra cranium inveniretur? Quæ probabiliſſima & frequentiſſima Hydrocephali fœtus cauſa? Nonne iſta in compreſſione jugularium a funiculo umbilicali facta quærenda? Mirabilem & huic multum affinem caſum etiam præterita ſeptimana obſervavi. Vocatus nempe ad fœminam parturientem, hactenus felicem undecim liberorum matrem, fœtum ad caput usque excluſum reperi, qui vero ob imperitiam vetulæ obſtetricis nomine indignæ, & incuriam, abdomine matris abdomen reſpiciebat. Exploraturus ſitum capitis illud monſtroſæ omnino magnitudinis deprehendi, & in latus dextrum detortum, facie verſus inguen dextrum parturientis ſpectante. Breviſſimo tamen temporis ſpatio ipſum in lucem nullo, niſi manuum adminiculo uſus, uti

ſemper ſoleo facere, protraxi, miratus magnitudinem capitis maxime verſus occiput. Mater a me quæſita, ſi quam injuriam externam gravida paſſa eſſet, reſpondit: ſe ante has ſex ſeptimanas præcipiti lapſu abdomine in terram procidiſſe, ab iſto tamen, & brevi ante partum tempore, vegetum ſemper fœtus percepiſſe motum. Caput diſſectum ſequentia phænomena exhibuit.

a) Totum caput oedematoſum erat, maxime ad occiput & regionem temporalem ſiniſtram.

b) Totum pericranium in duas lamellas, maxime in occipite diviſum erat, ſuperiore nempe a nexu ſoluta.

c) Duæ iſtæ lamellæ nectebantur invicem mediante ſubſtantia celluloſa, intra quam copioſa lympha rubella effuſa erat.

d) Oſſa cranii omnia a nexu ſoluta naturalem habebant ſoliditatem, ſingula tamen majora, quam quidem eſſe debebant, certe! illa bregmatis exacte menſurata majora, quam in viginti craniis adultorum, quæ ad manus ſunt, ſive longitudinem, ſive latitudinem conſideres, fuerunt deprehenſa.

e) Hiatus dexter inferior, Cl. Nicolai Fontanella inferior, dictus Decad. Obſervat. Anat. quem & ſequitur Waltherus de Membrana tympani, ex pericranio & dura matre factus ruptus repe-

reperiebatur, per cujus foramen forſan lympha illa rubella eruperat.

f) Remotis oſſibus (quod facile fiebat, cum dura mater cum toto cranio non niſi laxe cohæreret, ab oſſe parietali dextro vero ita omnino ſoluta eſſet, ut inter os illud & duram matrem ſanguinis in grumos concreti trium unciarum quantitas latitaret) duram matrem ſalvam omnino & incolumem reperimus, nec niſi in loco hiatus inferioris laceratam, ſub qua ſanguinis multa lympha diluti tres libræ medicæ reperiebantur, fonte reperiundo nullo, unde profluxerit.

g) Arachnoïdea undiquaque locorum erat conſpicua, in bullas a lympha in ea ſtabulante elevata.

h) Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, nervi omnia ſana inveniebamus.

Tantum quidem feſtinanti & furtiva ſectione licuit obſervare, utinam totum cadaver in uſus noſtros fuiſſet conceſſum, quod hic ſperare non licet!

Verum vale! Snebergæ $17\frac{24}{12}38$.

176.

D. LUDWIG.

Gratias Tibi perſolvo maximas, quod erudita tua opuſcula mecum communicare haud dedignatus fueris, egregia multa inveni, quæ fuſius laudare modeſtia tua inſignis prohibet. De commentario Boerhaaviano & Tibi & mihi gratulor, mihi certe quoniam nunc in collegio privato, quo Boerhaavii inſtitutiones medicas explicare ſoleo, officio interpretis ſatisfacere potero; varia enim in illis veritati contrariari viſa ſunt, quæ certe nunc melius perpendere & auditoribus explicare potero. Utrumque enim fallax eſſe credo, & præjudicio auctoritatis obſequi, & tanti Præceptoris effatis contradicere. Beneficium egregium mihi exhiberes, ſi ſex vel octo plagulas priores, ante paſchatos feſtum occaſione favente ad me transmitteres, quo in principio collegii phyſiologici methodum docendi ita inſtituere poſſem, quo auditores reliqua in commentario evolvant. Reliquas vero libri plagulas per Cunonem, cui in nundinis vernalibus nummos ſolvam, expectarem. In conſcribenda diſſertatione de cuticula nunc ſum occupatus. Vale. Dabam Lipſiæ d. XII. Jan. 1739.

P. S. Jam obſignatæ erant literæ & in Bibliopolio Gleditſchiano oportunum expectabant nuntium, quum vero menſis ferme præteriverit,

&

& varia acceſſerint tecum communicanda, illa addidi & curſori publico tradidi. Ad diſſertationem de cuticula quod attinet, illa elaborata fuit, quum experimenta de corpore reticulari repeterem, habuimus enim ante quinque ſeptimanas Europæum æthiope nigriorem in theatro noſtro anatomico. De cuticula quædam jam conſcripſi, quum vero me nunc ad corpus reticulare convertere velim, & in lingua & in cute tanta mihi obveniunt obſtacula, ut ſæpius jam calamum ſepoſuerim. Conſiliis tuis me adjuves quæſo, ſi forte quædam jam tentamina, vel quædam meditationes in animo hærent. In cute aquæ fervidæ immiſſa tenacius quodammodo inveni, uti cruſtam tenuiſſimam caſei recentis, in maceratione vero & putrefactione diffluit inſtar pigmenti, ita ut omne ſecedat mucidum corpus, niſi poſt primam macerationem alkoholi inmittatur, ubi non diffluit, ſed perſiſtit, ulterioribus vero experimentis vix ſubjici poteſt. Proxime experimenta in lingua inſtituam, dabo ea, quæ invenero. D. xi. Febr. 1739.

177.

J. JACOBUS DILLENIUS.

Diſſertationum botanicarum biga & faſciculus Muſcorum cura Dn. Senkenbergii rite ad me pervenerunt, pro quibus gratias ago. Accepi etiam litteras tuas, quibus citius reſponſum dediſſem,

ſi mihi licuiſſet deſiderario tuo de Muſcis ſatisfacere. Nec tamen ut ſatisfaciam, adhuc licet; cujus cauſa eſt, quod Muſcos meos in ordinem non redegerim, cum quibus ut tuos, antequam de iis decernere queam, conferam neceſſe eſt. In eo autem ſum, ut eos digeram, & abſolvi jam Confervas, Usneas & Coralloide: nunc vero Lichenoidis generi immerſus hæreo, e quo ubi me extricavero, quod menſis ſpatio futurum ſpero, Hypna & Brya aggrediar, & tunc eadem opera transmiſſos a Te, qui Hypna tantum & Brya cum Polytrichis quibusdam complectuntur, cum meis conferam & examinabo, quales ſint & quantum a noſtris differant. Quam moram ne ægre feras rogo. Lente enim progredior, quoniam ſimul deſcribo & obſervationes meas in ordinem redigo, quas, ſi licuerit, quas licuerit, publicæ luci dabo.

Impræſentiarum ut quodantenus vobis reſpondeam, de iconibus transmiſſis hæc habe: Veronica alpina Bellidis folio hirſuta congruit cum noſtris exemplaribus: altera, quæ inſcribitur Veronica alpina floribus congeſtis, calycibus hirſutis &c. in eadem Tabula mihi nova eſt.

In altera Tabula Aſtragalus alpinus acutifolius ochroleucos, congruit cum planta, quam a Scheuchzero habuit G. Sherard pro Aſtragalo pyrenaico Barbæ Jovis folio non ramoſo, flore ochroleuco glomerato Tourneſ. de quo is quædam habet Itin. Alp. IV. p. 330.

Plan-

Plantarum alpinarum ſpecimina ſi data occaſione mittere velis, conferam lubenter cum noſtris & ſimili methodo procedam. Velim autem quæ mittes, ut ſub numeris mittas, ſi enim eosdem tuis adjeceris, fiet ut mihi nominum transſcriptionem compendifacies; plura enim me urgent negotia botanica, quam abſolvere poſſum.

Pergratæ mihi fuerunt Diſſertationes tuæ botanicæ, e quibus quædam addidici, & inter alia intellexi, ſervari in familia Bauhiniana Herbarium C. Bauhini. Velim, ut quæ de hoc noſti, mihi perſcribas, nempe qua conditione illud ſit, quam amplum, an ipſe C. B. nomina adſcripſerit, & an hæredes id vendere in animo habeant, in cujus manibus id ſit, & qua ratione id obtineri queat.

Gaudeo Te in loco conſtitutum ſtudiis tuis reſpondente, & ſpero te nobis lucem aliquando allaturum de dubiis Sylvæ Harciniæ plantis, a Thalio obſcurius deſcriptis. Si juſſeris, earum, quas non intelligo, Catalogum mittam.

Conterraneus veſter, Cl. Amman Petropoli in eo eſt, ut de ſtirpibus rarioribus Ruthenicis librum edat. Londini olim mihi cum ipſo amicitia interceſſit, & frequens mihi cum ipſo litterarum commercium.

Quodſi

Quod ſi ſignificare volueris, quænam Tibi grata futura ſint ſemina, mittam quæ habemus. Mei autem moris eſt, nulla, niſi quæ deſiderantur mittere. Quæ nobis deſunt, ſimili ratione peto & miſi deſideratorum Catalogum ad Dn. Senkenberg & Hampe, ut data occaſione transmittant. Vale faveque. Oxonii 16. Jan. 1739.

178.

PAUL. HENRIC. GERARD. MOEHRING.

Lux animo, Vir optume, honorum adceſſiones dignas gratulor, qui ſummum enixe numen precor, velit rebus tuis conſtanter adeſſe, ut ea, quæ mente meditatus es, optato cum ſucceſſu in lucem emittas. Gratulor quoque de alpino itinere ſuſcipiendo, ejus in decurſu ut mei non numquam recorderis, humaniter rogo. In anteceſſum jam mihi de divitiis naturalibus inde reportandis blandior.

Nonne fruſtula quædam de androdamante ſelenitico phosphorico helvetico Tibi ſuperſunt, aut de petrefactis? promittebas noviſſima certe æſtate quædam, delectu prius a Linnæo habito; ſed quum is non adceſſerit, largiorem meſſem a Te ſpero, qui in lapidum ac mineralium collectione adhuc pauperculus ſum.

Tandem

Tandem doce, quæſo, Vir optume, ex quibus herbis notiſſima illa infuſa, Faletranc Suiſſe & Thee de Suiſſe dicta, conſtent; utrumque diverſum eſſe, illud ſaporis amaricantis e grandiuſculis, & hoc ex minutulis foliis ſummarum Alpium conſtare, edoctus fui. Vale, meque ama. Scrib. Jeveræ, d. 16. Jan. 1739.

179.

ADRIANUS VAN ROYEN.

Geminas, amicorum dulciſſime, a Te habui litteras, totidemque ſtirpium faſciculos, pro quibus grates refero amicitiæ tuæ & liberalitati debitas: quamvis autem ad primas, niſi multum fallor, haud diu poſt paucis reſponderim tuamque neceſſitudinem per litteras ſtudioſo medicinæ traditas ardentibus votis imploraverim; tamen, ſi quid adverſus ſanctiſſima amicitiæ jura commiſerim, (id quod præſens facti memoria agnoſcere nequit) commiſſi veniam peto & omni animi contentione imploro.

Ecquid novi dedere Sylvæ Hercyniæ aut Alpes Rhæticæ, quod nec Thalius nec Scheuchzerus aliive offenderant? Profecto velim ſcire, an Hortum alas, in quem divitias, quas Tibi in ejusmodi excurſionibus utiliſſimis per ſemina comparaveris, transferas, nec ne? utut enim mihi gratiſſima fuerint ſiccarum ſtirpium dona, non

non minus tamen accepta forent ejusmodi ſeminum munera, quæ inſignem Horto mihi commiſſo ſplendorem & decus addere poſſent: ad hunc ergo articulum ut in proximis mihi reſpondeas pro neceſſitudine, quæ mihi Tecum intercedit, humaniſſime expeto: par pari referre conabor, & quotannis ſemina transmittam, ſi deſideraveris. Diſſertationem quam petiiſti, inauguralem hactenus mihi comparare non potui: interim utramque orationem inaugur. habeas cum faſciculo ſeminum & plantarum ſiccatarum: in ultimis ipſe ſum pauperrimus, cum ſtirpibus exſiccandis vix tempus mihi ſuppetat: colligam tamen in poſterum eas, quas tibi gratas credam & utiles, quam primum vel minima nobis Deus otia fecerit; nam jam ab aliquo retro tempore negotiis fere obruor, cum ſolitis exercitiis in Horto, Academia, & privatis ædibus praxis Boerhaaviana docenda acceſſerit. Præterea jam ſub prelo ſudat Floræ Leidenſis Prodromus, quem impreſſum mittam, licet ſolis Medicinæ & Botanices ſtudioſis, non vero jam in arte Magiſtris conſcriptus ſit. Hac Florula abſoluta Ericetum edere eſt animus, hinc ſi quas Ericas præter Africanas, quas, credo, omnes teneo, communicare poſſes, dulce mihi præſtares officium: ſed nullum hic in mora periculum, nam ad minimum biennium excurret, antequam hoc opus ſuſcipiam, ſi vitam largiatur Deus. Scias interim nihil mihi gratius eſſe, quam tuos videre labores & inde proficere. Vale, tuoque favore & amicitia me proſequi perge.

Dabam Leydæ ad d. 3. Martii 1739.

180.

CHR. FRID. HÆNEL.

Binas abs Te accepi literas, priores d. xx. Januarii, posteriores die xxvi. Februarii exaratas. Mei officii esse puto, licet occupatissimus sim, ad eas vel ideo respondere, ut pro pulcherrimo dono, aureolo nempe scholarum Boerhaavianarum, quibus longe doctissimas illuminationes addidisti, libello gratias, quas possum maximas, Tibi decernam. Istum, tanquam longam satiaturus famem, avidissime devoravi, admorsos ungues sapientem sane! nemo istum opus trium mensium judicabit, nisi qui solidam & profundam Halleri doctrinam novit. Utinam vero totus liber luce dignissimus jam prostaret!

Heisterus, mordax ille, semper alios mordet, quem Stahlianus quidam aliquando probe dedolabit. Quantum illum superat & humanitate & modestia in arte Clarissimus Hallerus! nunquam alio nisi demonstrationum elencho, unice vero, usus, quod vel responsum ad dubia a Walthero mota satis testatur. De ramis a vena umbilicali ortis, & per hepar copiosissime in fœtus sparsis, nunc nihil amplius dubii restat, quos post Hebenstreitium etiam Waltherus nuper in Programmate de Venæ Portæ hepati asseruit, in quo honorificam omnino Tui mentionem injecit. Libros, quos nuper a Te emptos scribis, mihi furreptos scias velim, quemadmodum Cuno testabitur. Icones

nes in Mundinum Venet. 1513. nullibi, etiam in Lindemio renovato, reperio. Scribis ſub manu eſſe elegantes Diſſertationes Albini & Raauwii, & quænam, amabo, illæ ſunt? Noſtine Diſſert. Anatom. Iruchion, quarum meminit νῦν ἐν ἁγίοις Boerhaavius §. 296. Inſtitut. edit. 1734.? Paceſſioni Viridetus, Everſe, Eulerus toties tibi laudati, ubi, quando, & qua forma iſtine prodiere? Pag. 414. nota 13. citas diſſertationem propriam, ſed non novi quam intelligas. Gmelinus de glandulis Meſenterii mihi porro ignotus habetur, neque Kohlhanſium vidi.

Vale, Amiciſſime Hallere, æternum artis noſtræ decus, & mihi porro fave! Schnebergæ die XIII. Martii MDCCXXXIX.

181.

P. H. G. MOEHRING.

Tandem Cliffort. hortus & Weinmann. operis editio batava in via ſunt. Plura de utroque libro, quamprimum redux es. Quando autem id fiet? Velis tamen ſanitatis tuæ curam in via gerere, quum optumus Franc. de Ziegler certiorem me reddiderit nuper ſimulque doluerit, Te viribus tuis tenellis non parcere: ſed hæc amice dicta, amica fronte excipias, quæſo.

Summopere gaudeo, Te a Montio &c. ſemina adcepiſſe, dum modo idoneus Tibi per abſentiam

tiam tuam hortulanus ſit. Sed forte Brendelius quoque integerrimus curam directionis horti ſuſcipere poterit, quem officioſiſſime ſalutes, precor.

Jeveræ, a. d. 20. Martii 1739.

182.

JOH. GESNERUS.

Rediens ex ancipiti & plurium menſium morbo ad mea ſtudia, nil prius, nil antiquius, nil carius habui, quam ad Te, Vir Excell. ſcribere, partim ut de ſummis honoribus, quibus Regia Majeſtas Te jure merentem cumulavit & ornavit, gratularer ex animo, partim ut pro gratiſſimis & bene multis iterum iterumque ad me miſſis muneribus literariis & doctiſſimis lucubrationibus tuis, itemque foſſilium & plantarum ſpeciminibus, eximiis Tibi quas debeo gratias agerem. Quod maximis qui in medicum cadunt, honoribus Titulo namque Medici Regii auctus ſis, mecum omnes qui Te norunt, imprimis parentes & fratres mei, itemque amici tui Ampliſſ. Blaarerus, Nob. Wyſſius, Bodmerus & alii, lætiſſimum nuntium habuere, & tuo id merito factum jure exiſtimant. Plantæ & foſſilia cum eruditiſſimis ſcriptis tuis non tantum amoris tui in me plane ſingularis evidentiſſimum teſtimonium, ſed ſingulari quoque mihi gaudio fuerunt. Tu viciſſim, quæ a me pendere poſſunt, omnia merito exſpectes. Quod vero in ſcribendo tamdiu moratus ſim, cauſa

cauſa eſt morbus, qui circa finem præcedentis anni nec opinantem, ſed optima ſanitatis ſpe cum cariſſima conjuge fruentem, ſubito invaſit, & cum diſcrimine me tenuit ad medium Martium, ita etiam ut de morte mea non vulgaris per urbem aliquoties rumor ſparſus fuerit. Invadebat autem morbus ſpecie febris veræ miliaris, quæ iteratis inſultibus ter rediit, unde etiam multum debilitati corporis moleſtias ad hunc uſque diem perſentiſco. Animus eſt DEO propitio ſanitatem uſu Acidularum & Thermarum Badenſium firmare; quantum vero ad valetudinem meam adferret, ſi, cujus in penultimis literis tuis nobis ſpem feciſti, Tecum Badæ commorari liceret, facile conjicies ex eo amore & cultu, quo Te proſequi mihi fas eſt. Specimina figurarum, quæ plantas helveticas exprimunt, excellentiſſima ſunt, & de ipſius operis præſtantia ſpem faciunt eximiam: nunc ad meas plantas hac verna tempeſtate redeo, de iis etiam, circa quæ quæris, reſpondebo ex inſpecto herbario meo meisque collectaneis. In volumina compingi curavi meas plantas, ut facillimum nunc ſit examen ex Herbario petendum. Meum etiam in plantis priſtinum amorem non parum revocavit Diſcipulus quidam Vitoduranus, D. Sulzerus, harum rerum ſtudioſiſſimus, qui ſingulis fere diebus plantarum recentium faſciculum affert, & in iis haud raro nunquam antea a me viſas, imprimis ex ſimpliciſſimo genere, de quibus alias pluribus ad Te referam. Animus eſt eum proxima æſtate in montes Rhætiæ Braulium & Italiæ vicinos mitte-

re,

re, ut plantas colligat & deſcribat. Eſt hic Sulzerus Candidatus Theologiæ & jamjam in S. S. Miniſterium receptus *a)* in humanioribus literis & philoſophicis imprimis Wolfianis & hiſtoria literaria, qui apud me mathematica & hiſtoriam naturalem audivit, & ſummo ſtudio in hiſtoriam naturalem fertur. Obſtat quidem ei res anguſta domi, ſed in ſtudia omnia conſumere tentat. Vehementer cuperem ejus conatus apud Mæcenatem adjuvare, cum optimis ſit moribus & imprimis officioſus, ingenii plane eximii etiam in mechanicis operibus ſatis exercitatus. Cuperet in Academia quadam ſine ſuis impenſis verſari, ut literis operam dare poſſet; lubens amanuenſis apud Profeſſorem vel præceptoris domeſtici officio defungeretur: nec ſane dubito eum Tibi commendare, ſi Göttingæ ſe occaſio offerret. Scheuchzeri vidua herbarium vivum vendere iterum recuſavit. Boerhaaviani commentarii editionem a Te fieri literatus orbis gratum habebit. Tres priores partes II. III. & IV. miſi ad D. Engelium; priorem omiſi, cum ex tuis MSC. tota ſit deſcripta. Quintus tomus mihi furto ablatus eſt, tandem ejus copiam mihi fecit diſcipulus, qui eum quondam ex meo MSC. deſcripſit, & fecit, ut nunc ad Te mittam, cum duobus reliquis tomis, quos tradidi mercatoribus noſtris, qui Lipſiam petunt. Boerhaavii Muſæum & Bibliotheca auctione publica venduntur, catalogum proxime exſpecto. Hortus Cliffortianus impreſſus eſt in magno folio Regali, ſed exem-

a) J. Georgius Sulzerus vir ill.

plaria a D. Cliffortio nulla venduntur, quod dolendum, curabo ut per D. Gronovium exemplar obtineam. Miſit ille D. Shaw plantas rariores Africæ, quas ſuo Itinerario adjunxit; nec non elegantiſſimas ſtirpes Virginianas; promittit Floram Virginicam. Itali ſpem faciunt proxime edendi alterius tomi novorum generum Micheli, & catalogi plantarum rariorum a ſe obſervatarum. Plura hac vice non addo, niſi ut quam proſperrime valeas & mihi pergas favere.

Scripſi ex Muſæo Tiguri, 20. Martii 1739.

183.

D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG.

Niſi nundinas vernales expectaſſem, jam dudum Tibi reſponſorias tradere debuiſſem, quum inſuper argumentum literarium attentione tua dignum nullum haberem, & de itinere in patriam ſuſcepto certus factus eſſem, eo majori jure easdem me differre poſſe cenſui. Commentarius tuus in Boerhaavii inſtitutiones gratiſſimus mihi fuit. Inſignes quidem ſunt meditationes & illuſtrationes Boerhaavianæ, inſigniores vero obſervationes tuæ, quæ inprimis Anatomen illuſtrant, & in clariore luce veritates obſcuras collocant. Encomia, quæ hic adulationis ſpeciem habere poſſent, in lectiones meas phyſiologicas remitto, intenſiſſimo deſiderio reliquas exoptamus partes, & apho-

aphoriſmos quoque, quorum magnum uſum in praxi medica fore jam jam prævideo. Circa deglutitionis hiſtoriam explicandam nunc occupatus ſum, annotationes tuæ multa ex Boerhaavianis illuſtrant, interim quædam adhuc dubia non dicam falſa mihi videntur, ab auctore & in noviſſima editione relicta, e. gr. §. 70. p. 32. lin. 6. & ſeqq. repetit §. 71. in medio & circa finem. Si tribus verbis dubium corrigere poſſes, gratiſſimum quid mihi exhiberes; non enim perſpicere poſſum, quomodo muſculus azygos uvulam deprimere poſſit, nec quomodo uvula glottidem occludere queat. In deglutitione Boerhaavii libellum deſerui, & ſummam diſſertationis Waltherianæ mihi ſatis notæ explicavi. Communicabo Tecum ea, quæ hac de re in uſum auditorum in manuſcripto exhibeo, & ubi Albinianis Waltheriana immiſceo, & utraque confero. Hic ſaltim moneo, me quoque muſculum ſtylopharyngeum eodem modo in cadavere demonſtraſſe, quo eundem deſcribit Waltherus, revera enim lacertulus in ore prominens ad radicem epiglottidis tendit fibris quam maxime conſpicuis, ita ut arcus freti oris poſterior inferius ab eo formetur, licet ſuperius magis a palato-pharyngeo Albini effici videatur. Inquiram tamen & proxime in alio cadavere in hujus muſculi directiones, quo repetita demonſtratio me melius convincat, aut contrarium oſtendat; vidi enim fibrarum faſciculum, quem tamen ad alium muſculum referre haud potui. Occaſione obſervationis p. 202. Comment. Boerhaav. ſequentes meditationes Tecum

communicabo, quæ obortæ ſunt, quum nuperrime in cadavere maſculino auditoribus meis diaphragma demonſtrarem. Credo enim in caſu violento vomitus a plenitudine, eundem, ſcil. tranſitum ex ventriculo in œſophagum, in inſpiratione fieri poſſe. Quum enim 1. perpendam œſophagum non per diaphragma, ſed per crura ejusdem deſcendere, ut & Tu ipſe in opuſculo elaboratiſſimo de diaphragmate mones, fibræ crurum gulæ inferiorem partem non circulariter ſed oblique ſtringunt, & orificium reddunt oblongum, ſuperius rotundum, inferius quodammodo acuminatum, quæ vis certe non tanta eſt, quam ſi in una ſectione horizontali ſtrictura & arctatio fieret. 2. Moneo pinguedinem cum œſophago ex mediaſtino deſcendere, quæ molliter habet œſophagum, & omni tempore quandam ejus dilatationem admittit. Quamvis enim negare nolim, interdum fibras quasdam a diaphragmate ad œſophagum deferri, paucæ tamen ſunt & ſubtiliores, nec in omnibus ſubjectis deprehendendæ, in omnibus quoque non æqualis diſpoſitio ad facilem vomitum. 3. Tandem perpendas dolorem circa cardiam, quem in deglutione boli majoris vel in vomitu laborioſo ſentimus, qui etiam non tantum in ipſo vomitu vehementiſſimus eſt, ſed aliquantum etiam vomitu ſuperato durat.

Novam iconem diaphragmatis, quam paraſti, ſummo cum deſiderio exopto: fortaſſis non alienum foret, ſi ſimul aliud apponeres, quod crura in ſitu & foramina ſimul oſtenderet, ſitus forſitan

tan cadaveris talis eſſe poſſet, qualem exhibet Bidloo Tab. 52. licet reliqua quodammodo mutanda forent. Perluſtravi Kauwium, non tamen inveni experimenta anatomica de corpore reticulari Malpighii. Anatomica nunc ſepoſui ob botanicos labores, proximo autumno iterum accedam & videbo, an quædam ulterius eruere queam.

Linnæus Holmiæ praxin medicam exercet, Gronovii Flora Virginica Leydæ imprimitur, & Burmannus abſolutis decadibus Africanis, opus Rumphianum ſ. Herbarium Amboinum ſex voluminibus in folio, ſubſcriptionis lege editurus eſt, hæc ex literis Burmannianis.

En ſpecimen primum obſervationum in methodum Linnæanam, plura quidem adhuc parata habeo, neſcio vero, an reliqua publici juris faciam, quum judicia Cel. Botanicorum expectanda ſint. In ſtudio hoc multa taxanda, pauca vero certiora reddenda ſunt. Siegesbeckius munus ſuum Petroburgi proxime deponet, & Archiater Fiſcherus in literis Gerberianis me ad idem munus ſuſcipiendum invitavit, ſed recuſavi ſpartam, quum Lipſiæ fortaſſis meliora fata expectare queam; ſtipendio enim Regio annuo & Collegiatura Coll. B. M. V. res meæ non parum auctæ fuerunt. Applauſus quoque non contemnendus auditorum, & practicæ medicinæ exercitium haud permittit, ut certioribus relictis incerta quæram.

Monuit quondam Platnerus, Boerhaavium in

proœmio Inſtitutionum medicarum plura hauſiſſe ex Hartmanni Originibus Anatomicis, Regiomonti editis, quid tibi videtur?

Mitto quoque plantas & gramina & muſcos, priores ſunt deſideratæ, reliquæ vero nominibus exornes, vel nomina corrigas, & ſi quædam placent, retineas.

Vale interim, Vir Celeberrime, & me impoſterum quoque amore tuo complectaris quæſo. Dab. Lipſiæ d. 1. Maji, A. O. R. MDCCXXXIX.

184.

JOH. GESNERUS.

Literæ tuæ mihi ſemper cariſſimæ gratiores etiam magisque exſpectatæ mihi advenerant, qui tamdiu his deſtitutus fui. Quamvis etiam literas meas in inſolito hoc tuo ſilentio Göttingam iterare cogitarem, rumor tamen, qui de adventu tuo in patriam ſpargebatur, me detinuit. Tandem advenientes cariſſimæ Tuæ me mirum in modum erexerunt, & inſignem attulerunt voluptatem. Secundas nuptias tuas optimum Numen feliciſſimas faciat & in iis beatam illam Tibi vitam reddat, quam cum Beatiſſima tua Mariana egiſti, Te etiam cum Nobiliſſima tua Bucheria ad Neſtoreos annos conſervet, & Orbi Literato atque amicis, qui Te colunt, Te diutiſſime incolumem concedat, ſic optant mecum omnes boni maxime

maxime etiam cum meis, qui te norunt, Amici. Hoc etiam diffiteri non poſſum, novas has nuptias tuas mihi non exiguam ſpem facere de exoptatiſſimo omnibus tuo in patriam reditu. Quæ ego agam in literis menſe Martio Göttingam ad Te miſſis ſcripſi uberius, ex bimeſtri meo morbo vix reconvaleſcens iterum præterita ſeptimana novam febris meæ eryſipelaceæ acceſſionem non levem paſſus ſum, nunc meliuſcule me habens ſero lactis caprilli herbis medicato utor, ſed languens mea omnia ago; ad ſtudium botanicum redii hoc anno, & ſubinde novæ mihi plantæ maxime ex ſimplicium genere a diſcipulis adferuntur. Icones Synopſi ſtirpium helveticarum inſerendæ exquiſita ſculptura & præſtantia ſane incomparabiles ſunt, optarem vero Te alpibus adeo propinquum, ut eximio ſculptori plantas vivas delineandas offerre poſſes. D. Ottius Alpinarum nonnullas ex vicinis montibus Helvetiorum horto ſuo intulit, quo ſucceſſu germinaturæ ſint, dies docebit. Nonne in reditu tuo in Germaniam facultatem mihi concederes ſuaviſſimo tuo alloquio frui? Boerhaavii prælectiones gratiſſimum ſane donarium fuerunt, & adeo opportune advenerunt eo ipſo die, quo cum Diſcipulis has Inſtitutiones percurrere inciperem; meruit ſane Magnus Boerhaavius, ut tua opera & conditione etiam major & utilior prodiret: de hoc opere merito Tibi gratulor, & gratulor eam rem Arti Medicæ. Piſces ex methodo Artediana, qui in Helvetia habentur, omnes deſcribere incipio, ſed apud nos perpauci vix ultra 30. inveniuntur.

Denudata carne compreſſam piſcium cutem cum pinnis & characteriſticis partibus ſiccatam conſervo, non ſecus ac plantas in Herbario. Tua opera aut commendatione cum in his tum in collectione naturalium plurimum juvari poſſem, ſi amicos procurares, qui in hoc genere commercium mecum inſtituere vellent, a me quicquid in Helvetia colligere potero exſpectaturi. De Muſæo Scheuchzeriano jam conſtitutum eſt, id cum Herbario Familiæ Scheuchzerianorum Legati in modum conſervare, unicus enim nunc hæres ſupereſt, cum filius natu minimus derepente his diebus febri acuta obierit. Vale cum amantiſſima tua conjuge, & Tibi devinctiſſimo porro favere perge.

Scripſi Tiguri d. 28. Maji 1739.

185.

EMANUEL KOENIG.

Sic ergo divina Providentia damna quævis reſarcire novit, Mi Haller! quæ te ærumnarum fluctibus tantum non penitus ſubmerſum, non modo ſartum tectumque ſervavit, ſed novo felicitatis genere beavit. Hanc Tibi vehementer gratulor, non ob unam rationem: præter id enim quod judicii & conſilii tui maturitas in re tanti momenti, ac eſt matrimonium, mihi perſpecta ſit, omnes noſtratium qui Familiam, e qua Tibi Sponſam ſelegiſti, norunt, ejus formæ, maxime vero

vero animi pulchritudinem, ut fortunæ bona egregia taceam, laudarunt; deinde nonne id eſt præclariſſimum documentum, qua ſit animi magnitudine & ſapientia, & quanti Te faciat Nobilis Sponſa tua, quod omnibus iis rebus poſthabitis, quas relinquere ſummæ eſt reluctantiæ, talem maritum iis præferre ſciat; ut notas omnes cum iſta re junctas circumſtantias, non commemorem. Quare gaude iſto tuo tam excellenti bono, amice cariſſime, & diu eo perfruere.

Huberus paucis ante diebus litteras ad me dedit, quam tuæ ad me perlatæ ſunt; agnovit grata commemoratione Patronos ſuos atque Fautores, Halleroque ſuo ſe tantum non omnia debere lætus fatetur. Quid in ſectione puerilium cadaverum, præſtiterit egregii, non ſcripſit, ſollicitus de programmatibus conſcribendis; Tu iterum ſummum præſidium ſuum & dulce decus eris. Dab. Baſileæ d. 28. Maji 1739.

Cum jam clauderem epiſtolam, en amitini mei Profeſſoris Weiſſii ſchedula, quam ſimul mittere volui, adfertur, qua tuum judicium petitur, an Thermæ Leucenſes proficuæ futuræ ſint, patri ſuo, matrueli meo, ſ. Oberſchreiber Weiſs, qui anni præteriti menſe Junio, de inappetentia, ſenſu rei prementis ſub cartilagine enſiformi verſus plagam hypochondrii ſiniſtri, & reſpirationem liberam impedientis ſine tuſſi tamen, aut difficiliori decubitu, ſatis declivi capite, conqueſtus, variis remediis pilulis ad modum Hoffmanni

ni paratis, vino medicato aperiente, quod vocant, clyſmatibus, hirudinibus, aqua Selterana, quæ vias per diureſin ſibi non paravit, uſus, non multum profecit, imo in pedum, deinde in abdominis tumorem incidit, qui tumor aquoſus pulvere, quem conſentiente D. D. Stehelio præſcripſi ex Rad. ſquill. tartar. tartaris. rad. Irid. florent. & zingibere adjecto, totus per alvum & renes diſſipatus eſt, & cum aliquoties quanquam minor rediiſſet, hoc remedio fugatus eſt, hodieque in totum emanet, ut aliquoties viſum fuerit Dno. Ægroto, omnia mala diſparuiſſe. Ille vero præterito menſe Octobris, cum in pago quodam muneris ſui cauſa, decimam vini collegiſſet, in inſultum quendam linguæ paralyticum incidit, ſenſibus nunquam oppreſſis, eo tempore præter difficultatem loquendi, quæ ſpatio trium hebdomadum utcunque ſublata eſt, horrenda anxietate & difficili reſpiratione orta, laboravit per tres dies: venæ ſect. repetita omnia tranquilla reddiderunt datæ pilulæ ex Sarcocolla Hellebori nigri & Gentianæ extractis, quæ multum boni attulerunt. Vertente anno prima Januar. ex incuria tota familia cobaltum in juſculo devoravit, vomuit æger cum euphoria, nec aliquid pejoris id produxit. Interea lecto nunquam addictus fuit ſatis hilaris, ſed domi manens, variaque valetudine uſus ex obeſo macilentus factus, cum quieſcit non multum incommodi ſentiens, ſed cum movet corpus, ambulando, ſenſu illo rei impedientis & aliquando pulſantis, ut digito illum παλμον diſtincte ſentire poſſit, moleſtatus,

leſtatus, uti ante, rogavit Stehelium & me jam aliquoties, an vel Piperinas vel Leucenſes Thermas adire e re ſit. Vir eſt ſogenario major, ſanus alias & robuſtus, qui vino ſæpe indulſit, venæ ſect. aſſuetus, quas non neglexit, e familia, quæ apoplexiæ maxime obnoxia eſt oriundus.

An obſtructiones viſceris alicujus, an Polyfori quid, Leucenſium Thermarum uſum, admittunt? Paucis reſponde ſi placet. Vale.

186.

CAROLUS LINNÆUS.

Literæ tuæ, (mihi omni auro chariores) datæ d. 24. Novembris 1738. acceſſere ad me hoc anno die 12. Auguſti per concionatorem Eccleſiæ Germanicæ, Holmiæ inſtructum, fatum moræ mihi latet.

Extuli millies Hermanni manes, parum fuit ſaliiſſe fontes omnes Horti Regis Gallorum ad acceſſum Hermanni jubente Tournefortio, ſi generoſum Hermanni animum cum Tournefortiano conferas. Hermannus Tournefortio antea obtulit profeſſionem botanicam, quam alio commutaret, quo viveret Tournefortius; quid itaque de Te dicam ipſe; peregrinum amas, vocas, profeſſoriam dignitatem & munus & hortum fere offers; vix frater fratri, vix pater hoc filio unico. Uno verbo plures mortales vidi, multi me amarunt;

runt; nullus mihi obtulit tanta, quanta Tu. Verbis grates redderem, ſi poſſem, ſed nequeo digna reddere verba, ſancta mente ſervabo, dum vixero, & alii poſt me, tuum nomen.

Non reſpondeo, cum Tu Te patrem præſtes, ego filius; dabo en hiſtoriam qualemcunque vitæ meæ in hunc uſque diem. Anno 1730. docui Botanicen, Horto Botanico Upſalienſi; rediit eodem anno amicus noſter communis D. D. Roſen; ego ſtudioſus medicinæ vicarius eram Rudbeckii in Botanicis, ille in anatomicis, & ſimul adjunctus medicinæ; An. 1732. adii Lapponiam, redii, docui docimaſticen & Botanicen per annum unicum; diſceſſi Upſalia, iter ingreſſus ſum Dalekarliam, ſic providente Deo; facto itinere redii in primariam urbem iſtius provinciæ Dalekarlicæ Fahlunam; docui mineralogiam, praxin exercui minimam; amatus ab omnibus permanſi per menſem. Erat ibi medicus, quem divitem dicere non erubeſcebat vulgus; imo erat inter omnes in iſta pauperrima provincia ditiſſimus, nomine Moræus, vir etiam inter Sueciæ medicos, doctrinam ſi ſpectes, facile primus. Vir iſte nullum vitæ genus medicinæ inferiorem (praxin hic ſpectans) eſſe, millies pronunciavit; me interim amabat. Adii domum ejus non ſemel gratus ipſi hoſpes; filiam habuit (& aliam ætate inferiorem) pulchram, quam ambiebat Liber Baro quidam fruſtra; vidi, obſtupui, præcordia intima ſenſi attonitus novis intumuiſſe curis. Amavi, illa tandem victa blanditiis, votis &c. & me amabat,

bat, promiſit, dixit fiat. Patrem adloqui erubeſcebam pauperrimus, dixi tamen; voluit & noluit; me amabat pater, non mea fata, dixit, intacta permanebit per tres annos, dicam tum demum; compoſitis rebus; ad iter neceſſaria paratis exivi patriam 36 nummis aureis dives. Promotionem medicam mox obtinui; redire magno meo cum commodo non potui; permanſi in Belgio ut noviſti: interim amicus meus ſummus Cl. B . . . . literas amicæ meæ ad me per tabellarios continuo transmittebat; ſancte præſtitit; ultimo anno 1738. quo apud v. Royen vixi, (quod erat quarto anno, non enim ſocer plures quam tres conceſſit annos) & hoc quidem nutu ſponſæ, ſibi proximum judicavit B . . . . eſſe, mea enim recommendatione factus fuit Profeſſor; mox me non reverſurum in patriam demonſtrabat; ſponſam meam ambiebat, fere obtinuit, ni interveniſſet alius, fallaciam qui prodidit; punitus & ipſe fuit mille fatis adverſis.

Redii tandem, ſed pauper. Puella me amabat, non illum; ſedem fixi Holmiæ, irriſus ab omnibus ob meam Botanicen, quot inſomnes noctes & laborioſas horas tranſegerim, nullus dixit, quam vero a Siegesbeckio eram annihilitatus, omnes uno ore acclamabant; non erat qui vel ſervum mihi curandum obtulit. Transegi vitam quocunque poſſem modo, tamen honeſte: incepi praxin exercere valde lente; ſed brevi fata ceſſabant adverſa, & poſt diuturnas nebulas phœbus; emerſi, ad primates accerſitus, ceſ-

ſere

ſere omnia ſecunde, nullus æger ſanabatur me non præſente; pecunias accepi, ab hora quarta matutina in ſeram veſperam ægros adii, noctes apud ægros conſumſi: heu dixi, dat Æſculapius bona omnia, Flora vero ſolos Siegesbeckios; interdixi Floram, quæ collegi adverſaria (heu nimis multa) æterno pulvere ſepelienda millies decrevi; Siegesbeckio nunquam reſponſurum fere juravi: mox primarius medicus Claſſis navalis conſtitutus fui; conventus civium mox me Botanicum Regium, publice quo docerem Botanicen in Regia ſede Stockholmiæ, dixere, ſtipendio annuo auxerunt. Incepi iterum amare plantas. Sponſam adii tam meam quinquennem, tam dignus thalamum intravi ſponſæ & uxoris. Socer tamen ſat pecuniis ipſe delectatur, nec generi facile concedit; ſed nec opus habeo; & quis a me generetur, habebit.

Nunc vero utraque Profeſſio Medicinæ vacabit; ambo ſenes Profeſſores Rudbeck & Roberg dimiſſionem ambiunt; quod ſi fiat forte Cl. Roſen erit ſucceſſor Robergii, forte ego Rudbeckii; ſin ſecus Stockholmiæ & vivere & mori cupio; nec competitoris defendam ſpartam. Sin vero Botanices Profeſſio Upſaliæ mea non fiat, & me tum (poſt tres menſes) vocares, accederem, ſi cum uxorcula daretur. Vel ſi aliquando Te videre liceret Hamburgi, hanc unicam ob cauſam Hamburgum adirem, licet longe ſepoſitus vivo. Tanti te facio, utinam ante fata Tecum loqui contigiſſet, & Te coram videre! Vale,

vive

vive diu felix artis noſtræ ſidus. Dabam Stockholmiæ 1739. die 12. Septembr.

Si poſſis aliquo modo, quæſo cures, ut habeam Diſſertationes tuas de Veronicis & Pedicularibus, ſed præ omnibus ſynopſin plantarum helveticarum.

Si reſcribas, mittantur literæ franco Hamburgum, ſub couvert ad Societatem Regiam Scientiarum Upſaliæ.

Si ullo modo poſſis, mihi des oro Diſſertationes tuas de Veronicis & Pedicularibus. Ac ſi daretur videre iter tuum ſylvæ Hercyniæ! Synopſin plantarum Helveticarum Lugduni imprimi a Belgis audivi, & ab iis facile habebo, utinam brevi. Commentaria in Boerhaavii inſtitutiones impreſſa eſſe percepi, e Belgio petii dudum, etiamnum vero non obtinui, brevi habebo.

Peractum eſſe Cl. Huberi iter lætor, utinam mox prodiret, ſic Tu plura præſtas, quam alius ullus.

Quæſo per deos mox reſcribas, utrum a Cliffortio Hortum accepiſti, nec ne? dixi ipſi millies. Si non accepiſti, mittam cum prima navi Hamburgum, ſignifices modo ubi deponatur, Cliffortius enim mihi dedit decem exemplaria.

Quod v. Royen non reſpondeat, vix mihi mirum videtur, noviſti forte quid hoc anno paſſus ſit. Quid cum prodromo Floræ ſuæ agendum habuit. Reſpondebit; Te, per me, bene novit.

Siegesbeckii primitias Floræ Petropolitanæ & Cl. Ludwigii aphoriſmos botanicos nunquam vidi; qua ratione comparabo?

Quod falſo narrarunt de tua ſanitate Galli, ex toto corde lætor; utinam tam diu viveres ſalvus, quam diu ego pro Te vitam dare vellem meam.

Lateo in obſcuro. Si Upſaliam pervenero, praxin medicam interdicam; ſolum plantas tum tractabo. Si ſemina aliquot habes, mihi mittas, vel alia. Dabam Stockholmiæ 1739. d. 15. Auguſti. (*potius Septembr.*).

187.

P. H. G. MOEHRING.

Gratulor tot novas inventas in itinere ſtirpes, gratulor ſuſceptum in publicum commodum Boerhaaveanum laborem, ſed ſummopere gratulor reportatam dulciſſimam thori ſodalem, qua cum ut exoptatiſſima cum fortuna ſeros in annos vitam ſoſpitem vivas, cordate utrique veſtrum adprecor.

Primus otiorum hyemalium conatus meus erit, ut ſeminum meorum indicem, ſpecimina aliquot herbarum ſicca, & quasdam obſervatiunculas botanicas, Tibi mittam. Mitto hiſtoriarum medicinalium exemplar, quod ut humana excipias fronte, rogo. De Illecebro Linn. cor. gen. & Sali-

& Salicornia jam conſtantem characterem, eumque, ni fallor, abſolutum habeo; paravi deſcriptiones ſpecificas quarundam plantarum, quarum ſemina proxumo elapſo anno ex horto Waltheriano, parata pro pecunia, per amicum clam obtinueram, quum ipſum Waltherum pro tot ipſi miſſis ſeminibus ingratiſſimum reperirem. Et ſpe alor, fore, ut plura indidem adcipiam. Ad genera Linnæi quamlibet ſpeciem amandare conatus ſum, qui amicus optumus nimias ſane, quod oculis meis ſæpe vidi, varietates immerito fecit: e. gr. Fumariam Neapolitanam & Fumariam offic. flore rubro; Fumariam radice non cava & cava; Hyacinthum campanularem dictum & Anglicum &c. Et quid Tibi videtur v. gr. de Solano Guineenſi baccis magnis nigris; Melilo-to, ſ. Trifolio ejus ſpec. ult. hort. Cliffort. Veronica Chia verna, Cymbalar. fol. Ranunculo echinato arvenſi & Cretico &c. ?

Verbaſcum e Virginia Linn. in ſchedul. mſct. differt ſpecifice a Blattaria laciniata bienni lutea, foliis floralibus ternis, floribus quaternis, & pedunculis breviſſimis. Hujus ſemina matura jam ſunt.

Quodſi iconibus meis de fungis quibusdam Tibi inſervire poſſum, ſeligere gratos ex iis poteris, modo poſt uſum figuras aliquando remittas. Sed forte vulgares ſunt. Periculum quoque facturus ſum de obtinendis ſeminibus Calaminthæ odore pulegii. Quot Lycopodia Tibi? heic tres ſpecies creſcunt: illud ſabinæ facie; il-

lud pedunculis geminis, & ultima ſpecies Linn. Flor. Lapp. Nonne Sceptrum Carolinum Tibi eſt? Carco etiam Linnæa.

Proxume plura. Vale, Vir Amiciſſime, meique interdum recordare. Jeveræ, $17\frac{10}{10}39$.

188.

JOH. FR. SCHREIBER, Reg.

Tandem aliquando Tecum litteris loqui liceat, Amicorum Optume! Ultimæ tuæ litteræ mihi fuerunt redditæ anno 1734. Varſoviæ, una cum doctiſſima tua Diſſertatione de Diaphragmate, quam tamen (me hercle neſcio quo fato) inter tanta itinera perdidi. Interim de Te, dilectiſſime ALBERTE, cognovi ſequentia: 1) Conjugem tuam, quam noſtrates Helveti αυτοπται celebrarunt Venerem Palademque, obiiſſe. 2) Te Göttingæ Profeſſorem celebrari Anatomes, Chirurgiæ atque Botanices. 3) Te edidiſſe poëmata germanica, me judice, (legi enim ipſa pluries) ipſis Pietſchianis ſuperiora. 4) Te editurum Commentarium in Inſtitutiones medicas Boerhaaveanas, vel edidiſſe. De me vero ſcias ſequentia: Anno 1734. adfui obſidioni Gedanenſi. A. 1735. cum copiis Ruthenicis Rhenum verſus abii; quo tempore plures Germaniæ civitates inviſi. Eodem plane Nobilis Hannoveranus de Lent, cui annonæ cura pro copiis Hannoveranis mandata erat, me adceſſit Wiſelochæ, oppidulo, tribus millia-

milliaribus Heidelberga remoto, propoſiturus Profeſſionem Göttingenſem, Illuſtriſſimo veſtro de Münnichhauſen certe non inſcio. Cenſui, & Werlhofium & Waltherum Lipſienſem multa eo feciſſe. A. 1736. Vindobonæ morabar, moxque, mandato adcepto, interfui obſidioni fortalitii ad Tanaim, quod Aſſow hodie dicunt. An. 1737. cum exercitu Ruthenico profectus ſum in Cherſoneſum Tauricam, quo omnia, usque ad oppidum Karas Baſar, ferro atque igne vaſtabamus. Denique a. 1738. vidi obſidionem, atque traditionem fortalitii Taphrarum (Or), in Perecop. Idemque veſperi vidi, ignibus ſubterraneis, arte admotis, in cineres diſpergi. Sed hujus anni menſe Martio conſtitutus ſum hujus metropoleos Phyſicus, ſtipendio annuo 700. Rublorum. Atque ſatis tranquille vixi hic hucusque. Si quæris de re medica? Noſti, quam parum illam noverim prius: nunc autem (fateri pudet) illam fere plane ignoro. Impetus æſtima ex ſequentibus. Almageſtum medicum, quod & quale Carolus Piſo meditatus olim, diu in animo volvi, volvoque hodie: ſed ſeris annis commendandum. Vale O Optume, d. Moſcuæ $17\frac{16}{10}39$.

De cognoſcendis & curandis morbis doctrinam digeſſi, methodo naturali, ita, ut opiner, quamquam pleraque ſint Boerhaaveana, ſimile non proſtare publice. Interim primitiis futuri anni ſacravi obſervationes de peſte, hujusque antidoto, mercurio dulci, de toxica facultate quarundam aquarum ſtillatitiarum, lauroceraſi ac

amygdalarum amararum; de tarantulis, atque ipſarum morſuum antidoto, oleo tarantularum; de homine bilingui; de tumore enormi ſteatomato-purulento, poſt aperturam lethali, ad latus dextrum extrorſum ſub hypochondriis &c. Sed ubi imprimendum tradam ſcriptum, a litteratis remotiſſimus. Tu autem quid moliris ultra? Quæro te cœlebs, an Tu in conjugio? Saluta Hollmannum. Quid agis, acturusque? An prodiit Plinius Gesneri? Abeat cum lectionibus variantibus variantium. Si nil ultra ſcribo de omnibus ocyus ſæpius. Ego conſtitueram ſcribere de mortibus: de determinando gradu doloris in corp. humano. Hæc omnia tuæ doctrinæ commendatiſſima ſunto.

189.

JOH. GESNERUS.

Gratiſſimis literis tuis d. 18. Octob. ad me ſcriptis nihil gratius mihi accidere potuit: quamvis enim ſilentii tui non levidenſes cauſas in novis & felicibus nuptiis tuis, in itinere, in inſtituenda Göttingæ ſtudiorum & œconomiæ ratione invenerim, atque de tuo in me favore agnovimus. Me & mea, in quæ pro humanitate tua ut amicus inquiris, quod attinet, ſane vix multa ſunt digna, quæ ad Te ſcribam. Sanitatem in Thermis Badenſibus præterita æſtate acidulis Brocenſibus utens firmavi optato cum ſucceſſu, quamvis debilitas corporis & impatientia frigoris,

ris, aut humidæ tempeſtatis adhuc mihi moleſta ſint, nec reconvaleſcentiæ firmam ſpem concedant. Opportune ibi & collectioni plantarum & petrefactorum operam adhibui, & macerationis multa exempla in plantarum foliis inſtitui, ex quibus ad earum ſtructuram cognoſcendam commode pervenitur. Pelliculam duplicem aut analogum quid, quod ſuperficiem ſuperiorem & inferiorem folii tegit, in omnibus conſpexi, atque a rete vaſculoſo diſtinxi in hedera terreſtri, eo modo, quo fuſius hanc rem deſcripſit Cl. Trew, in ſchedis Norimbergenſibus; optime ſeparatio per flatum inſtituitur. In nonnullis enim foliis rete vaſculoſum ex duplici lamina compoſitum inveni & diſtinxi, ut in pyri folio, cujus ſuperior retis lamina minutiſſimis foraminibus contextum rete efficit, cujus craſſiores rami reſpondent reti inferiori, quod amplioribus foraminibus & craſſioribus ramis formatur. Lubenter quædam ſceleta foliorum ad Te mittam, niſi iis jam ſis inſtructus. Modum, quo piſces præparo, ut chartis agglutinati ſervari queant, in longos annos ſine dubio ad Te perſcripſi. Augeo muſeum cum multis petrefactis maxime ex Hetruria, unde Cuſtos Ambulacri Regii & Præfectus Monimentorum bene multa & curioſiſſima ad me mittit; pridie ad me de conatibus D. Targionii ſucceſſoris D. Micheli pluribus ſcripſit, & continuationem operis Micheliani proxime proditurum promittit; per eum facillime ſemina & itirpes ex Horto Florentino aut Herbario Micheliano obtinere licebit. Botanicas excurſiones ſanitas vix

permittit, auditores mei nonnunquam offerunt plantas maxime ex ſimplicium genere, de quibus tamen Tibi nullæ novæ ſunt, quantum ex iis, quas ad me miſiſti, video. Gratiſſimus erit tuus in Hiſtoria Plantarum Helvetiæ & Itinere Helvetico deſcribendo labor. Quas offers plantas, grato animo accipiam, Tu de meis rebus velim diſponas. Commentarius tuus in Prælectiones Boerhaavianas publicis uſibus accommodatiſſimus facit, ut impatienter ejus continuationem exſpectent omnes, qui in Medicina utile & verum cupiunt. Nuper D. Mejerus noſtras Med. Doct. homo non indoctus, diligens imprimis in adnotando, mihi attulit commentarium ultimo anno, quo Boerhaavius ante fata ſua prælegit, diligentiſſime exceptum, qui non pauca vix contemnenda inde a noſtris temporibus addita continere viſus eſt: excerpſit deinde nonnulla, quæ acceſſionum loco ad prælectionum Boerhaavianarum Tomum I. addi poſſent, ut ex hoc ſpecimine de toto ſuo commentario judicarem, ſimulque obtulit, ut ſi inde quicquam utilitatis Te captaturum exiſtimarem, ut ad Te mitterem, ut ſi gratus Tibi eſſet hic labor, continuare poſſet deſcriptum commentarium ad Te miſſurus. Mittam hoc ſpecimen proxima occaſione, qua ſine impenſis Gottingam curari poterit. Tu vero de eo ad me ſcribas. Tiguri, prid. Kal. Novembris 1739.

190.

190.

JOH. RUD. ISELIUS.

Venio nunc ad id quod rei caput eſt, & quod mihi longe maximam excitavit lætitiam, tuam, Vir Excellentiſſime, erga me benevolentiam ſingularem verbis deprædicare ſatis nequeo. Ea eſt enim tua erga me animi propenſio, ut non cupias modo me valere ac Tui eſſe memorem, verum in id cum maxime incumbis, ut tua efficias opera, quo mihi meisque optime ſit conſultum, o egregium amici officium! quod grata mente nunquam elabetur! quod igitur tua commendatione, quam magni ponderis eſſe pridem ſenſi, effectum eſt, ut eruditis quibusdam ac ſummis viris innotuerim, gratias habeo agoque maximas; quod præterea viſum fuit, me hominem hucuſque umbratilem ac in obſcuro latentem in ſplendidiſſimam lucem protrahere, ac ad illuſtris nominis virum aditum facere id felicitati accenſio: quo minus vero ea, quam ſcribis, ratione ad ambiendam honorificam ſtationem uti valeam, cauſſæ ſunt bene multæ; primum quod multo honeſtius ac magis honorificum duco beneficium oblatum quam precibus efflagitatum: dein graviter ferret Ampliſſimus Magiſtratus, qui ab aliquo tempore nonnunquam in decidendis controverſiis meis uſus eſt conſiliis, quando reſciſceret, me inconſulto eo aliam ſedem non quærere modo, ſed etiam ambire. Denique & id prohibet Illuſtrem Münchhauſium precibus adire, quod ante quin-

que, quatuorve annos Marburgum honeſtiſſimis conditionibus evocatus honorificæ vocationi annuere e re mea haud duxi; quantopere nunc illi mihi ſuccenſerent Viri Illuſtres, qui non rogati honorifice me compellaverant, ſi intelligerent, me neglecto Sereniſſ. Principis beneficio eandem ſpartam alibi prece ambire. Tædet me vitæ ejus, quam cæteroquin, ob proprias facultates, ſatis commode hic duco, ſed absque iis, quæ ſolatium adferre ſolent veræ eruditionis ſtudioſis. Nec tamen impetrare à me poſſum, ut quod maxime cupio, precibus efflagitem: Illuſtris Moshemius, quem alia de cauſſa literis compellavi, cuique quædam ex meis ſpeciminibus transmiſi, iterum atque iterum excitavit ad altiora, eamque ob cauſſam cum Illuſtri viro, ut ſcribit, Hannoveræ ea communicavit; nec tamen quid ea re effectum fuerit reſcripſit: transmittendi ad Te, Vir Celeberrime, meas diſſertationes deeſt nunc omnis occaſio, ſcripſi haud adeo multa, quæ ad Jus Civile, naturale, Helvetiæ publicum pertinent; diſcere ex aliis potius cupio ac plura legere, quam multa ſcribere, in eo tamen ſum, ut novam editionem *Grotii de Jure Belli & Pacis* adornem, cui variorum ſelectæ notæ cum quibusdam meis animadverſionibus adjicientur: Bibliopola id aget, ut nitidiſſime typis exſcribatur, charta atque character idem erit, qui ſpecimini Æliani &c. Vides ergo, Vir Experientiſſime, nihil minus me fugere quam laborem. Semper aliquid ago, aut ſcholas habeo, aut lego, aut ſcribo, ſæpius conſultoribus conſilia impertior: auditorum numerus exiguus valde

de eſt, nec tanti ſunt extera negotia, ut gloriolæ ac laboris cupidum explere valeant. Hæc ita inter nos, ea enim libertate ac ſincero animo ſcribo, quod ſciam me ad amicum ſcribere, qui, cum offerre talia velit, conſilium impertiri haud dedignabitur: nolo nunc diutius Te morari, novi quam temporis ſis parciſſimus. Vale igitur, Vir Celeberrime, Deus O. M. Te rei literariæ, florentiſſimæ familiæ, meique tandem bono quam diutiſſime ſoſpitem atque incolumem conſervet. Vale iterum & ſi haud grave eſt, Cl. Hubero meo ſalutem plurimam meo nomine nuncia. Dabam Baſileæ d. 4. Novemb. 1739.

P. S. De conditionibus nihil ſcribo, cum non dubitem tales fore, ut in iis conquieſcere liceat, necdum liqueat quid futurum ſit.

191.

P. H. G. MOEHRING.

Vis, Vir Integrrime, laboribus potiſſimum hyemalibus occupato, ut ſiccas meas ſtirpes in ordinem redigam, inter Gentianas eæ obviæ factæ fuerunt, quas a Te miſſas lætor. Rectiſſime profecto hocce de genere pronunciavit Linnæus Flor. Lapp. §. 95. „Variationes pro ſpeciebus vendi, „ & ſynonyma miſceri, ut ne Mercurius e cœlo „ dimiſſus hiſce ſolvendis nodis ſufficeret, & „ etiamſi eos ſolus ſolvere poſſet, nos tamen æ„ que doctos, ac antea dimiſſurum eſſe."

Miſiſti

Miſiſti Gentianam ſiccam, quam nomine Linnæi Flor. Lapp. §. cit. inſignivisti. Aſt quamvis nomen quod corollæ figuram infundibuliformem, & denticulum laciniis interpoſitum huic tuæ ſpeciei adaptari poſſit, obſtat tamen ejus deſcriptio. Communicatæ enim a Te plantæ caulis ſimpliciſſimus, nec ramoſus; foliorum internodia plura, quam quinque; folia caulina ſuperiora æque obtuſa ac infima &c. Ergo, niſi me omnia fallunt, quoad icones tuam ſpeciem exacte referunt; Gentianula, quæ Hippion Bauh. hiſt. 3. 527. Gentianella minor verna Cluſ. hiſt. 1. 315. Gentianella alpina verna Cluſii, cantabrica quorundam Lob. Ic. 310. An? Gentianella elegantiſſima Bavarica majuſcula. Camer. hort. t. 15. f. 1. ſed denticuli laciniarum non ſatis diſtincte adparent.

At illius Linnæi Flor. Lapp. §. 95. ſynonyma erunt: Gentiana minor 2. Tabern. Germ. 2. 426. Gentiana XI. minima Cluſ. hiſt. 1. 316. &c. quam quidem diſſ. de meth. bot. ſtud. p. 29. indicaſti, ſed, quod pace tua dixiſſe liceat, nondum penitus ibidem evolviſti. An forte ſecundum tuam ibi datam brevem deſcriptionem, dum vel ramoſam, vel non ramoſam dicis, utramque hanc ad unam eandemque ſpeciem refers? aut qualis inter utramque differentia ſpecifica? illam enim Linnæi deſcriptioni adplicabilem ramoſam nondum vidi. Neque credo, figuras plurimorum, calyces ampullatos, ſive lychnidis bene æmulos pingentium, veras eſſe, quoniam neque Cluſius,

neque

neque Joh. Bauhinus in deſcriptione talis figuræ ampullatæ mentionem faciunt, quod tamen dubio procul ob notabilem calycinam a congeneribus differentiam facturi fuiſſent. Utique tamen ramoſa modo adducta a ſpeciei ſeptimæ varietate β. Linnæi in horto Cliffort. p. 81. differt, ut bene doces progr. cit. pag. 29.

Gentianella anguſtifolia Dalech. hiſt. 829. erit Gentianæ ſpec. 6. Linn. hort. Cliffort. minime vero Gentianellæ 3. C. B. P. 188. ſynonymon.

Mira impatientia tuum, Vir Optume, ſuper hæc judicium deſidero, qui omnes ſpecies ad manus habes, vivasque vidiſti. Caſp. Bauhinus enormiter ſane circa Gentianarum ſynonyma peccavit; judice Te, fratre Joh. Bauhino, Linnæo, aliis.

An Calathiana verna Dalech. hiſt. 824. pertinet ad auctumnalem ramoſam C. B. aut ad Swertiam Linn. Hort. Cliffort. 53? Hujus ſi duplex Tibi exemplar ſiccum ſupereſt, alterum benevole mecum communices quæſo.

E ſiccis multarum adhuc umbelliferarum indigeo; utinam Tibi vel ſemina, vel ſiccæ ſuperfluæ eſſent!

Vale, Vir honoratiſſime, Tuique amplius recordare. Jeveræ, a. d. 27. Novemb. 1739.

P. S. Adcepiſti, opinor; ultimas meas d. d. 10. Octob.

192.

B. FELDMANN,

Medicus ordinarius circuli & urbis Ruppinenſium.

Doces in dedicatione Prælectionum Boerhaavii a Te noviſſime adjectis tuis eruditiſſimis notis editarum, Te expectare alios codices manuſcriptos harum Prælectionum in inſtitutiones, ut ex iisdem ſupplementum colligere poſſis. Gaudeo, (& omnes boni gaudent) vehementerque lætor tuis lucubrationibus non minus in doctrina de diaphragmate & monſtris ac in præſenti opere, quo hanc Germaniæ gloriam acquiris, quod ea, quæ jam Batavis dat celebres Medicinæ Doctores Albinum & Gaubium, primam quoque dederit editionem eamque nitidiſſimam harum Lectionum, quæ novam arti conciliant faciem, novam periodum in hiſtoria ejusdem ſunt auſpicatæ. Neque deficient in Germania viri, qui hoc tuum opus promoveant communicatione ſuorum codicum. Ego quidem avidiſſime conquiſivi Leydæ plurimas magni Boerhaavii Prælectiones, in hisce eminet volumen lectionum in inſtitutiones. Hocce quam tueatur fidem & an ſupplemento tuo illuſtrando poſſit inſervire, ex adjecta huic epiſtolæ ſpeciminis loco charta, quæ priores 4 §§. explicat, uberius pro tua in eruendo vero ſagacitate perſpicies, quam ex codicis dicti origine; cujus quidem hiſtoria hæc eſt: Septennium jam in

Collegio

Collegio anatomico Berolinenſi & Halæ Saxonum Præceptoribus Illuſtr. Ellero & Fr. Hoffmanno aliisque impenderam ſtudio medico, cum ardentiſſimo flagrans deſiderio haurire ex ipſo fonte medicinam ingenuam, appuli Belgium anno ſc. 1731. Aſſidue per annum adfui Lectionibus noſtri Boerhaavii iisque fere ſolis, ex ejus ore calamo excepi doctrinam, & ſtatim a quavis lectione domi cum duobus amicis contuli chartulas noſtras, eaque congeſſi in hoc volumen, ne dilatione & procraſtinatione ex memoria dilaberentur dictiones Præceptoris, in chartulis noſtris ob temporis anguſtiam & Præceptoris facundiam uberrimam non ſatis expreſſæ. Fateor me hunc aſſiduum laborem non ſuſtinuiſſe ultra abſolutam Phyſiologiam, poſt cujus finem in ipſa lectione quidem continuavi absque remiſſione conjicere in chartulas Boerhaavii ſermonem, aſt enim privatas per ultimum hunc menſem horas conſumpſi in compoſitione diſſertationis inauguralis de comparatione plantarum cum animalibus; ex chartulis igitur ultimi menſis & duorum amicorum chartis ſumma cum cura conſervatis hic demum Ruppinis compilavi reliquam voluminis partem, ſummopere cautus, ne affingerem Præceptori ſenſum alienum. Hunc Tibi codicem qualemcunque offero, nec dubitabo tibi concredere ad tempus aliquot menſium meum exemplar, cujus nullam copiam niſi vi eaque dubia expenſarum ab amico inter Batavos degente recuperare potero, ſi deperditum fuerit. Aſt auro cariorem habeo hunc laboris mei fœtum. Si igitur judicas eum veritatibus

ritatibus frugiferis adaugere poſſe tuum ſupplementum, precor pauculas a te literas, quibus fidem des, te intra tempus pro lubitu definitum mihi remiſſurum eſſe illibatum meum codicem. Accepta tua honoratiſſima epiſtola ne diem differam transmittere tibi per nuntium publicum illud volumen. Vale diu, ut Medicinam exornare & promovere ſcriptis tuis limatiſſimis diu poſſis! Dabam Neo Ruppini in Marchia Brandenb. media, die 27mo Novembris 1739.

193.

CHRIST. FRID. HÆNEL.

Accepi literas d. 12. Novembris ad me datas, cum elegantiſſimis Fabii Columnæ iconibus; accepi etiam faſciculum fidei D. Ludewig commiſſum, utrumque ferme eodem die. Meum eſt decentiſſimas Tibi perſolvere gratias, id quod nunc verbis facio, donec exoptata potitus fuerim occaſione re ipſa animum beneficiorum memorem declarandi.

De ſede allantoidis quid ſentiam aut dicam neſcio. Frater meus mihi dixit, Albinum eam ſingulis annis demonſtrare pyriformem, haud longe ab umbilico remotam, iſtamque ter a ſe viſam eſſe.

Editurus eſt Albinus proxime Diſſertationes de Anatomia ſublimiori, in qua iconem dabit, fratre

fratre meo judice, rem ipſam exacte referentem, elegantiſſimam. Nullam prætermittam occaſionem, quin curioſius in rem inquiram, occupatus nunc in examinandis duobus fœtibus ſeptem menſium, quorum ante biduum compos fui factus.

Quod membranam Ruyſchianam placentæ ſubtenſam contra negantes defenderis in hiſtoria, perplacuit. Ita omnino aliquoties rem inveni, uti eam deſcripſiſti. Albinus iſtam quoque pertinaciter negat, a ſanguine congrumato & calore eluentis aquæ, ſi Diis placet! ortam ajens. Simſonem quod emendaveris & correxeris, id pariter laudem meretur. Certe librum ejus „The ſyſtem of the womb„ ſi non inanibus nugis, certe vanis hypotheſibus plenum non ſine ſtomachi commotione legi. Plura addere temporis vetat penuria. Tu vero vale, & res tuas in incrementum artis age feliciter. Dabam Schneebergæ d. 14. Decembr. 1739.

194.

B. FELDMANN.

Ecce! volumen Lectionum Boerhaavii in Inſtitutiones, opto maximopere, ut in eo quæ ex uſu Tibi ſint, reperias. Extra privatos meos uſus prodeſſe illud publico tutius nequit, quam ſi ſuppeditet quasdam veritates dignas, quæ cenſuræ tuæ auxilio denudatæ, a minus utilibus ſecretæ & Commentario tuo perſpicaci doctiſſimoque illuſtratæ

ſtratæ prodeant. Ubi vero nihil magis ad ſenſum autoris genuinum eruendum facit, quam collatio plurimorum codicum, quos diverſæ manus diverſo tempore ex ore autoris ejusdem collegerunt, non inique feres, quod adjuncta illi duo volumina earundem Prælectionum cum hoc Tabellario Tibi transmittam, quæ haſtæ ſubjecta Berolini ante aliquot annos comparavi. Hæc una cum meo codice, ut mihi quandocunque commodum & opportunum Tibi erit, remittas precor, ad longius extendendum ſiquidem videtur temporis conſtitutum terminum, ſufficit hoc litteris tuis exoptatis præterlapſa hyeme indicaſſe. Inſuper adjeci diſſertationem: equidem ſcio non niſi juveniles erant impetus, inde tamen non omnino notandi, & nunc judico quasdam in ea theſes licet forſan a vero aberrantes, quod eo tantum animo tunc propoſui, ut elicerem clariorem Præceptoris explicationem quarundam veritatum, qua nihilominus ſpe ſum fruſtratus. Mentio quam injicis in literis tuis acceptiſſimis de arteriarum fabrica, in memoriam revocat novam ſententiam, quam fovet Excell. de Gorter, (cujus prælectiones manuſcriptas in compendium ſuum Medicinæ a Batavis expecto) de inflammatione, ubi hanc non ex obſtructione quarundam arteriolarum & hinc excitato celeriori ſanguinis transgreſſu per reliquos proximos ramulos derivat, quoniam illa ſanguinis portio, cui vaſcula obſtructa denegant tranſitum, non in proximos ramos, ſed per omnes reliquas corporis arterias æqualiter diſtribuatur; ſed ex ejus mente, quam nuperrime amico explicuit,

plicuit, inflammatio oritur ex abraſa viſcoſitate, quæ internis arteriarum parietibus ſemper obducta eſt, unde acredo ſanguinis internam earum & ſenſibiliſſimam tunicam erodit, & ita ad frequentiores contradictiones invitat arterias. Fateor hanc theoriam adhucdum excedere meam fidem. Doctiſſimus van Suiten (*Swieten*) praxin Lugduni magna cum laude exercens, novum Commentarium Boerhaavii in Aphorismos parat, ad quod negotium ignoro aptiorem. An vero egregii fratres Abraham Kaau & Hermann Kaau Boerhaave, quibus noſter Medicinæ mathematicæ Parens ex legato reliquit ſua manuſcripta, ex his Opera Boerhaavii poſthuma edituri ſint, id Batavi ſilent. De Allantoide hactenus ſecutus ſum Ruyſchium, quia Acta philoſ. Anglica nondum de ea legi, nec illa ad manus ſint; nihil mihi jucundius erit ac ſi absque moleſtia ejus deſcriptionem mecum communicaveris, aut locum libri alicujus illis facilius parabilis indicaveris. Vale & favere perge &c. Dabam Neo-Ruppini, die 18. Decemb. 1739.

P. S. Perfectus motuum vitalium non minus ac humorum circulus, quem in volumine ſecundo explicabis, monebit olim, ominor, Mathematicos, ut Anatomicos conſulant de Perpetuo Mobili, ſi ulla unquam id inveniendi ſpes ſupereſt: unicum enim quoad ſcimus Perpetuum Mobile in Univerſo eſt Animal, quæ hujus eſt præcipua a plantis reliquisve corporibus differentia.

Bibliothek
H. E. Sigerist
No. 2796 Von J. Schwarz
Dat. 20.2.20 Pr. 4.200.-